











ZOOGRAPHIA
ROSSO-ASIATICA,

SISTENS

OMNIUM ANIMALIUM

IN EXTENSO IMPERIO ROSSICO

ET ADJACENTIBUS MARIBUS

OBSERVATORUM

RECENSIONEM, DOMICILIA, MORES ET DESCRIPTIONES,

ANATOMEN ATQUE ICONES

PLURIMORUM;

AUCTORE

PETRO PALLAS,

EQ. AUR. ACADEMICO PETROPOLITANO.

TOMUS II.

PETROPOLI

EX OFFICINA CAES. ACADEMIAE SCIENTIARUM

MDCCCXI.

ANIMALIA

IMPERII ROSSICI.

PARS SECUNDA.

ANIMALIA

IMPERII ROSSICI.

PARS SECUNDA.

ORDO III.

FRINGILLAE.

Maxime *naturalem ordinem* et unam quasi familiam inter Aves constituunt antiquioribus Ornithologis sic dictae *crassirostres* granivorae, enucleatrices. Hunc Ordinem prius ad *Raji* et *Brissonii* usque labores caste et pure a methodicis servatum, corrupit *Linnaeus*, dum aves tenuirostres minores antiquiorum, sine ullo fundamento eidem adjecit. Sunt enim hae neque enucleatrices, neque solum granivorae, rostro nullam habent cum Enucleatricibus similitudinem, et interna quoque organorum structura non conveniunt, uti nec moribus. In pristinam ergo puritatem hic restituo hunc ordinem, cui jure adnumerabuntur etiam *Psittaci*, indicante hoc eorum rostro enucleatoreo, habitu et moribus, praesertim vero egregis ad illos transitu, per *Loxias curvirostres*, a Psittacis sola pedum conformatione distinguendas. Nomen huic ordini imponere malui *Fringillarum*, quod magis quadrare videtur, quam nimis speciale Passerum. Fringillae enim, a frangendo rostris granula, quasi *Frangillae* dicuntur.

XXV. LOXIAE.

Non inepte possent *Loxiae Linnaei* in tria genera dispesci, cum *Brissonio: Coccothraustes* nempe conirostres; *Loxias* curvirostres, ad Psittacos transitum indicantes, et denique *Pyrrhulas microrhynchas*, rostro brevissimo conoideo proxime ad Rubicillam accedentes. *Characteres* haec tria genera distinguentes, praecipue a rostro petendi, adeo evidentes sunt, ut perfectius iis circumscripta appareant, quam sunt Emberizarum et Passerum, familiae. Itaque sub triplici nomine, has aves hic recensere satius esse duxi, licet species apud nos quidem uon numerosae id requirant, sed exoticorum distinctio facilior evadet.

177. LOXIA *Crucirostra.*

L. maxilla utraque incurva, apicibus decussantibus.

Loxia auctorum, *Willughb. orn. p.* 181. *tab.* 44. *Raj. av. p.* 86. *Albin. orn. I. tab.* 61. *Frisch. av. II. tab.* 11. *fig.* 3. 4. *Edward. av. tab.* 303. *Brisson. orn. III. p.* 329. *tab.* 17. *fig.* 3. *Zoolog. brit. p.* 106. *tab. V. fig.* 2.

Loxia Curvirostra, *Lin. syst XII. I. p.* 299. *sp.* 1.

Bec-croisé d'allemagne, *D'aubent. pict. tab.* 218. (mala.)

Common crossbill, *Latham. syn. IV. p.* 106. *n.* 1.

Rossice *Kljoest* vel *Kliost* et *Klest.*

Buraetis *Dsannà.*

Permecis *Urkai;* Siraenis *Yrkai.*

In sylvis acerosis totius Rossiae et Sibiriae turmatim vagatur, maxime in frigidioribus et alpinis frequens. In Camtschatca cum sylva deest hyeme tota gregaria apparet, voce et cantu rariore.

Semina pini, larycis, aliarumque acerosarum, ut et Alni gemmas legit. Strobilos in fissuris corticis praecipue resinifluis defigit, ut semina commodius extrahat. Dicitur vel ter in anno pullos educare, certumque mihi est hyeme incubare, adlato Februarii sub fiinem nido cum pullis. *Stellerus* Martio nidum cum ovis invenit. In omni tractu Camae fluv. passim pro mensis capiuntur laqueis e pilo equino, quos statuunt pueruli in nive, quam primum urina, vel aqua cum farina et sale fermentata perfuderunt, ut flavescat quorsum Crucirostrae, salis avidissimae crebro advolant et laqueis intricantur. Captae in cavea intra diem cicurantur, stupidissimae, licet cerebrosae aves.

Not. 1. Pulchriores, intense cinnabareo colore non vidi quam in larycetis Dauuriae. Caeterum hyeme omnium colorum promiscue apparent, ruberrimae, obsoletius rubrae, fulvis rubrisque plumis mixtae; flavissimae, flavoque cinereae seu virescentes. Hae certissime juniores, quibus rubras plumas succrescere vidi. Tertio anno denuo flavescere pro certo accepi, sed intensiore colore, minus cinereo,

— 2. *Remiges* 18. Maxilla inferior modo dextrorsum, modo sinistrorsum recurvata. *Cystis* non conspicua. *Oesophagus* medio in ingluviem dilatatus. *Prolobus* glandulosus; *ventriculus* carnosissimus. *Longitudo* intestini 14″. *Coeca* exigua.

178. LOXIA *psittacea.*

L. maxilla superiore incurva, striga alarum duplici alba, remigibus rectricibusque nigricantibus.

Rubicilla maxima canadensis, *Edward. av. tab.* 125. Mas; 124. foemina.

Loxia Enucleator, *Lin. syst. XII. I. p.* 299. *Faun. Suec. II.* 223. *Act. Holmiens. p.* 157.

Le Durbec, *Buffon. orn. III. p.* 457.

Pine-Grossbeak, *Latham. syn. IV. p.* 111. *n.* 5. *Pennant. Zool. brit. I. n.* 114. *tab.* 49. *fig.* 2.

Rössice *Stschùr*; Petropoli *Finskoi Papogai.*

Mongolis *Ulùn-dsalà.* Tungusis *Mummugy.*

In Rossiae totisuque Sibiriae pinetis maxime montanis frequens et gregaria avis, in temperatioribus tantum hyeme, aestate in maxime borealibus et alpinis; Petropoli maxime per Octobrin et Novembrem capitur, mensis destinata. Vivit praesertim seminibus arborum acerosarum. Inclusa per hyemem loco frigidissimo laeta viget, maximeque delectatur nive et Cannabis seminibus; calido contra in hypocausto aegrotat et cito perit. Cantillat egregie, etiam foemina. Mitis et cito cicuratur.

Not. Varietas coloris prorsus eadem, quae in Crucirostra: dantur nempe flavescentes, (nunquam, ut Curvirostrae, virescente-cinereo, sed magis ad fulvum tendente colore:); dantur pulcherime rubri, ad roseum seu purpureum magis, quam cinnabareum inclinantes, qui est crucirostrae color. Has seniores esse crediderim et mares, sunt enim perfectiores et pulchriores omni parte. Contrarium tamen in *Actis holmiensibus* affirmatur. Ex Insula *Kadiak* Americae vicina allata specimina sunt paulo minora rossicis, colore non roseo, sed cinnabarino, vibrissis narium non fuscis, sed ferrugineis, rostroque basi paulo crassiore; anne specie diversae? *Messerschmidius* prodidit caveis diu inclusas rubrum colorem amittere, quod experiri volui, sed casu nunquam aestatem supervixerunt. — In *nucha* utrinque duo *pili* ultra plumas prominent.

XXVI. PYRRHULA.

Pyrrhulae rostris convexo conoideis, apice subincurvulis proxime ad Loxias accedunt, ideoque merito subsequuntur illas. Omnes itidem sunt, ut illae, stupidae aves, et licet Rubicilla ad fistulam docilis sit, tamen paucos modulos addiscit, eorumque, nisi continuo repetantur, aeque cito obliviscitur. Caput omnibus parvum inter Fringillas.

179. PYRRHULA *Rubicilla.*

L. dorso coerulescente, vertice artubusque atris, striga alarum cinerea.

Rubicilla et Pyrrhula Auctorum, *Willughb. orn. p.* 130. *tab.* 44. *Albin. av. I. tab.* 59. mas, 60. foem. *Frisch. av. I. sect.* 1. *tab.* 2. *fig.* 1. 2. *Brisson. orn. III. p.* 308. *sp.* 1. *Zool. brit. p.* 106. *sp.* 3. *tab. U. fig.* 3. mas, 4. foemina.

Loxia Pyrrhula, *Lin. syst. XII.* I. p. 300. *sp.* 4.

Bulfinch, *Latham. syn. IV. p.* 143. *n.* 51.

Bouvreuil, *Buffon. orn. IV. p.* 372. *tab.* 17. *D'aubent. icon. n.* 145.

Rossice *Sniegir* (nivalis) et *Krasnosobik* (ingluvies rubra); in Sibiria *Shulàn;* Tomensibus *Swistúna* (fistulator); Malorossis *Sniegur.*

Tataris Sibiriae Gilgasuràr; Baschkiris *Kaldser*; Iacutis *Ymy.*

Mongolis *Balandshà;* Buraetis *Gairgou.*

Tungusis *Hindyr.*

Camtschadalis *Telpukàn.*

In omni Rossia et Sibiria, etiam maxime borealibus locis frequens avis, autumno cum Emberiza nivali ab arcto adventans, hyeme circa horrea et in sylvis gregaria, unde tunc in Rossia, maxime pro urbicolis, copiose ad cibum capitur. Pascitur gemmis, turionibus, seminibus variis. Aestate dispergitur. *Nidum* struit ramulis, interius radiculis quibusdam rubentibus, demum pilis equinis, aliisve. Tribus septimanis incubat. *Ova* coerulescenti-alba. In Camtschatca quoque dari, *Steller.* Anethi semen venenum illi praesentissimum esse, E. M. *Dacosta.*

Not. Foeminae in Sibiria saepius totae plumbeo-canescentis, *subtus* dilutioris sunt coloris, uropygio tamen niveo, vertice coerulescenti-aterrimo. Vulgo autem ibidem sunt vinacei subtus coloris, fere palumbi, ut in Rossia et Europa reliqua. *Rectrices* extus coerulantes; alarum *tectrices* primariae fuscescenti-canae, *secundariae* extremitate plumbeo-canae, basi exterius atro coerulantes, constituentes fasciam alae expansae cineream. *Pondus* feminis saepe vix unciale; masculis 9½ drachmarum, nec ultra. Longitudo *intestini* 25 poll. *Coeca* parvula 1½'''.

180. PYRRHULA *erythrina. TAB. XXXVI.*

P. rostro minusculo, corpore (maris) rubro, subtus albido, artubus fuscis.

Erythraeus, passeris genus, *Messerschm. orn. MS. IV. p.* 541. *n.* 94.

Loxia erythrina, *Pall. Nov. Com. Petr. XIV. p.* 587. *tab.* 23. *fig.* 1.

? Fringilla flammea, *Lin. syst. XII. I. p.* 322. *Faun. su. n.* 238. *Brisson. orn. III. p.* 155. *E. Latham. syn. IV. p.* 259. *tab.* 47.

Crimson - headed Finch, *Latham. syn. IV. p.* 271. *n.* 29.

Rossice *Tschetschewischnik* (Lenticularia), item *Krasnoi* sive *Ljesnoi Worobei* (ruber vel sylvestris Passer).

In sylvis et arbustis densissimis Rossiae, totiusque Sibiriae aestate passim solitaria occurrit. Mas cantillat. In Ingriae salicetis observatam fuisse scio. *Gmelinus sen.* et *Stellerus* ad Lenam quoque observarunt, ego et in Dauuria. *Vox* passerina, strepens.

Descr. Magnitudo fere Chloridis. Capitis proportione et rostri parvitate passeres, sed forma hujus convexa, conoidea, apice subcurvulo, Pyrrhulam refert, cui etiam colore affinis. *Nares* depressae, setulis nigris, basi gryseis, a fronte procumbentibus, tectae. Pili aliquot supra oris angulos. *Lingua* cartilaginea, oblique truncata, acute mucronata. *Irides* lutescentes. In *Mare:* caput, cervix, dorsumque tota plumis fuscescentibus, apice cinnabareis rubent; gula et avis subtus reliqua exalbida, pectore lateribusque rubicundis. Alarum *vestitrices* albido - rubente marginatae, remiges 18. gryseo; *tectrices* fuscae, ora lutescentes. *Uropygium* intensius cinnaboreum. *Cauda* mediocris, subforcipata fusca rectricum ora lutescente. *Pedes*, ut roftrum, fuscescentes. — *Foemina*: tota cinereo - virescens, subtus albidior, collo liturato, gula alba, artubus fuscis. *Pondus* vulgo drachmarum 5. *Mensura* avis 3″. 9‴. caudae 2″. 2‴. alarum expansarum 8″. 9‴. compositarum 2″. 11‴. feminis expansae 9″. 4‴. compositae 3″. 1‴. licet corpore minores; tibiarum 8‴. *Cystis* exigua. *Oesophagus* ingluvie interceptus. *Ventriculus* mediocriter carnosus. *Coeca* conspicua nulla. *Intestinum* 13½ pollicum.

---

181. PYRRHULA *caudata*. *TAB. XXXVII.*

P. cauda longissima subaequali lateribus alba, tectricibus alarum dimidiato-albis.

Linaria rosea sibirica, *Messerschm. orn. MS. V. p.* 719. *n.* 121.

Linaria longicauda, rosea, *Mus. Petropol. p.* 396. *n.* 484. *ad* 491.

Loxia sibirica, *Pall. itin. II. append. p.* 711. *n.* 24.

Sibirian Groshbeak, *Latham. syn. IV. p.* 124. *n.* 21.

In populetis circa torrentes intermontanos jugi Altaïci, Sajanensis, et totius Sibiriae orientalis frequens avicula, hisque regionibus propria, hyemem quoque ferens, et e seminibus praesertim Artemisiae integrifoliae, glaucae, annuae, aliarumque item Potentillarum, et compositi florarum, quibus in universum Sibiria dives est, victum quaerens. In quietissima caeterum aestate solitaria, hyeme parvis turmis vaga in arbustis densissimis. *Vox* pipiens, Linariae similis.

Descr. Magnitudo supra Linariam. *Rostrum* fere Pyrrhulae, conico-convexum, maxilla superiore subarcuata, fusca, inferiore crassiore, obtusiuscula, albida. *Vibrissae* narium fuscae. Circulus plumarum rostrum ambiens intense miniatus vel purpureus. *Caput* plumis roseis, apice canis; collum subtus et latera capitis plumis acutis, apice candicantibus. subargentatis. Avis *subtus* tota rosea, limbis plumarum albis; abdomen et hypochondria plane albent. Cervicis dorsique plumae obsoletius roseae, litura rhacheos nigricante, margine utroque albido. *Uropygium* roseum, tectrices caudae saturatiores, apice albae. *Remiges* 18. primariae utraque ora albomarginatae, secundariae latius per totam circumferentiam albae, praeter baseos externum marginem; intimae tres exterius late, inte-

rius vix basi albae. *Tectrices* primariae limbo, secundariae tota extremitate albae; *incumbentes* albae, basi nigrae. *Bases* alarum supra rubrae subtus albae. *Cauda* corpore longior; subcuneata: *rectrices* 4. *mediae* nigrae, exteriore margine albo vel roseo, 1 — 1. paulo breviores, 3 — 3. aequales, longitudinaliter dimidiato-albae, *laterales* sensim breviores albae, rhachi nigra, 4 — 4. etiam interius versus basin nigricantes. *Pedes* fusci.

Foemina; supra cinereo-pallida, lituris fuscis, quaedam rubore obsoletissimo adumbratae; *subtus* vel pallido albae, vel obsoletissime rubicundae, praesertim pectore. *Uropygium* plerumque lutescit. *Facies* cum *collo* senioribus argenteo-nitidula, ut in mare. *Cauda* ut in mare, sed rectr. 3 — 3. nigrae, ut medianae, margine exteriore albae et saepe macula lanceolata versus apicem alba. *Pectus* quibusdam longitudinaliter fusco-striatum.

Varietas dauurica multo magis canescit, minus argentato capite, colore exsoletiore et in genere minus pulcrae, quam quae ad Jeniseám, pondere sex et ultra drachmarum, at his vix 4½. vel 5. *Altaicae* adhuc sordidiore colore. *Mensurae* corporis ab apice rostri ad urop. 3″. 6‴. *Cauda* 3″. 4‴. alarum expansarum 8″. 2‴. compositarum; tibiarum 7‴. Ventriculus triturans, mole majoris pisi. In *ingluvie* semina minuta. *Testes* Julio turgidissimi. *Intestinum* 11 pollicum; *coeca* duo minima, vix 3‴. ab ano distantia.

XXVII. COCCOTHRAUSTES.

Rostrum magnum, crassum, directum, trochiforme Coccothraustes satis a reliquis Enucleatricum s. Fringillarum generibus distinguit, ut nullo alio charactere sit opus. Robore maxillarum omnes, etiam Loxias et Pyrrhulas longe superant, meritoque ab iis distincto nomine veniunt.

182. COCCOTHRAUSTES *vulgaris*.

C. grysea, gula artubusque nigris, remigibus mediis apice sinuatis.

Coccothraustes Auctorum, *Willughb. orn. p.* 178. *tab.* 44. *Raj. av. p.* 85. *n.* 1. *Albin. av. I. tab.* 56. *Frisch. av. sect.* 1. *tab.* 4. *fig.* 2. 3. *Edward. av. tab.* 188, *Brisson. orn. III. p.* 219. *sp.* 1. *Zool. britan. p.* 105. *sp.* 1. *Tab. U. fig.* 1. *D'aubent. pict. tab.* 99. Mas; 100. foemina.

Loxia Coccothraustes, *Lin. syst. XII. I. p.* 299. *sp.* 2.

Haw finch, *Latham. syn. IV. p.* 109. *n.* 4.

Malorossis *Dubonòs* (rostrum quernum).

Mongolis *Gheiregunna.*

Nota avis in Rossiae australibus et ad inferiorem Volgam, ubi Pomonae arbores vigent, hinc per omnem tractum montium Uralensium et citerioris Sibiriae raro observatur, sylvis montanis acerosis et excelsis praesertim larycetis gaudens ubi gregatim, cum tenui, fere Pari, pipitu obvolitat. In transbaïcalensi regione vero quotannis primo vere, (ad Selengam sub Februari finem,) diffluente primum nive, maximo numero gregatim advolant Coccothraustes. In magis orientalibus Sibiriae tandem desunt.

Not. Per omnes istas regiones et in magno numero nunquam ne minimam quidem varietatem observavi, nisi quae sexus distinguit: *mari* lorum et gula atra, caput et uropygium gryseo-luteum, jugulum et latera vinaceo-albida; *foeminae:* lora fusca, tantum gula atra, color exoletior, caput et uropyg. cinereo flava, pauloque pallidius jugulum et latera. Vivae avis *rostrum* incarnato-album, *irides* cinereae. *Remiges* a 4 ad 8. truncatae et singulari modo *sinuato-excisae*, elegantius in mare. *Pondus* dauricis unius unciae cum 5 ad 7½ drachmis, feminae ab 1½ ad 2 uncias: *Mensura* ad urop. 5″. 3‴. rostri 8½. caudae 2″. 3‴. ulnae alarum 3″. 9‴. expansarum 11″. 3‴. intestini 17″. *Coeca* parva. *Cystis* conspicua nulla.

183. COCCOTHRAUSTES *Caucasicus.*

C. corpore roseo, artubus fuscis.

An Coccothraustes canadensis, *Brisson orn. III. p.* 250. *sp.* 15. *tab.* 12. *fig.* 3. *D'aubent. pict. tab.* 135. *fig.* 1.? *Latham. syn. IV. p.* 127. *n.* 29.

Loxia rosea *Güldenstaedt Nov. Com. Petrop. Vol. XIX. p.* — *tab.* 12.

In alpibus Caucasicis a *Cel Güldenstaedt* observata, praeter rostrum praecedentis, corpore et colore refert Loxiam Enucleatorem. Speciosa avis.

Not. Brissoniana icon rostrum Coccothraustis exprimit, adeoque non Loxiam Enucleatorem, ad quem falso citatur a *Linnaeo*, Caeterum vide Descriptionem *Güldenstaedti.*

184. COCCOTHRAUSTES *Chloris.*

C. rostro trochiformi, corpore virescente, remigibus antice rectricibusque lateralibus basi flavis.

Chloris auctorum, *Willughb. orn. p.* 129. *Raj. av. p.* 85. *n.* 4. *Albin. av. I. tab.* 58. *Frisch. av. I, sect.* 1. *tab.* 2. *fig.* 3. 4. *Brisson. orn. III. p.* 190, *sp.* 54. (inter Passeres). *Zool. britan. p,* 107. *sp.* 5. *tab. U. fig.* 5.

Loxia Chloris. *Lin. syst XII. I. p.* 304. *sp.* 27.

Le Vertier, *D'aubent. pict. tab.* 267. *fig* 2.

Green Grosbeak *Latham. IV. p.* 134. *n.* 36.

Rossice ad Camam appellatur *Tschenarka,* in occidentalibus etiam *Dubonoska.*

Observavi primo vere in sylvis acerosis ad Camam, Fringillae Cannabinae gregibus immixtam, ubi etiam cantus gratia in caveis alitur; dein Septembri copiose in australibus, inter Volgam et Tanaïn, gregatim migrantem, et in locis Carduo consitis passim hybernantem. In Sibiria mihi nunquam apparuit. *Stellerus* tamen videtur ex insulis Curilis adlatam descripsisse, et pro *Antho s: Floro Bellonii* habuit, iconem etiam satis elegantem reliquit. Accepi etiam e Camtschatca et insulis Eois, simillimam europaeae.

XXVIII. PASSERES.

Licet Passerum species videantur ubique terrarum e vegetabili regno pabulum invenire sibi posse, tamen plures eorum in territorio Faunae nostrae locales esse observantur. Sic *Spinus* et *Cannabina* Uralense jugum, *Carduelis* Jeniseam non excesserunt, quamvis omnis Sibiria Carduos et Cannabim erraticam proferat; *Passer roseus* extra Dauuriam non est observatus; *Passer domesticus* loca tantum agris culta adiit; *Passer arcticus* zonam glacialem nostri poli potissimum colit. Nulla rarior in Sibiria P. *Spiza* et *Montifringilla* nulla

contra per totam Rossiam et Sibiriam ubique numerosior et magis universalis est *Linaria*, quae hyeme etiam in cultis et temperatioribus abundat. Quaedam ex hoc genere, ut P. *domesticus* et *montanus*, crassitie rostri ad Coccothr. Chloridem accedunt, cum qua et ad Loxias retulit *Amisciss. Pennant* (in *Zool. brit.*). At multo minori jure ad Emberizas coëgit *Carduelem* et *Spinum Cel. Scopoli.*

185. PASSER *Carduelis TAB XXXVIII.*

P. area rostrum ambiente coccinea, remigibus basi, rectricibusque apice flavis albisque.

Carduelis auctorum, *Willughb, orn. p.* 189. *tab.* 46. *Raj. av. p.* 89. *n.* 1. *Frisch. av. I. sect.* 1. *tab.* 1. *fig.* 3. 4. *Brisson. orn. I. p.* 53. *D'aubent. pict. tab.* 4. cum variet. alba.

Luteola, *Albin. av. I. tab.* 64.

Fringilla Carduelis, *Lin. syst. XII. I. p.* 318. *sp.* 7.

Lettonice *Ziglis* vel *Kummulis*; Esthonis *Tiglits* a germanico. Rossice *Stscheglenok*; Malorossis *Stschegol.*

Tataris Sibiriae *Dsegalei*; Kyschtimis *Kosàr*; Baschkiris *Dshebdshek.*

In Rossia omni, locis temperatioribus etiam tota hyeme frequens Carduelis, et Europaeo simillimus; in campis Borabensibus, circaque Altaïcas alpes magis cinerascens; circa Jeniseam itidem copiosus, sed totus cinerascens, nigredine circa caput nulla, ad eadem cantus nobilitate insignis. In orientali demum Sibiria, omnique tractu a Lena ad Camtschatkam usque plane exulat, licet Cardui et plantae capitatae ultra Baïcalem excurrant et in ultima demum translenensi regione deficiant. Mihi quidem iu transbaïcalensibus nunquam visus est; *Messerschmidius* circa Ingodam fluv. observari perhibet. Quas Ircutiae, cantus causa in caveis alunt, Crasnojaro ad Jeniseam adferuntur. Pro foro Moscuensi aucupes quotannis

millenarios captivos e regione Surae fluvii trahunt, et praesertim non longe ab urbe Pensa hyeme capiunt.

TAB. XXXVIII. Descr. Varietatis in apricis ad Jeniseam vulgatissimae: *Color* capitis, cervicis, dorsique plane cinereus, magis minusve dilutus. *Area* circa rostrum adusque oculos coccinea, nigredine nulla cincta. Rarius vertex fusco subundulatus; ipsa vero basis rostri *linea* plumacea nigra angustissima cingitur, loro nigro continua. *Remiges* omnes externe dimidiato-flavae, interius versus basin albae. *Basis* alarum atra: *Tectrices* secundariae et aliquot remiges intimae exterius albae. *Rectrices* quatuor intermediae toto apice, proxima utrinque vix summitate flava; extima macula alba, oblonga interioris vexilli. *Femina* adhuc magis decolor mare. *Pondus* drachmarum 6½ ad 7. *Mensura* ad uropyg. 3″. 10‴. caudae 2″. 2‴, ulnae alarum 3″. 3½‴. expansarum 9″. 4‴. rostri conico-elongati 7‴. *Cystis* fellea haud conspicua. *Coeca* exigua.

186. PASSER *Spinus.*

P. supra virescens, subtus flavissimus, pileo fusco, remigibus medio, rectricibusque basi flavis.

Spinus s. Ligurinus auctorum, *Willughb. orn. p.* 192. *tab.* 46. *Raj. av. p.* 91. *n.* 5. *Albin. av. III. tab.* 76. *Frisch. av. I. sect.* 3. *tab.* 11. *fig.* 1. 2. *Brisson. orn. III. p.* 65. *Zool. brit. p.* 109. *sp.* 5. *tab. V. fig.* 5.

Le Tarin, *D'aubent. pict. tab.* 485. *fig.* 3.

Fringilla Spinus, *Lin. syst. XII. I. p.* 322. *sp.* 25.

Rossice *Tschishik*, *Tschish.*

Lettonice *Kiwulis;* Esthonis *Pao-lind.*

In occidentalioribus Rossiae frequentissima et locis temperatis tota hyeme praesens, sed jam ad Volgam rarior Carduele, ultraque

Uralense jugum nullibi observata, licet vix causa appareat. Sic etiam in Anglia rariorem esse et in Sussexiam adventare quando hordeum seritur, ideoque *Hordeolam* (Barleybird) ab Anglis appellari, *Willughbejus*. (*) Omnium Passerum maxime docilis avicula et ingeniosa.

187. PASSER *Spiza.*

P. bicolor, remigibus basi, rectricibusque utrinque binis obliqua area albis.

Fringilla Auctorum, *Willughb. orn. p.* 186. *tab.* 45. *fig.* 4. *Raj. av. p.* 88. *Albin. av. I. tab.* 63. mas. *Frisch. av. I. sect.* 1. *tab.* 1. *fig.* 1. 2. *Brisson. orn. III. p.* 148. *Zool. brit. p.* 108. *sp.* 2. *tab. V. fig.* 2. 3. *D'aubent. pict. tab.* 54. *fig.* 1. mas.

Fringilla coelebs, *Lin. syst. XII. I. p.* 318. *sp.* 3. *Faun. su. II.* 232. *tab.* 2. femina.

Rossice *Säblik* vel *Saebliza* (i. e. frigoris impatiens).

Per omnem Rossiam et Sibiriam occurrit; in australioribus medio Aprilis transmigrat uterque sexus cum Linariis; autumno inter primas aviculas ad austrum discedit. Varietates ejus nullas observavi. Teste *Stellero* deest in Camtschatca.

Not. Mas in nucha pilos aliquot ultra plumas prominulos habet, quorum et *Linnaeus* meminit.

(*) Fringilla Canoria (Rossice *Kaenoreika*) in urbibus hospitatur a Tyrolensibus praesertim importata, imo prolem quoque educat, et hybrida ut in reliqua Europa producit.

188. PASSER *Montifringilla.*

P. alarum basi subtus flavissima, corpore supra variegato, subtus rufo.

Montifringilla auctorum, *Willughb. orn. p.* 187. *tab.* 45. *fig.* 5. *Raj. av. p.* 88. *Albin. av. III. tab.* 64. *Frisch. av. I. sect.* 1. *tab.* 3. *fig.* 3. 4. *Brisson. orn. III. p.* 155. *Zool. brit. p.* 108. *sp.* 3. *tab. V. fig.* 4. *D'aubent. pict. tab.* 54. *fig.* 2. Mas.

Fringilla montifringilla, *Lin. syst. XII. I. p.* 318. *sp.* 4. *Faun. su. II.* 233. *tab.* 2. *Mas.*

Rossice *Ir*, vel *Iurok*; Malorossis *Wyurok.*

In sylvis praesertim pineis et abiegnis totius Rossiae Sibiriaeque frequens. In Dauuria transmigrans observatur *varietas*, de qua in *Nota*; simul tamen observantur ordinario colore europaeo. Adventant autem sub finem Aprilis.

Not. Varietas sibirica, ab europaea satis diversa, *pondere* 6½ drachm. *Capite* et cervice saepe fere plane nigris, oris tantum plumarum in *dorso* gryseis, colore *subtus* rufo et flavedine alarum quammaxime intensis; a loco forte et pabulo in sylvis acerosis Sibiriae enata. Contra *australes*, e Caucaso et Persia missae paulo majores quidem, sed coloribus obsoletissimae, supra fusco gryseoque nebulosae.

189. PASSER *calcaratus. TAB. XXXIX.*

P. capite nigro, vitta supraciliari collari flexuosa alba, cervice rufa, ungue postico rectiusculo.

Conf. Albin. av. III. tab. 68. Fringilla major.

Fringilla lapponica, *Lin. syst. XII. I. p.* 317. *sp.* 1. *Faun. suec. II. n.* 235. *Forster. faun. americ. Act. angl. vol. LXII. p.* 404.

Fringilla calcarata, *Pall. itin. II. append. p.* 710. *n.* 20. *Tab. E.*

Ante medium Aprilis, ad primam inflorescentiam Anemones patentis et Drabae vernae, magnis gregibus per campos Isetenses et Ischimenses migrabat (anno 1771.) agros praesertim lenticula consitos frequentans, citoque ad borealiores regiones abit. *Vox* fere P. cannabini; volatus altus, constans. Currit in agris instar Alaudae (cui et calcare similis) adeoque verosimillime in zona arctica sylvis destituta aestivat, cum P. *arctico* et *Ember. nivali.*

Descr. Rostrum passerinum (: ad Emberizas tamen paululum inclinans :), cereum, cum apice nigricante ut in Montifringilla. *Lingua* subbifida. *Caput* cum *gula* atrum, nigredine per collum descendente; plumulae quibusdam circa nucham et in gula albido marginatae. *Fascia* alba pone nasales plumulas nigras angusto principio incipiens, supra oculos continuata, ad tempora latescens, anguloque reflexa per colli latera descendens, ubi sensim albido-lutescit. *Cervix* area transversa ovali, intense rufa. *Dorsum* passerini coloris, lituratum, plumis medio nigris, proxime ferrugineis, margine gryseis. *Subtus* avicula alba, lateribus longitudinaliter nigro marginatis. *Uropygii* plumae longiores, acutius elongatae, apice disci ferrugineae, non *tectrices* caudae. Alarum *vestitrices* fuscae, albo marginatae; *tectrices* duum ordinum apice albae, unde *striga* duplex per alas. *Remiges, tectricesque* primariae externo limbo pallidae, *secundariae* sensim rufo-luteae. *Cauda* subbifurca, *mediis* acutioribus, nigra, rectricum utroque limbo albido; *extimae* utrinque 2. cuneo interius ab apice albo. *Pedes* nigri, *ungue* postico rectiusculo, elongato, (magis quam in Ember. nivali).

Foemina: supra colore Alaudae, (: capite etiam variegato :) nisi quod cervix et remiges secundariae margine rufescant. Aurium *area* fusco gryseoque nebulosa; supercilia pallida. *Collum* ab ipsa

gula nigro maculatum. *Rostrum* virescenti-cinereum. *Pondus* huic drachmarum 5½. *maribus* 6½ ad 7. *Mensura* ad uropyg. 3″. 8‴. caudae extimis 2″. 6‴. mediis 2″. 3‴. alar. expansarum 10″. 4‴. ulnae 3″. 7‴. rostri ad rictum 5‴. tibiarum 9‴. digiti antic. medii (cum u. 2‴.) 8½‴. postici (cum u. 6‴.) 9½‴. *Ventriculus* carnosus, lapillis triturans.

190. PASSER *alpicola.*

P. fuscus, subtus albidus, remigibus intermediis rectricibusque lateralibus candidis.

Fringilla nivalis, *Brisson. orn. III. p.* 162. *tab.* 15. *fig.* 1!

Frequens in alpibus summis Caucasi atque montium Cerauniorum Caspicum lacum ambientium, hyeme in inferiora descendit, sed nunquam in borealiores regiones migrat. *Gmelinus jun.* qui saepe notissimas aves et plantas pro notis speciebus tradere solebat, hanc pro varietate Ember. nivalis habuit, a qua solo rostro jam lucide differt, multo quam in aliis omnibus passeribus longiore, ne colorem dicam.

Descr. Magnitudine Ember. miliarem vel Pass. arcticum aequat. *Rostrum* passerinum, sed omnibus congeneribus, etiam Carduele productius, luteum, dorso fuscescens, apice nigricans. *Caput* supra, cervix, *dorsum* et alarum *bases* gryseo-fuscescentes, sordidi coloris. *Subtus* tota avis, a gula ad caudam sordide alba. *Alae* compositae caudam aequant: *remiges primariae* nigrae et *secundariarum* intimae; *intermediae* pleraeque totae candidae. *Cauda* candida, *rectricibus* tantum duabus *mediis* rariusculis fuscis, proximis interiore vexillo (: praeter magnam aream versus apicem albam:) nigrae. Ulna alarum aequat 4″. Cauda 2″. 4‴. reliquae mensurae e siccis exuviis non patent.

191. PASSER *arctous. TAB. XL. et XLI.*

P. rostro cereo, corpore purpurascente-fusco, remigibus rectricibusque extus canescentibus.

Fringilla flavirostris, *Lin. syst. XII. I. p.* 322. *sp.* 27. *Faun. su. II.* 239. *Pall. itin. II. p.* 710. *n.* 21.

Fringilla fusca, *Brisson. orn. III. p.* 154. *Buffon. orn. IV. p.* 121.

Arctik Finch, *Latham. syn. IV. p.* 260. *n.* 12.

Rossis ad Jeniseam *Knaesje-Tschetschotka* i. e. Princeps Linariarum.

Ad Jeniseam et in orientali Sibiria hyeme demum rigidissima in australiores regiones adventat, pagosque frequentat, per paria inter Linariarum greges volans. Sub finem Februarii et initio Matii, ante Ember. nivalem et Alaudam alpestrem, ad arcton congregata abit, videturque omnium avium impatientissima caloris. In Crasnojarensi regione frequentior, quo severior hyems. *Stellerus* eandem Decembri mense in Insula Beringii naufragus observavit. Stulta est et captu facillima avis, stolidior Emberiza nivali; exagitata caput inter virgulta vel stramina condit et sic tutam se credit, adeoque manibus capi potest. Per plures tamen dies in cavea detenta necquidquam cicuratur; sed solam se videns plurimum comedit, etiam nocte adposito lumine; unde facile pinguescit. Triticum praesertim appetit. *Stellerus* umbelliferarum semina in ventriculo invenit. Quo pabulo in arcticis terris utatur, ignoro. *Vox* rara, gravis, fere Loxiae. *Calor* sanguinis exploratus in vivis fuit CXI°. Farenh.

TAB. XXXIX, Descr. Magnitudo Ember. miliaris, imo major. *Rostrum* passerinum magnum, praecedente tamen brevius, cereum; apice fusco-nigrescente; *lingua* quoque flavescens; *Maxilla* superior inferiorem sinu baseos recipiens sed tuberculum palati nul-

lum. *Oculi* fusci. *Vibrissae* narium confertae fuscae, pilique supra oris angulos. *Corpus* totum fusco-fuliginosum, obscurum, plumis nitidulis, in cervice magis incanescentibus; caeterum supra infraque color uniformis (quod vix in alia congenere), in quibusdam pectore et postico dorso, alisque spuriis purpurascente subintinctus. *Bases alarum* utrinque corpori concolores. *Remiges* 18. secundariae sex obsoletissime emarginatae, omnes, cum *tectricibus*. fuscae, exterius longitudinaliter canescentes, veluti pruinosae. *Cauda* subbifurca, tota cum tectricibus exalbido-cana, s. pruinosa, rhachibus nigris, apice nigricante. *Pedes* nigri, passerini. *Foeminis*: *caput* collumque fusco-cinerea, *vertex* lituris fuscis; *dorsum* gryseo-cinereum fuscescente lituratum; *abdomen* albidum; *subcaudales* medio cinerascentes. *Pondus* his, aeque ac maribus, ultra unciam, rarius drachmarum X. *Mensura* ad uropyg. 4″. $1\frac{1}{2}$‴. caudae 2″. 8‴. alarum expansarum 11″. 7‴. compositarum 4″. rostri 6‴. tibiarum 9‴. digiti med. (cum u. 3‴.) 9‴. postici (c. u. $3\frac{2}{3}$‴.) $6\frac{4}{7}$‴. *Ventriculus* glarea triturans; *ingluvies* seminibus excorticatis impleta. *Intestinum* 20 poll. *appendicula* coeca grano secalino par, 9‴. distantia ab ano.

Varietates plures ex insulis Curilis et Americanis accepi *a D. D. Merk*, quas hic describere necesse est, quum prima facie fere pro speciebus imponant.

β. 1. Ex insulis Curilis: *vertice* nigricante, *cervice* cano-albida, *dorso* fusco gryseoque nebuloso; *subtus* nigra, pectoris lituris albis, ventris et uropygii cinnabarinis, crisso cinnabarino, lituris fuscis. *Alarum* remiges, tectrices et vestitrices ora cinnabarea marginatae; remiges intimae margine albido.

β. 2. itidem *Curilica*: *Capite* supra (praeter frontem fuscam) cum *cervice* ferrugineo, dorso fusco, plumis margine ferruginescentibus. *Subtus* fusca, roseo, et versus jugulum albido liturata.

Zoogr: II p. 12.



Passer roseus. P.

Crissum totum roseum; uropygii plumae et tectrices caudae apice roseae. *Alarum* pennae et vestitrices margine externo roseae, dorso proximae gryseo-marginatae. — In utraque rectrices totae nigricantes, marginibus albidis.

TAB. XL. γ. Majorem sibiricis, (forsitan specie distinguendam:) ex insula *Unalaschka* Americae vicina habeo: Huic *rostrum* apice superiore producto, junioribus flavum; *vertex* niger; *vibrissae* narium, latera capitis, et *cervix*, cana; *dorsum* et *pectus* ferrugineo-fusca; *abdomen*, *crissum*, *uropygiumque* rosea vel cinnabarina, basibus plumarum fuscis variegata. *Alarum* vestitrices pallide roseo marginatae; tectrices et remiges primariae margine e roseo albidae, secundariae margine albae, dorso proximae fusco-ferruginescentes. *Rectrices* nigricantes, ora albescente. *Mensurae* alar. compositarum 4″. caudae 3″. rostri 6‴. tibiae 1″. dig. ant. medii (c. u.) 11½‴. postici (c. u. 4‴.) 7½‴. *Foeminae* insularum Aleuticarum pelles hujus aviculae servant, ut plumulis roseis vestes ornent. An specie haec distinguenda?

Not. Fringilla lulensis, *Lin. Faun. su. I.* 134. forte *varietas β.* nostra fuit. Cum *varietate γ.* conferatur: Cinereous Finch, *Latham. av. II. p.* 274. *n.* 35. 36.

192. PASSER *roseus. TAB. XLII.*

P. totus roseus, facie albido argentata, dorso liturato, remigibus rectricibusque fuscis.

Linaria rubra major seu montana buraetica, vertice anteriore, collo et uropygio roseis, *Messerschm. ornith. MS. VIII.* 19.

Linaria montana rubra major, *Mus. Petrop. vol. I. p.* 396. *n.* 482. seq.

Fringilla rosea, *Pall. itin. III. append. p.* 699. *n*. 26.

In arenosis circa Selengam et Udam fl. insulisque salice consitis hybernat subgregaria, Aprili demigrat et in borealibus circa Lenam et Tunguscam aestivat. Pulcerrima nostratium in hoc genere avis.

Descr. Magnitudo supra Spizam. *Caput* totum uropygiumque cinnabarea, *facies* apicibus plumarum splendide candicantibus quasi argentata. *Collum* subtus medio intensius cinnabareum; pectus obsoletius, juguli scapis basi fuscis. *Corpus* supra, ut in Linaria, fusco lituratum, marginibus plumarum. exsoletius rubris; *subtus* e rubro exalbidum, scapis fuscis; abdomen album. *Subcaudales* rubro lituratae. *Dorsum* inter alas plumis medio nigris, margine obsolete rubris variegatum. *Alae* basi supra nigrae, rubro squamatae, subtus albae; *incumbentes* apice albae, subroseae; *tectrices* secundariae, margine exteriore roseo, versus apicem latius albo. *Remiges* 13. fuscae, margine gryseae, interiore albo. *Rectrices* nigrae, roseo marginatae, praeter extimam. *Cauda* subbifurca. *Pedes* fusci. *Foemina* colore ad Linariam accedit magis, sed tota rubore roseo perfusa est. Pondus circiter unciale. *Mensura* corporis 3″. 9‴. caudae 2″. 6‴. alarum expansarum 9″. 10‴. compositarum 3″ 5″. rostri ad rictum 5^{2}‴. tibiarum $8\frac{1}{3}$‴. dig. medii (cum u. 2‴.) 8′ [illegible]tici (c. u. 2‴.) 6‴.

Foemina: colore Alaudae, in cervice dorsoque plumis margine gryseis; *subtus* alba, lateribus longitudinaliter fusco-lituratis. *Gula*, collum, jugulum obsolete miniata, lituris fuscis; *frons* intensius rubet, nigricante varia. *Uropygium* dilute miniaceum, plumis medio fuscis. *Tectrices* secundariae apice exterius albo-marginatae; *incumbentes* apice albo-pallidae. *Alarum* bases ferugineo squamatae; margo brachii rubente variegatus. *Pondus* paulo infra mares. Mensurae fere eaedem. *Longitudo* intestini 12½ poll.

193. PASSER *Linaria.*

P. gryseo - canescens fuscoque liturata, pileo ruberrimo, gula nigra.

Linaria rubra minor auctorum, *Willughb. orn. p.* 191. *Raj. av. p.* 91. *n.* 3. *Frisch. av. I. sect.* 3. *tab.* 10. *fig.* 3. 4. *Brisson. orn. III. p.* 138.

Redpols, *Albin. av. III. tab.* 75. mas et foemina.

Le Cabaret. *D'aubent. pict. tab.* 485. *fig.* 2.

Fringilla Linaria, *Lin. syst. XII. p.* 322. *sp.* 29.

Rossice *Tschetschotka*, *Tschetschet* vel *Tschitschi.*

Tataris *Kaïn - basch* et *Kentir - tsigén.*

Camtschadalis *Etschewotschütsch*; Ukinzis *Eltschatsch.*

Per omnem Rossiam et Sibiriam omnium facile copiosissima sui generis avicula, hyeme gregatim circa pagos et horrea vivens; vere, tempore oestri ingruente, millenariis turmis conglomerata migrat, pinguissima. Incipit prurire Martio, tumidis tunc genitalibus organis. Petropoli in foro copiose prostat et in cibo adhibetur, egregium nisi propter parvitatem ferculum. In Dauuria, ubi frequentissimae, et saepe toto corpore pulcro rubore perfusae, observavi varietatem nigrescentem, rostro productiore. *Stellerus* etiam in Camtschatca et Curilis insulis Linariam abundare reliquit. Ex Insula *Kadiak*, Americae contigua habeo varietatem sibiricis similem, supra minus canescentem, collo et pectore intense cinnabareis; vertice obscure rubro.

Descr. Aviculam, licet vulgarem, describo, quia inter tantum numerum et in perfectissimo habitu observatam melius forte aliis Ornithologis notam habeo. *Magnitudo* Spini. *Rostrum* sordide luteum, supra infraque longitudinaliter et apice fuscum. *Vibrissae*

gryseae. *Color* corporis incanus, subtus exalbidus, supra ad gryseum vergens, lituris longitudinalibus fuscis. *Uropygium* album, striatum, ut et latera. *Alae* fuscae, striga alba gemina, altera vestitricum, altera tectricum secundariarum terminali. *Cauda* bifurca, nigricans, rectricibus limbo albidis. *Gula* in sinu maxillae nigra. *Pileus* seu area antica verticis orbiculata purpurea *mari*, coccinea foeminae, plumularum tamen basi nigrescente. Praeterea liturae rubicundae ad parotides et in pectore. *Pedes* nigro fusci. — Senioribus maribus plumae in toto fere corpore pallide rubent; jugulum evidentius rubore perfusum, intensiore uropygium. Annosissimos, sed rariores in Sibiria accepi, quibus collum subtus totum et jugulum suaviter rosea, colore per pectoris latera diffuso. Rubor his etiam in uropygio insignis, pallidior subcaudalibus. Unum in Isetensi provincia nactus sum totum fere roseo rubore perfusum, summae pulchritudinis aviculam. *Pondus* vulgo a drachmis 3 ad 4. secundum aetatem variat. In Masculo emaciato aliquando inveni intestina taeniolis copiosis, teretiuculis scatentes. *Coeca* duo minuta 1'''. breviora.

194. PASSER *Cannabina.*

P. capite cinereo, dorso rufo, pileo juguloque rubris.

Linaria rubra major, *Willughb. orn. p.* 191. *tab.* 46. *Raj. av. p.* 91. *n.* 2. *Albin. av. III. tab.* 72. 73. *Frisch. av. I. sect.* 3. *tab.* 9. *fig.* 1. 2. *Brisson. orn. III. p.* 135. *sp.* 30.

Fringilla cannabina, *Lin. syst. XII. I. p.* 322. *sp.* 28. *Buffon. orn. IV. p.* 58.

La grande Linotte, *D'aubent. pict. tab.* 485. *fig.* 1.

Greater Redpole, *Latham. syn. III. p.* 304. *n.* 74.

Rossice *Konoplaenka* (Cannabina) et *Repolof* (Napilega).

Lettonis *Kanepuputnine;* Esthonice *Waestrik.*

In Rossia australiore satis frequens est, at in borealibus perraro occurrit, et in omni Sibiria nunquam fuit observata. Vere circa Volgam cum Sturnis adventat gregaria, testibus jam turgescentibus Martio mares, permixti foeminis et junioribus, qui nondum sponsalem vestem induerunt.

Descr. Rostrum obtusius quam Linariae, coerulescens, apice fusco, basi mandibulae flavicante. *Caput* cum cervice cinereum. *Frons* in *mare* obsolete miniacea; in maribus junioribus plumulae tantum basi fusco-purpurascentes. *Palpebrae* pallidae; areola parotica et ad rostrum utrinque albida. *Collum* subtus album, lituris longitudinalibus cinereis. *Iugulum* miniacei coloris, oris albicantibus: in mare juniore latius diffusus sed pallidior; foeminis intensior. *Venter* sordide albus, latera lituris luteis. *Uropygium* gryseo-albidum. Dorsum et bases alarum, tectricesque secundariae et remiges intimae margine ferruginescunt, limbo gryseo-albente. *Remiges rectricesque* utroque margine albae. *Cauda* subfurcata. *Pedes* fusci, tibiis lutescentibus. *Pondus* foeminis 5½ drachmarum, maribus paulo minus. *Mensura* ad urop. 3″. 1½‴. caudae 2″. expansarum alarum 9″. ulnae 3″. *Intestinum* 12 pollicum; *coeca* duo minima, inaequalia, distantia pollicis ab ano.

195. PASSER *Papaverina.*

P. capite canescente, dorso gryseo liturato, pectore pallido punctato.

An Linaria vulgaris Auctorum, *Willughb. orn. p.* 190. *Raj. av. p.* 9. *A.* 1. *Frisch. av. I. sect.* 3. *tab.* 9. *fig.* 3. 4. *Brisson. orn. III. p.* 131. *sp.* 29.

Fanellus, *Olin. av. p.* 45.

Papaverina, *Rzaczinsk. polon. p.* 290.

Rossice praecedentis nomine venit.

Haec species a *Linnaeo* praetermissa, distinctissima, in australibus Rossiae passim occurrit. medio Aprilis ad inferiorem Volgam copiose migrabat cum P. Spiza, mare. Deest in Sibiria.

Descr. Rostrum Linariae, fuscum, maxilla inferiore coerulescente. *Caput* cum cervice cinereo-canescit; vertex lituris obsoletis fuscis. Gula albida, fusco punctata; *jugulum* pallidum, lituris fuscis, item latera. *Abdomen* et crissum albent. Dorsum exsolete ferrugineo fuscoque nebuloso-lituratum. *Alarum* bases ferrugineo-fuscae; *remiges* primariae margine albae; *secundariae* extremitate pallido marginatae, 10 ad 15. subemarginatae. *Caudae* forcipatae pennae utroque margine albae, intermediae rectrices pallido marginatae, reliquis multo breviores, acutioresque. *Pondus* circiter 5. drachmarum, *Mensura* ad uropygium 3″. 3‴. caudae 1″. 10½‴. ulnae alarum 2″. 9‴. expansarum alarum 9″. tibiae 6½‴.

196. PASSER *pusillus. TAB. XLIII. fig. 1.*

P. gryseo nigroque varia, ventre albo, fronte testaceo-rubra.

Fringilla parvirostris, *Gmel. jun. MS.*

Circa Caucasum et mare caspium frequens avis, aestate circa nivalia juga cum P. *alpicola* et *Motacilla Ceraunia* versatur, hyeme in subalpinis Persiae.

Descr. Linaria fere minor. *Frons* testaceo rubra, *vertex* nigricat. *Collum* dorsumque plumis gryseis, medio fuscis. *Venter* et subcaudales alba. *Pedes* nigri. *Rostrum fuscum.*

Cf. cum *Linaria montana Brisson. orn. III. p.* 145. *n.* 33. *Buffon. orn. IV. p.* 74. Mountain Linnet, *Willughb. orn. p.* 261. *Zool. brit. tab.* 59. *Latham. syn. III. p.* 307. *n.* 76.



Passer pusillus. P.

197. PASSER *domesticus.*

P. vertice testaceo, corpore ferrugineo-nigroque, striga alarum alba solitaria.

Passer domesticus auctorum, *Willughb. orn. p.* 182. *tab.* 44. *Raj. av. p.* 86. *Albin. av. I. tab.* 62. *Frisch. av. I. tab.* 8. *fig.* 1. 2. *Brisson. orn. III. p.* 72. *sp.* 1. *tab.* 8, *fig.* 1. 2. *Zool. britan.*

Fringilla domestica, *Lin. syst. XII. I. p.* 323. *sp.* 38.

Moineau franc, *D'aubent. pict. tab.* 55. *fig.* 1. junior; *tab.* 6. *fig.* 1. mas adultus.

House-Sparrow, *Latham. syn. III. p.* 248. *n.* 1.

Rossice *Worobéi* (quasi *Wora-béi* i. e. furem occide); Malorossis *Orobetz*, et *Worobez.*

Tataris *Torgéi;* vel *Tschiptschik;* Baschkiris *Aschluk-torgéi* (Passer frumentarius); Bocharis *Zezaek* et *Gaswur.* Persis et Chivinzis *Saertscha.*

Calmuccis Bokschirgo.

Morduanis *Kirks*, *Kudingirxkae*; vel *Wosaes.* Tschuvaschis *Serssi.*

Siraenis *Koensikai* Permaecis *Kai;* Tscheremissis *Pertkaik*; Votiacis *Sorgoli;* Ostiacis Beresoviensibus *Tschetschen;* ad Narym *Sujandschek;* Vogulis *Polling-senssi* (aurita avis, quod plumas capitis arrigit).

Samojedis *Narai-lemsi* (vernalis avicula); Karagassis *Sindjachu.*

Tungusis *Beldun.*

Armenis *Tschendschiyŭk*, et *Zyt.* Iaponice *Ssusume.*

In Rossia universa et in Sibiriae locis cultis abundat haec procax progenies: in borealibus et orientalibus tantum quousque segetes, unde et Tobolii ante Russorum ibi coeptam agricultuarm defuisse

Messerschmidius prodidit; et circa Beresovam primum anno 1735. circa Narym demum anno 1739. quum ager ibi primum arari cöepit, apparuere, nunc ibi frequentes. Ad Lenam, ex Jrcutensi regione anno 1710. apparuerunt, nunc copiosissisìmi, sed non ultra oppidum Tschetschuisk, ubi et Pica deficit, Iacutiae nulli. Spontaneos tamen in rupestri solitudine Dauuriae inter Ononem et Argunum, cum P. montanina mixtos abundare vidi, ubi inter saxa nidulantur. In Camtschatca omnino desunt, teste *Stellero.*

Not. Passerem domesticum totum albissimum, inter vulgares obvolitantem, circa Nosocomia militaria Petropoli observavi vere 1792, Itidem candidam varietatem habet *museum Petropolitanum* prope urbem occisum. Nigram ibidem observatam fuisse, notavit *Kraschieninikof* in *obs. MS.* sed minime fida haec observatio, quandoquidem hyeme passeres caloris causa saepe in caminos descendunt, ubi a fuligine denigrati alienam faciem induunt et mihimet ipsi pro nigra varietate adlati sunt.

198. PASSER *Montanina.*

P. gula nigra, corpore ferrugineo nigroque, uropygio virescente, striga alarum alba gemina.

Passer montanus auctorum, *Willughb. orn. p.* 185. *tab.* 45. *Albin. av. III. tab.* 66. *Frisch. I. sect.* 2. *tab.* 7. *fig.* 3. *Edwards av. tab.* 269.

Fringilla montana, *Lin. syst. XII. I. p.* 324. *sp.* 37.

Moineau de champ ou Friquet, *D'aubent. pict. tab.* 267. *fig.* 1.

Tree-Finch, *Latham. syn. III. p.* 252. *n.* 2.

Nominibus plebejis plerisque cum praecedenti confunditur.

Tataris *Ors*- vel *Urman-torgéi* (sylvestris Passer).

In Rossiae et Sibiriae apricis ubique frequens, hyeme circa pagos et habitata loca gregalis, P. domestico intermixta; in orientalioribus Sibiriae desertis, maxime ad Lenam et ultra Baicalem P. domestico frequentior. At in Camtschatca pariter deest.

Not. 1. Accepi hujus *varietatem* totam e flavescenti albam, pondere drachmarum X. ad Jeniseam, in regione Abacanensis munimenti occisam Decembri 1771. Eodemque mense circa Crasnojarium obtinui Passerem hunc fere totum nigrum, superioris maxillae apice aucto et adunco singularem.

Not. 2. Capite Montanina maxime differt a P. domestico. *Fraenum* et vibrissae narium nigrae. *Vertex* rufus; *areola* alba pone oculos nulla. Deest quoque *linea* lata rufa supra oculos. *Genae* ad nucham albicant, *Aurium* macula nigra, albente halone. Tibiae magis lutescunt. *Foemina* vix dissimilis, magis decolor. *Seniores* ventre magis cinerascunt, et vertice incanescunt.

XXIX. EMBERIZAE.

In nullo genere volatilium plures species proprias et peculiares sibi vindicat Sibiria, quam Emberizarum; et quamvis singulis exquisitum pabulum determinare nunc non licet, vix tamen dubium est peculiarium plantarum, maxime alpestrium, semina has aviculas allicere, intraque Sibiriae praesertim orientalis terminos retinere, unde hyeme vix nisi penuria pabuli coactae in temperatiora, nive denudata loca demigrant, primaeque vernalium redeunt.

---

199. EMBERIZA *nivalis.*

E. alba, interscapulio remigibus primoribus, rectricibusque mediis nigris, ungue postico rectiusculo.

Passer maculatus s. tricolor Aldrovandi, *Willughb. orn. p.* 183.

Montifringilla Calcaribus Alaudae, *Willughb. orn. p.* 187. *tab.* 77. *Raj. av. p.* 88.

Fringilla spuria cum calcari Alaudae, *Willughb- orn. p.* 188.

Fringilla montana varia minor *Albin. av. III. tab.* 71.

Avis nivalis *Martens. it. spizberg. p.* 53. *tab. K. b. Edwards. av. tab.* 126.

Hortulanus nivalis, *Frisch. av: I. sect.* 2. *tab.* 6. *fig.* 1. 2. *Brisson. orn. III. p.* 285. *D'aubent. pict. tab.* 497. *fig.* 1. et forte *tab.* 511.

Linaria rubra major, *Zool. brit. p.* 110. *tab. V. fig.* 6.

Emberiza nivalis, *Lin. syst. XII. p.* 308. *sp.* 1. *Faun. su. II.* 227 *tab.* 1.

Snow-Bunting, *Latham. orn. III. p.* 161. *n.* 1. *cum varietatibus. et n.* 2. 3. *Pennant. Zool. arct. II. p.* 355.

Rossice in ipsa Rossia *Podoroschnik* (viatica avis, qui tempore degelationis praesertim vias legit, utpote primum nive nudatas, et ante itinerantes volitat); in Sibiria *Sniegir* (nivalis) et *Snjegurok* (diminutive).

Tataris Sibiriae *Kosalà.*

Vogulis *Pólsenssi;* Ostiacis ad Ob *Kersifky,* Beresoviensibus *Kerwai*; Surgutensibus *Linte* vel *Lunte*; ad Ketam fl. *Tagdan,* ad Parabel fl. *Tagyda.*

Samojedis *Laimur* et *Narai-lemsi* (verna avis).

Tungusis ad Jeniseam *Uldyùn*; Lamutis *Girbùn.*

Coraecis *Ilkyvischka.*

Camtschadalis *Tylptschutsch;* occidentalibus *Tschelaalai;* Ukinzis *Betschkatsch.*

Hae aves zonam glacialem totius mundi arctici, slyva destistutam, summaque juga alpestria, pro patria sibi elegerunt, ubi proli operam dant; a Norvagia Russiaque per omnem Sibiriam et in America boreali frequentissimae. Hyeme in istis regionibus tempestiva in mitiores latitudines depelluntur. Petropoli ad prima autumnalia frigora, Octobri et Novembri, maxime abundant; in australioribus Rossiae, ad Tanaïn et Volgam Decembri demum, nec omni anno, apparent et usque ad Februarium vel initium Martii gregariae, centenariis saepe turmis, vagantur, tumque cum *Alauda nivali*, saepe socia septentrionem repetunt et in frigidissima paludosa planitie arctica aestivant. Chersonesum tauricam nunquam adeunt etiam rigidissima hyeme. In Sibiria, quo frigidior versus orientem temperies, eo maturius in australiora migrant, et in regione Crasnojarensi ad Jeniseam jam Ootobri abundant, Alaudis praedictis atque conterraneo Passere arctico saepe consociatae. In orientali Sibiria in genere copiosiores, majores, pulcriores sunt ulteriusque ad austrum evagantur. Circa summa juga alpestria Sibiriae, per aestatem nive tecta, aestate quoque occurrunt. Etiam ex Camtschatca, pariter frigida et aprica, nunquam demigrant, et eodem, quo hyeme, habitu per integram aestatem visuntur. Habentur et in Insulis Curilis et versus Americam sitis. Ubicunque hybernant, fame coactae circa pagos et vias grana legunt et avena praesertim ad retia alliciuntur, quibus copiose pro culina capi solent. Sunt enim stolidissimae aves, simul deliciosae, Alaudis et Hortulanis haud inferiores, si saginentur. Humi praesertim versantur, per vias tritas, Alaudae instar, cursitantes perque brevia intervalla ante itineratorem volitantes, unde no-

men russicum; at in borealibus vivunt gemmis Salicum pumilarum, Betulae nanae, granis Lini, Rumicis, Polygonorum atque Caricum variorum. Cantillant, etiam hyeme; sed captae vix pipitum pulli gallinacei aemulum edunt, nec cicurantur, sed brevi pereunt. In hypocaustis detentae, quasi coecae in parietes et fenestras illiduntur, maximeque frigidos angulos quaerunt. In Campis volatu satis alto sed brevi feruntur, crebroque in nive consident, quam loco potus vorant. Quae in Rossia capiuntur, pleraeque sunt circiter unciali pondere, similes *Varietati β.* in *Fauna suecica* descriptae, unde hanc proprie Alpium norvagicarum, uti Rossicas lapponicarum, inquilinas, esse crediderim. Majores vero, pondere fere sescunciales, pulcriores et capite saepe totae candidae sunt Sibricae, eo magis, quo magis ad orientem friget borealis ora. Talesque in Sueciam Spizberga verosimillime mittit, ut Islandia in Angliam, cujus in maritimis tales hybernant. In Rossia quoque inter vulgares, ejusmodi candidiores saepe observantur, itidem forte maxime borealis orae Spizbergae et Novae terrae, cives. Mirum vero, quandoquidem per totam adeo Rossiam hyeme abundet haec avis, rarissimae in reliqua Europa apparuisse; forsitan quod ab arcto recta linea meridianis parallela migrare solet; Europae vero recta ad septentrionem sitae terrae lato Oceano diremtae sunt. In Austriam tamen hyeme gregatim venire, *Cramer* prodidit; an forte ex alpibus. In Belgio certe e Norvagia.

Descr. Differentia sexualis nulla. *Rostrum* inaequale, luteum, apice fuscescente. Character Emberizae, maxillae inf. marginibus involutis, superiore angustiore palato tuberculosa. *Nares* vibrissis albis semitectae. *Lingua* triquetro acuminata. *Corpus* niveum; *vertex* lituris ferrugineo-fuscescentibus plus minus variegatus, *uropygium* et cervix subferrugineis. Aurium plumae fuscescentes. Circulus

summi pectoris subferrugineus. Dorsum inter alas et alae spuriae nigra, plumis gryseo - albente marginatis. *Alae* albae, sed *remigum* et tectricum *intimae* dorso concolores, *extimae* sex extremo et alula atrae. *Cauda* subaequalis; rectrices utrinque tres laterales albae, nigro ad rhachin notatae, mediae sex nigrae, margine albae. *Pedes* nigri, nitidi; *unguis* posticus digito longior, subulatus, rectiusculus. — *Rossicae* plerumque *supra* totae plus minus gryseo - pallidae, fusco lituratae; *vertice* ferrugineo, *gula* sordida, *jugulo* ferruginescente, unde Varietates ab Autoribus pro diversis speciebus habitae.

Not. Zoologia britannica varietatem magis gryseam occidentalem, primum pro Linaria rubra majore delineavit; dein p. 112. repetiit justo nomine, ubi citatur *Tab X. fig.* 6. quam in tribus hujus operis exemplaribus frustra quaesivi.

200. EMBERIZA *hyperborea. TAB. XLIII. fig.* 2.

E. fusca subtus alba, pectore fusco variegato.

In terris Tschuktschicis a *DD. Merk* observata inter cujus icones figura superest quam hic adjeci. Descriptio autem nulla exstat.

201. EMBERIZA *Miliaria.*

E. gryseo fuscoque liturata, subtus albida, gula punctata, uropygio virescente.

Emberiza alba Auctorum, *Willughb. orn. p.* 195. *tab.* 40. *Raj. av. p.* 93. *Albin. av. II. tab.* 50. *Zool. brit. p.* 111. *sp.* 1. *tab. W. fig.* 7.

Calandra Bellonii, *Willughb. orn. p.* 151.

Miliaria cana, *Frisch. av. I. sect.* 2. *tab.* 6. *fig.* 4.

Cynchramus, *Brisson. orn. III. p.* 292.

Emberiza Calandra, *Lin. syst. Ed. X.*
Emberiza miliaris, *Lin. syst. XII. I. p.* 308. *sp.* 3.
Bruant de france, dit le Proyer, *D'aubent. pict. tab.* 233.
Common Bunting, *Latham. syn. III. p.* 171. *n.* 8.

Rossice *Owinnik* (horreorum avis). Malorossis *Prossaenka* (miliaria).

In Sibiria non datur et est frigidiorum regionum impatiens; sed in Rossiae australioribus primo vere et autumno copiosissime migrantem et cum *Emberiza nivali* et *Citrinella* circa horrea passim hybernantem observavi. Hybernat quotannis copiose in taurica Chersoneso, sed a subito frigore saepius enecatas inveni. Aestivat sparsim in temperatioribus; vere pinguissima, nec facile putrescens, unde in cibo commendabilis.

Descr. Est e maximis nostratium. *Rostrum* luteum apice fuscum, maxilla superiore dorso angulata; arcuata, maxime in senioribus, tuberculo palati, et convexa utrinque acie mandibulae prominentissimis. *Supra* tota colore Alaudae gryseo, liturato; *subtus* pallido-alba, in gula punctis trigonis sparsis et utrinque in seriem cohaerentibus; in jugulo lineolis longitudinalibus. *Uropygium* gryseo-virescens. *Remiges* tectricesque obsolete nigrescentes margine incumbentes apice gryseae. *Cauda* nigricans, *rectricibus* aequalibus, quarum mediae limbo toto, laterales margine apicis albicantes. Pedes e rubicundo vel flavescenti corneoli, unguibus fuscis. *Pondus* biunciale, imo supra. *Mensura* ad uropyg. 4″. 9‴. caudae 2″. 10‴. alarum expansarum 12″. 4‴. compositarum 3″. 11‴. rostri ad mandibulae basin late nudam 7‴. tibiarum 10‴.

202. EMBERIZA *Citrinella.*

E. gryseo fuscoque liturata, subtus flava, uropygio ferrugineo, rectricibus utrinque 2. cuneo albo notatis.

Emberiza flava, Gesneri, *Willughb. orn. p.* 196. *tab.* 40. *Raj. av. p.* 93. *n.* 2. *Brisson. orn. III. p.* 258. *sp.* 1. *Lin. syst. XII. I. p.* 309. *sp.* 5. *D'aubent. pict. tab.* 30.

Lutea avis, *Albin. av. I. tab.* 66.

Miliaria lutea, *Frisch. av. I. sect.* 2. *tab.* 5. *fig.* 1. 2. et varietas albo varia *tab.* 6. *fig.* 3.

Yellow Bunting, *Latham. syn. III. p.* 170. *n.* 7.

Rossice *Owsaenka* (avenaria avis).

Calmuccis *Scharmuk.*

In omni Rossia frequens, primo vere, cum Spiza et Miliaria examinans. Observata quoque per Isetensia betuleta migrans vere cum E. Pithyorno. In ulteriore Sibiria incultiore hucusque defuit. Calmucci carnem ejus comestam pro febrifugo habent.

Descr. Caput *maris* cinereo-virens, lituris flavis et linearibus fuscis, interdum totum flavissimum, lituris fusco-virentibus. *Subtus* flavissima avis, lateribus ferruginescentibus, fusco striatis. *Dorsum* scolopacinum, *uropygio* tectricibusque caudae ferrugineis. *Ala* basi supra virescens, subtus flava; *pennae* nigrescentes, *primariae* ora flavescentes, *secundariae* margine gryseo-ferrugineae. *Cauda* subforcipata, rectricibus acutis, ora albidis, versus basin flavescentibus, extimis utrinque 2. cuneo obliquo albo. *Pedes* pallidi, articulis fuscescentibus. *Feminae:* Obsoletiores et magis cinerascentes, subtus pallidae, vel levissime flavicantes, pectore cinerascente, fusco striato. *Pondus* unciale, masculis paulo majus.

203. EMBERIZA *Pithyornus. TAB. XLIV.*

E. gryseo fuscoque liturata, capite variegato, albo maculato, uropygio rufo, rectricibus extimis cuneo albo notatis.

Emberiza passerina, *Messerschm. orn. MS. III. p.* 420. *n.* 76.

Montifringilla leucocephalos, *Gmel. sen. obs. MS.*
Emberiza montana rubiginosa, *Steller. obs. MS.*
Emberiza Pithyornus, *Pall. itin. II. app. p.* 710. *n.* 22.
Emberiza leucocephalos, *Gmel. jun. Nov. Com. Petrop. XV. p.* 480. *tab.* 23. *fig.* 3. (plag.)
Emberiza capite diversimode fasciato, *Lepech. Nov. Com. Petrop. XV. p.* 486. *tab,* 25. *fig.* 1.
Pine-Bunting, *Latham. syn. III. p.* 203. *n.* 50.

In omni Sibiria ab Uralensi montium tractu usque ad Lenam in sylvis acerosis frequens avis, sed subsolitaria, primo vere (sub finem Martii) adventans gregibus parvis ex utroque sexu mixtis, sed tardiores tamen foeminae. Hominem non reformidat. In Rossia nunquam observata est; quamque *junior Gmelinus* tanquam suam dedit, descriptio verbotenus e chartis *Patrui* descripta est una cum Icone! *Mas* cantillat, voce sibila Schoenicli. Nidus haemisphaericus. *Nidificat* in arbustis gramine contexto, ubi foemina parit ova virescentia, fusco variegata. Pulli sub finem Junii. Pediculus mole insignis.

Descr. Magnitudo et habitus Citrinellae. *Rostrum* fuscum, maxilla inferiore livida. *Irides* obscurae, *Vertex* fusco-nigricans, macula in medio ovata alba (etiam foeminis) nuchaque variegata. *Tractus* per oculos ad cervicem productus, *areaque* gulae lata, triangularis-testaceo sanguinea, plus minus saturata. *Torques* alba in cervice interrupta caput varium dirimit. *Collum* inferius transversim album, saepe punctis trigonis adspersum; *Dorsum* passerini coloris. At *pectus* ferrugineo gryseoque nebulosum. *Remiges* nigrae primariae 4. lin. exter. albae, reliquae pallidae, secundariae margine latius gryseae, interiore omnes albae. *Tectrices* remigibus concolores, *secundariae* latius margine ferrugineae, apicibus albicantibus

incumbentes extus dimidiato-testaceae, apice albae, efficientes strigam obliquam. *Cauda* longiuscula, nigra, subbifurca, *rectricibus* utrinque 2. macula cuneiformi alba. *Uropygium* laete rufum, limbis albicantibus. *Foemina*: a Citrinellae foeminis, cum quibus in citeriore Sibiria miscetur, aegre distinguenda, colore Alaudae inconspicuae, *uropygio* tamen semper intensius rufo, maculaque alba verticis. *Pedes* tibiis albidis, extremis lutescentes, unguibus nigris. *Mensurae* ab apice rostri ad uropygium 4″. caudae 2″. 10‴. alarum expansarum 9″. 6‴. compositarum 3″. 3‴. *Pondus* unciale vel paulo ultra. — Similitudo, praeter caput, summa cum E. Citrinella, praesertim *foeminis*, nisi quod flavedine carent. His saepe caput obsoletissime ferrugineo notatum; plerumque tamen macula verticis insignis alba, et nucha albo variegata; taenia trans oculos obsoleta, postice fusca; arcus utrinque ferrugineus a mandibula ad tempora, genas albas includens.

204. EMBERIZA *Cia. TAB. XLV.*

E. gryseo fuscoque liturata, capite lateribus fasciato, supra ferrugineo, gula cana, rectricibus 2. extimis dimidiato albis.

Hortulanus tetragrammodes, *Messerschm. Xen. Isidis sibir. MS. n.* 2.

Hortulanus capite pulcre fasciato, *Steller. annot. MS.*

Emberiza pratensis, *Aldrov. orn. II. p.* 572. *Ionston. p.* 68. *tab.* 35. (malae) *Brisson. orn. III. p.* 266. *sp.* 3.

Cirlus stultus, *Aldrov. Willughb. orn. p.* 198. *Raj. av. p.* 94 *n.* 5?

Passeribus congener, *Aldrov. Willughb. orn. p.* 182. *Raj. av. p.* 87. *n.* 2?

Emberiza Cia, *Cramer. austr. p.* 371. *Lin. syst. XII. I. p.* 310. *sp.* 11.

Emberiza barbata, *Scopol. an. I. p.* 143.

Foolish Bunting, *Latham. syn. III. p.* 191. *n.* 27.

Rossice quoque *Duràk* (stultus) et *Duratschok* (stulticulus) appellatur.

In montibus apricis saxosis circa Jeniseam et in omni Dauuria copiosissima avis, licet in citeriore Sibiria Rossiaque nusquam apparuerit. *Stellerus* etiam ab Angara et Lena usque in Camtschatcam apricis locis abundare scripsit. Autumno per paria vel plures consociati in montibus volant, voce *zi-zi* tinnientes, et crebro consident. Mares hyeme congregantur atque circa horrea pinguescunt. Foeminae in australiora abeunt, et redeunt Aprilis initio macilentae, (: prolificationi forsitan sic aptiores :) cum foeminis Pithyorni.

Descr. Magnitudo fere Citrinellae. *Rostrum* fuscum, mandibula livida. *Caput* supra intense ferrugineum; occipite et cervice plumis pallido marginatis. *Fascia* supraciliaris alba; a naribus trans oculos nigra, usque ad aurium aream ferrugineam, sub qua denuo ductus albus, et denique a mandibula utrinque niger, versus parotides latescens. *Gula* late canescenti-alba; latera colli cana. *Iugulum* intense ferrugineum, latera, *uropygiumque* dilutius, limbis plumarum albibis, media *subtus* avis alba. *Dorsum* gryseo rufescens, fusco lituratum. *Remiges* 5 primae ora alba, proximae tantum extremo, reliquae, tectricesque rufo-marginatae universae 18. *Rectrices* 2. mediae ambitu rufescentes, proximae acutiores, nigrae, 3 — 3 apice albae, extimae utrinque 2. albae, basi obliqua et rhachi nigrae. — *Foeminae; vertex* cinereus, supra oculos ferruginescens, lituris scapinis fuscis; *area* oculorum alba, *genae* pallidae, *aures* obsolete ferrugineae; sed lori nigri vestigium nullum; tractus fusco-lituratus, loco fasciae maxillaris. Caeterum magis decolor. *Pedes* grysei, internodiis fuscescentibus. *Pondus* plus minus unciale. *Mensura* ad uropyg. 3″. 5‴. caudae 2″. 7‴. alarum expansarum 9″. 2‴. compositarum 3″. 2‴.



Emberiza fuscata P. Mas. et Fem.

Not. Auctorum descriptiones omnes, praeter brevem *Linnaeanam*, ita vitiosae, ut aegre in iis *Ciam* nostram agnoscas, quam tamen omnes innuere videntur. — Hortulanus capitis bonae spei. *Brisson. orn. III. p.* 280. *sp.* 7. *tab.* 14. *fig.* 4. vix nisi a loco mutata Cia videtur, an falso pro capensi vendita? an diversa? Gavoué de Provence, *Buffon. orn. IV. p.* 321. *D'aubent. icon. n.* 656. *n.* 1. Item mitilêne de Provence, *Buffon. orn. IV. p.* 322. *D'aubent. icon. n. 656. n.* 2.

205. EMBERIZA *fucata. TAB. XLVI.*

E. gryseo fuscoque liturata, capite cinereo, utrinque bilineato, macula suboculori ferruginea, rectricibus 2. extimis cuneo albo.

Emberiza fuscata, *Pall. itin. III. app. p.* 698. *n.* 22.

In pratis et insulis Dauuriae, praesertim ad Oronem frequens, alibi nunquam observata, nec a quoquam commemorata fuit.

Descr. Magnitudo fere *Ciae*, cui proxima. *Rostrum* productius, fuscum, versus frontem dorso angulatum. *Vertex* cum parte cervicis, cano cinereus, rhachibus fuscis. *Supercilia*, lineaque infra oculos alba. Macula *aurium*, antrorsum producta orbiculata testaceo-rufa. *Collum* subtus album, circulo maculoso fusco gulam includente; *jugulum* ferrugineum versus pectus dilutius. Reliquus color, fere ut in praecedentibus. *Cauda* ut in Citrinella. Dorsum ut in Citrinella, gryseo-ferrugineum, lituris fuscis. *Alarum* bases, uropygiumque exsoletius ferruginea. *Tectrices* caudae gryseae, ad rhaches fuscae. *Alae* fuscae, tectrices nigriores pallido, incumbentes ferrugineo, remiges gryseo marginatae. *Cauda* subforcipata nigra, rectricibus mediis gryseo-fuscis, extimis utrinque binis cuneo intrante albo, extimae latiori. *Foemina* paulo decolor. *Pedes* gryseo-albidi, *unguibus* fuscis. *Pondus* plus minus sex drachmarum. *Mensurae*

corporis 4″. caudae 2″. 1‴. alarum expans. 8″. 6‴. compositarum 2″. 8‴. *Coeca* duo minima 2‴. ab ano. *Ventriculus* coleoptoris comminutis refertus.

206. EMBERIZA *pusilla. TAB. XLVII. fig. 1.*

E. gryseo fuscoque liturata, capite nigro, fasciis quinis testaceis, rectricibus 2 extimis fascia obliqua alba.

Hortulanus minimus, ductu supraciliari albo, maxillari nigro, *Messerschm. Xen. Isid. sibir. MS.*

Emberiza pusilla, *Pall. itin. III. p.* 697. *append. n.* 20.

In sylvis et salicetis regionum transbaïcalensium et Sibiriae orientalis frequens, migratoria; saepe a tardivo frigore adventans enecatur. Victitat vere Tenebrionibus.

Descr. Vix Spino aequalis. Similitudo summa cum E. rustica, sed multo minor. *Rostrum* fusco-corneolum. *Caput* supra lateribusque variegatum fasciis longitudinalibus quinis testaceis, interjectisque nigris quatuor. Supercilia albidiora. *Macula* pone aures ferrugineas nigra. *Gula* pallida, tractu duplici fusco punctata. *Lunula* utrinque, alba, a gula versus cervicem. *Iugulum* pallidum, punctis crebris, sagittalibus. *Dorsum* passerini coloris; *subtus* albida, lateribus longitudinaliter lituratis. *Rectrices* utrinque extimae 2. fascia oblique longitudinali alba. *Remiges* 19. primariae margine exteriore pallidae, secundariae ferrugineae, at interiore omnes albae, a ad 4. extremo angustatae. *Cervix* et *uropygium* gryseo-cinerascunt, lituris fuscis. *Cauda* magis bifurca, quam praecedentis; rectrices acutiores pallido marginatae, extimae 2 fascia oblique longitudinali alba. *Pondus* drachmae sesquitertiae. *Mensura* corporis 3″. 2½‴. caudae 2″. 1‴. alarum expansar. 8‴. compositarum 2″. 7‴. Remiges intermediae aliquot obsoletissime emarginatae. *Pedes* carneo-pallidi.



Emberiza rustica P.

207. EMBERIZA *rustica*. *TAB. XLVII. fig.* 2.

E. capite nigro, strigis tribus longitudinalibus albis, rectricibus 2 extimis fascia obliqua alba.

Hortulanus atricapillus, ductu supraciliari albo, torque rubigineo, minor, *Messerschm. Hodeyet. MS.* 1724. *April.*
Pallas. itin. III. append. p. 698. *n.* 21.

Copiose ad fluvios transbaïcalensium regionum, Selengae, Udae, Cuiten, Condae, Chilok, jam Martio mense apparet in salicetis, in hoc genere nostratium minima, copiosis Schoenicli gregibus rarius se immiscens. In terra arboribusque vere considet cantillans. — Voce et volatu E. Ciae similis, inter eandem et Schoeniclum quasi media. *Stellerus* etiam in Camtschatca Majo advolantem observavit.

Descr. Magnitudo paulo infra Schoeniclum. *Rostrum* fuscescens, paulo crassius, longiusque. *Caput* vertice toto, lateribusque infra oculos nigerrimum, plumarum oris in fronte pallidis; *Nucha* albo variegata; *fascia* supraocularis a rostro ad tempora alba, tertia intermedia. Hunc pileum variegatum uterque sexus erigunt fere ut Galerita. *Gula* late alba, utrinque tractu punctorum longitudinali fusco. *Cervix* transversim ferruginea. *Iugulum* maculis sagittatis, latera oblongis, ferrugineo-rufis. *Macula* fusca in sinu sterni ipso, in maribus rarior. *Cervix* cum initio dorsi et *uropygium* cum tectricibus caudae intense rufo-ferruginea, oris plumarum pallidis; *fascia* concolor jugulum cingens. *Dorsum* inter alas plumis ferrugineis, medio nigris. *Subtus* avis alba; *hypochondria* ferrugineo longitudinaliter maculata, ut et pectoris latera. *Alae* basi ferrugineae, subtus albae, margine fusco-undulato. *Tectrices* margine ferrugineae, primariae toto apice fuscae, secundariae et incumbentes apice albae,

unde striga in alis duplex. *Remiges* nigricantes, exteriores gryseo, corpori propiores ferrugineo, interius albo marginatae, 2 ad 4. exteriore vexillo extremo angustatae, (in Schoeniclo 2 ad 5. *Cauda* vix bifurca, *rectrices* nigricantes mediae breviores, exsoletae, gryseomarginatae, 2. utrinque laterales fascia obliqua alba, extimae latiore. *Pedes* corneolo pallidi, ungue postico paulo magis elongato, quam Schoenicli. — *Foemina*: capite gryseo, fusco-liturato, macula nuchae, fasciaque supraoculari alba. Caeterum mari subsimilis. *Pondus* plus minus quinque drachmarum. *Mensura* corporis 3″. 6‴. caudae 2″. alarum expansarum 8″. 5‴. compositarum 2″. 10‴.

Not. Accedit ad hanc speciem E. *leucophrys* Americae borealis, *Forster. Act. angl. vol. LXII. p.* 403. 426. quae nomine Emberizae coronatae inde missa fuerat. Attamen icon in *Zool. arctica vol. II. tab.* 16. non omnino convenit.

208. EMBERIZA *coronata.*

E. cauda rotundata fusca, vertice nigro, media area flava.

Blakcrowned Bunting, *Latham. av. II. part.* 2. *p.* 202. *n.* 49. *tab.* 45.

In insula Kadiàk, a Rossis occupata, Americae vicina occisas misit *Amic. J. Billings.* In Sibiria nondum inventa est.

Descr. Magnitudo Schoenicli, vel paulo major. *Rostrum* crassiusculum, maxilla superiore fusca, inferior albida. *Vertex* usque ad oculos et nucham niger, media area ovali flavissima, nucha albo-maculata. *Cervix* cinerea, fusco-liturata. *Dorsum* pennis fuscis, margine gryseis; *bases* alarum rufescentes. *Uropygium* tegetesque caudae cinerea. *Collum* subtus et lateribus, jugulumque cinerascente cana; *pectus* et venter cinerascente albida. *Alae* uropygium paulo excedunt: *remiges* omnes fuscae, ora grysea; *tectrices* se-



Emberiza Chrysops. P.

cundariae et incumbentes latius gryseo marginatae, apice albae. *Caudu* longiuscula, rotundata, rectricibus omnibus fuscis. *Pedes* pallidi. — In *altero sexu*: nigredo verticis obsoletior, vix ad nucham extensa, gula cano liturata; reliquo simillima; *Statura* paulo minor. — Differt ab E. *Chrysophri*, cui a dorso et nucha albo maculata persimilis, quod genae et gula non albae, nec nigro punctatae, colore cano colli et pectoris, et maxime cauda. — *Mensura* caudae 2″. 6‴. ulnae alarum 2″. 11‴. tibiae 1″. digiti ant. medii cum u. 11‴. postici (cum u. 2½‴.) 6‴.

209. EMBERIZA *Chrysops. TAB. XLVIII. fig.* 1.

E. vertice variegato, superciliis flavis, cauda subfurcata fusca.
Sandwich Bunting, *Latham. av. II. part.* 2. *p.* 202.
Unalaschka Bunting, *Penn. arct. Zool. II. p.* 363.

Canagice appellatur *Tschacktuk.*

In insula Unalaschka occisam misit *Jos. Billings.*

Descr. Magnitudo infra Schoeniclum. *Rostrum* fuscum, maxilla inferiore albida. *Verticis* plumulae longitudinaliter nigrae, uno margine lutescentes, altero pallidae. *Supercilia* usque ad rostrum, et cum palpebra inferiore flava. Latera capitis pallida, fusco-variegata. *Cervix* cinerea, fusco liturata. *Dorsi* plumae longitudinaliter nigrae, lateribus gryseae, apice utrinque albido-lituratae. *Subtus* avis alba, *gula* punctis et utrinque lineola longitudinali. Abdomen immaculatum. *Alae* longiusculae; *remiges* primariae ora canae, secundariae lutescente marginatae; *tectrices* margine gryseo-luteae, ora canescentes; *incumbentes* apice vix albae. *Cauda* subfurcata, mediocris, fusca, rectricis extimae ora albida. *Pedes* majusculi, pallidi; *ungue* postico tenui, longiusculo. Ulna alarum 2″. 7‴. cauda 1″. 10‴. tibiae 10‴. digitus anticus cum ungue 9‴. posticus (cum u. 4‴.)

$7\frac{1}{2}'''$. Affinis sequenti, attamen characteribus, evidentibus, praesertim cauda et ungue postico diversa.

210. EMBERIZA *Chrysophrys. TAB. XLVIII. fig. 2.*

E. vertice nigro striga albida, superciliis flavis, rectricibus 2. extimis fascia obliqua alba.

Emberiza Chrysophrys, *Pall. itin. III. append. p.* 698. *n.* 25.

Cum E. pussilla circa jugum alpinum Dauuriae in salicetis intermontanis et larycetis praesertim observata; minus frequens.

Descr. Magnitudo Schoenicli. *Rostrum* fuscum, maxilla inferiore albida. *Caput* nigrum, fascia alba a medio vertice ad nucham. *Fascia* supraciliaris, ab oculo ad nucham, cum plumulis polpebram inferiorem tegentibus, pulchre citrina, circa cujus finem dilatatum, liturae aliquot albae circa aures. *Area* lanceolata alba a maxilla inferiore parotides occupans, quam fascia nigro punctata distinguit a gula alba, punctis minutis sagittatis adspersa. *Jugulum* e gryseo-albet, lineolis nigris sparsum; latera magis grysea lituris scapinis fuscis. *Abdomen* cinerascente album. *Cervix* et *uropygium gryseo-cinerascunt*, dorsum lituris ferrugineo-nigris. *Remiges* fusco-nigrae, rhachibus atris, margine pallidae, ut et plumae tectoriae. Tectrices et incumbentes apice albae, unde striga alarum duplex. *Cauda* bifurcata; *rectrices* subacutae mediae gryseo-fuscescentes, extimae 2. utrinque fascia obliqua alba. *Pedes* corneoli. *Pondus* drachmas 5. excedit. *Mensura* corporis 3″. 4‴. caudae 2″. 3‴. alarum expansarum 8″. 8‴. compositarum 3″. In *Foemina* fascia alba capitis obsoletior. *Supercilia* linea alba cingunt occiput. Area *aurium* grysea, cincta ductu albo a maxilla longitudinali, dein versus supercilia reflexo, cui postice adjacet litura linearis nigra.



1. Emberiza coronata. P. 2. Emb: chrysophrys. P.

211. EMBERIZA *Schoeniclus.*

E. gryseo fuscoque liturata, capite nigro, collari, rectricibusque 2. extimis fascia obliqua albis.

Iunco Turneri, *Gesn. av. p.* 573.

Passer arundinaceus auctorum, *Willughb. orn. p.* 196. *Raj. av. p.* 93. *n.* 3. *Zool. britan. p.* 112. *sp.* 3. *tab. W. fig.* 1. Femina, 2. Mas.

Emberiza arundinacea, *Albin. av. II. tab.* 51.

Passer atricapillus torquatus, *Frisch. av. I. sect.* 2. *tab.* 7. *fig.* 1. 2.

Hortulanus arundinaceus, *Brisson. orn. III. p.* 274. *sp.* 5. *D'aubent. pict. tab.* 247. *fig.* 2. mas; *tab.* 497. *fig.* 2. foemina.

Emberiza Schoeniclus, *Lin. syst. XII. p.* 311. *sp.* 17.

Reed-Sparrow, *Latham. syn. III. p.* 173. *n.* 9.

Rossice *Kamyschewoi* et *Trostaenoi Worobéi* (Passer arundinum s. Iuncorum) et *Kamyschnik.*

In arundinetis australioribus Rossiae et Sibiriae ubique frequens. Insecta vermiculosque magis quam grana legit. Hyeme demigrat, sed inter primas vernales redit. Valde pinguescit. Subgregaria, praesertim cum migrat. *Nidus* Schoenicli, observante *Messerschmidio* in dauurica varietate, humi inter fruteta haemisphaericus, graminosus, pilis mollibus stratus. *Ova* 5. cinericia, lineolis pulverata.

Descr. Vulgaris Rossiae et Europaeo similis Schoeniclus sic habet: *Magnitudo* infra Passerem domesticum. *Rostrum* mediocre, superiore maxilla subarcuata. *Caput maris* atrum, sed *parotides* albae; nigredo a gula per collum descendit longitudinaliter usque ad

jugulum, oris plumarum albicantibus. Caetera subtus alba. *Foeminae* caput nigret, sed plumae omnes, praeter verticem, gryseo marginatae. *Dorsum* et *alae* passeris, plumarum margine ferruginescente; sed *bases alarum* plane ferrugineae, subtus albae, ut et margo remigum interior. *Uropygium* et tectrices caudae canae, apicibus subgryseis. *Cauda* subforcipata; *rectrices* mediae marginibus gryseae, reliquae nigrae, sed extimae utrinque 2. extremo fascia obliqua alba notatae, hisque proxima extremo ora alba. *Pedes* cornei, *unguibus* nigricantibus. *Pondus* a drachmis 5. ad 7. variat.

β. In regionibus transbaïcalensibus, praesertim circa Selengam, in salicetis, jam Aprili gregatim abundat *varietas* quam sequentibus a vulgari diversum descripsi. *Caput* supra et lateribus nigrum, occipite et temporibus pallido variegatis; *fascia* alba a rostro per parotides cervicem totam ambiens, quibusdam fulvescens vel flavescens. *Gula*, ut in priore, ad jugulum longitudinaliter atra, limbis plumarum passim pallidis. *Subtus* alba, hypochondriis passim lutescente inquinatis. *Dorsi* plumae medio nigrae, utrinque albo-pallidae. *Remiges* item margine exteriore pallidae, limbo passim albae; *tectrices* secundariae margine undique pallido, incumbentes apice albae. *Bases alarum* cinerascenti-canae; *uropygium* album, *tectrices* caudae subgryseo lituratae. — (quibus praecipue differt.) *Cauda* subforcipata, *rectrices* 2. mediae gryseo-albidae, medio longitudinaliter fuscae, extimae utrinque 2. extremitate oblique albae, rhachi tamen fusca; reliquae nigrae, apicis ora albicante. *Pedes* corneoli, digitis fuscis. *Foemina*: *capite* gryseo lutescens fusco-liturata; *superciliis* albicantibus; *gula* flavescenti-alba, arcu oblongo e lituris fuscis sparsis. Dorsi alarumque color magis lutescens quam in mare; uropygium flavescenti-album; hypochondria lituris linearibus ferrugineis. *Pondus* circiter semunciale; feminis paulo minus. *Mensura* ad

uropygium 3″. 3‴. caudae 2″. 3‴. alarum expansarum 8″. 2‴. compositarum 2″. 8‴. rostri 4‴. tibiae 7½‴. dig. ant. medii (c. u. 2‴.) 8‴. postici (c. u. 2½‴.) 5½‴. — An haec specie distinguenda?

212. EMBERIZA *pyrrhuloides. TAB. XLIX. fig. 1.*

E. rostro conoideo, capite atro, supra cano fuscoque liturata, subtus alba.

Haec tantum in australibus ad Volgam et Rhymnum, versus mare caspium aestivat, praecedente major, speciosior, et in borealiores regiones non migrat, sed intra caspici deserti limites subsistit, ibique nidificat, ubi Schoeniclus tantum transvolans vere et autumno apparet.

Descr. Ad primum vultum similitudo summa cum Schoeniclo. Sed ante omnia differt *rostro* crassiore, subadunco fere Pyrrhulae. *Magnitudo* supra Schoeniclum. *Caput* nigerimum, nigredine magis per collum producta. *Color* supra canus, lituris longitudinalibus fuscis. *Remiges* ferrugineo marginatae. *Subtus* tota alba. — *Foeminis* plumae capitis gryseo - marginatae, ut Schoeniclo. *Pondus* unciali plerumque majus. *Mensura* ad uropygium 3″. 9‴. caudae 2″. 8‴. alarum expansarum 9″. 4‴. compositarum 3″. 2‴.

213. EMBERIZA *passerina.*

E. gryseo - fuscoque liturata, capite gryseo nigroque vario, superciliis pallidis, rectricibus 2. extimis oblique dimidiato - albis.

Cirlus stultus tungusicus, *Messerschm. orn. MS. V. p.* 703.
Emberiza passerina, *Pall. itin. I. append. p.* 456. *n.* 10.
Latham. syn. III. p. 196. *n.* 35.

Passim in australibus apricis Rossiae et Sibiriae migrationis tempore, at in borealibus, circa Beresovam v. gr. aestata observata

fuit. Abundabat praesertim in rupestribus circa lacus inter Jeniseam et Yjus fl. sitos, sub finem Augusti.

Descr. Facies Schoenicli, cui in universum valde similis, sed minor. *Rostrum* exiguum, fuscum, maxilla inferiore basi albida. *Caput* vertice gulaque plumis disco nigris, margine lutescentibus maculosum. *Striga* superciliaris a rostro ad tempora pallida, supraque illam tractus ferrugineus, in altero sexu obsoletus. *Aures* gryseo-fuscescenses. *Dorsum* gryseo-pallidum, fusco longitudinaliter lituratum, *subtus* avicula alba; *jugulum* pallidum, fuscescente striatum, *hypochondria* ferruginea. *Bases* alarum dilute ferrugineae; *tectrices* secundariae nigriores, margine, incumbentes apice ferrugineae. *Remiges* fuscae, *primariae* limbo gryseae, 2 — 5 extremo angustatae; *secundariae* margine lutescentes. *Cauda* longiuscula, subbifurca; *rectrices* mediae utrinque 2. extremitate oblique albae, praeter rhachin fuscam, reliquae nigrae apice alba marginatae. *Pedes* pallidi. *Pondus* drachmarum 4. ad 4½. *Mensura* ad uropyg. 3″. 4‴. caudae 2″. 6‴. expansarum alarum 8″. 10‴. compositarum 2″. 10‴. rostri 4‴. tibiarum 8½‴. digiti medii (c. u. 2½‴.) 8½‴. postici (3‴.) 5½‴.

214. EMBERIZA *Hortulanus.*

E. gryseo-virescens, subtus ferruginea, palpebris gulaque flavescentibus, rectricibus utrinque 2. cuneo, extimis margine albis.

Hortulanus auctorum, *Willughb. orn. p.* 197. *tab.* 40. *Raj. av. p.* 94. *n.* 6. *Brisson. orn. III. p.* 269.

Miliaria pinguescens, *Frisch. av. I. sect.* 2. *tab.* 5. *fig.* 3. 4. (minus bonae).

Ortolan, *Latham. syn. III. p.* 166. *n.* 6.

In australibus Rossiae, maxime circa Tanaïn et Volgam in fruticetis et arbustis per aprica loca frequentissima, cum *Musc. Atrica-*

pilla adventans Aprili, et ibidem nidificans. Hominem non reformidat, brevique modulo cantillans crebro exauditur. In Sibiria quoque, ad Altaïcos montes et Irtin, parcius, nusquam vero ultra Obum, in orientalioribus, observata est. Semina Panici aliorumque graminum et compositiflorarum amat.

Descr. Magnitudo fere supra Citrinellam. *Rostrum* gryseum, apice fusco, paulo majus quam in affinibus; *nares* insignes fornicatae. *Vertex* et *cervix* tota cinereo-flavent, seu virescunt; *gula* flava, strigis duabus fuscis a maxilla descendentibus, subparallelis; *Circulus* oculorum plumaceus, pallide flavescens. *Dorsum* gryseum, fusco-lituratum; *uropygium* gryseo-flavescens, vix rhachibus fuscis. *Pectus* a jugulo canescente obsolete ferrugineum, alvo sensim dilutiore, ut quibusdam *crissum* et subcaudales flavescant. *Genicula* pedum in omnibus flava. *Remiges rectricesque* fuscae, margine gryseo-albicantes. *Tectrices* secundariae nigriores, margine latius coloratae. *Rectrices* utrinque 2. cuneo interioris vexilli albo, extima etiam margine externo medio alba. *Pedes* grysei. *Foeminae* simillimae maribus, nisi quod in jugulo punctis, perque latera lineolis fuscis liturata. *Pondus* drachmarum 6. et ultra, non ad 7. *Mensura* ad uropyg. 4″. caudae 2″. 9‴. alarum expansarum 10″. 4‴. compositarum 3″. 4‴. rostri 6‴. tibiarum 9‴. eademque medii digiti cum ungue.

Not. Icon *D'aubentoniana tab.* 247. *fig.* 1. avibus nostratibus haud convenit.

215. EMBERIZA *spodocephala. TAB. XLIX. fig.* 2.

E. capite colloque cinereis, dorso liturato, pectore pallescente, rectrice utrinque extima fascia obliqua alba.

Hortulano congener, spodocephalos, hypoxanthus, *Messerschm. Xen. Isid. n.* 87.

Emberiza spodocephala, *Pall. itin. III. append. p.* 698. *n.* 24.

Circa torrentes alpinos Dauuriae primo vere saepius observata, solitaria.

Descr. Hortulano minor. *Rostrum* albidum, supra longitudinaliter fuscum. *Areola* inter rostrum et oculos, plumaeque circa maxillam infer. atrae. *Caput* collumque totum usque ad jugulum canocinerea. Circulus fuscus circa oculos. *Pectus* cum abdomine pallidissime flavum, ut et alae subtus. *Hypochondria* lituris aliquot longitudinalibus fuscis. *Remiges* nigricantes, margine gryseo-lutescente; *tectrices* secundariae et incumbentes margine flaventes, apice albae, unde striga duplex alarum. *Cauda* subforcipata. *Dorsum* lituratum, gryseum. *Rectrices* 2 mediae gryseae, extima utrinque fascia obliqua alba. *Pedes* corneoli, articulis unguibusque cinerascentibus. *Pondus* inter 4 et 5 drachmas. *Mensurae* corporis 3″. 2‴. caudae 2′. 4‴. alarum expansarum 8″. compositarum 2″. 7‴. —

216. EMBERIZA *Aureola*. *TAB. L.*

E. supra testaceo-rufa, subtus flavissima, facie nigra, basi alarum, fasciaque rectricum lateralium alba.

Hortulanus spadiceo-luteus, torquatus, *Mus. Petropol. I. p.* 398. *n.* 513. *seq.*

Emberiza Aureola, *Pall. itin. II. append. p.* 711. *n.* 23.

Emberiza superne rufa, subtus flava, *Lepech. Nov. Com. Petr. XV. p.* 485. *tab.* 25. *fig.* 1.

Fringilla pinetorum, *Lepech. itin. II. Gmelin. syst. lin. II. p.* 926. *sp.* 98.

Yellow breasted Bunting, *Latham. syn. III. p.* 201. *n.* 46.

In populetis et salicetis totius Sibiriae frigidioris, ab uralensi jugo, usque in Camtschatcam frequens avicula, estque e pulcherri-

mis borealibus; copiosior in orientalibus, Vox fere Schoenicli et modulatio brevis. Nidulatur humi mense majo. *Nidus* haemisphaericus, e graminibus cyperoideis et Lycopodio textus, intus Larorum plumis et pilis Capreae et Alcis stratus. *Ova* 5. glauco coerulescentia, maculis cinereo-fuscis. *Vescitur* coleopteris minioribus.

Descr. Magnitudo fere Schonicli. *Irides* avellaneae. *Vertex, cervix, fasciaque* jugulum cingens, et *dorsum* totum spadicei seu testaceo-rufi, intensi coloris. *Plumae* circa nares, ambitus oculorum et *gula* atra. Reliqua *subtus* avis pulcherrime citrini coloris. *Hypochondria* fusco-striata; *crissum* albet. *Alarum* bases imae fuscae, hinc late albae, sed tectrices remigesque nigricant, margine rufescente. *Cauda* subforcipata; *rectrices* utrinque 2. obliqua fascia alba notatae. *Pedes* gryseo-pallidi. In *Foeminis* omnia exsoletiora, imo saepe obseletissimi colores. *Pondus* 5. ad 6 drachmarum, vel paulo ultra. *Mensurae* corporis 3″. 5½‴. caudae 2″. 2‴. expansarum alarum 8″. 6‴. compositarum 2″. 9½‴.

217. EMBERIZA *rutila. TAB. LI.*

E. subtus flavissima, capite collo uropygioque sanguineo rufis, rectrice utrinque extima tractu albido obsoleto.

Emberiza rutila, *Pall. itin. III. append. p.* 698. *n.* 23.

In salicetis Dauuriae rarius, neque praeterca ullibi observata, nec a quoquam praedecessorum in Sibiria commemorata. Observata primum tempore migrationis vernae ad Kulussutai.

Descr. Magnitudo Citrinellae. *Rostrum* fuscum. *Caput*, collum totum, *uropygiumque*, masculis etiam dorsum, intense sanguineo-rufa; subtus a jugulo ad caudam flavedo pulcherrima citrea. *Alae* et in *foeminis* dorsum, colore passeris. *Remiges* 18. nigricantes, ora exteriore grysea, interiore margine albo. *Tectrices* secundariae mar-

gine gryseae; *intimae* remiges tectricesque rufo marginatae. *Cauda* subbifurca, cum suis tectricibus gryseo-cinerea; *rectrice* utrinque extima tractu obliquo, obsolete albo. *Pedes* corneoli. *Pondus* fere drachmarum quinque. *Mensura* corporis 3″. 2‴. caudae 2″. 2‴. alarum expansarum 8″. compositarum 2″. 9‴. *Foeminae* caput, dorsumque ferrugineo et pallide gryseo varium; gula albida, ferrugineo nebulosa. Dorsum lituris fuscis. *Uropygium* intense ferrugineum. Subtus color sulphureus, ut in mare.

ORDO. IV.

PULVERATRICES.

Pulveratricum vel Gallinacearum Familia ita naturalis est, ut a primis inde Ornithologiae incunabulis agnita et adoptata omnibus fuerit, non solum a Zoologis, sed et a venatoribus, imo a rudi plebe. Tanta enim omnium hujus *ordinis* avium est convenientia in toto corporis habitu, partibus externis, moribus et vitae genere, ut *Kleinio* etiam in unum omnes *genus* conjungi posse visae sint; quod equidem, contra aequabilitatem methodi naturalis, nunquam satis commendandam et inculcandam, peccatum, altero etiam auxit, dum Columbas quoque, ut supra dixi, alienum plane ab hoc ordine genus, Pulveratricibus pariter inseruit.

Pulveratricum omnia genera inter se conveniunt *corpore* gravi, minus ad volandum, quam ad cursum apto; ideoque *pedibus* robustis, carnosis, duris, ad terram movendam aptis, quibus in oeconomia

Naturae plantarum sationi non parum prosunt; *rostro* conoideo, convexo, brevi, obtusiusculo; *lingua* cartilaginea; *ingluvie* pabulum emolliente, *ventriculo* lapillis triturante carnosissimo, appendicibus *coecis* intestini sat magnis, geminis, *musculis* pectoralibus et femoralibus omnium avium robustissimis et culinae aptissimis, inter se conveniunt. Conveniunt etiam *polygamia* et zelotypia marium, *foecunditate* foeminarum et *incubatu* iis solis demandato, neglectu nidi, *pullis* statim ab ovo oculis pedibusque utentibus et lanugine vestitis, quod cum Grallis et Palmipedibus commune iis est, demum et *variegatione* colorum, *ornatu* et pulcritudine, ut et *voce*, in virili sexu majore, ossibus denique solidioribus, quam avium volatui, aptiorum, aliisque minutiis. Praesertim vero communem et ab omnibus aliis avium ordinibus diversum morem affectant eo, quod, pro depurando corpore et plumis, non aqua lavent, sed terra mobiliore vel arena *pulverentur*, unde antiquioribus jam *Pulveratrices* appellatae fuerunt. Praetereo alia non omnibus, attamen plerisque generibus convenientia, ut nuda *cutacea* ornamenta capitis, *calcaria* pedum, praesertim maribus ad pugnam data, *plumas* corpus obvestientes, alia *pluma lanuginosa* duplicatas et saepe intermixtas *pilis*, similiaque, tamen omnia naturalem affinitatem indicant.

Aliqua inter *Grallas* genera, *Otis* praesertim et *Struthio*, magnam cum *Gallinaceis* affinitatem produnt, et quasi transitum unius familiae ad alteram faciunt. Attamen potioribus characteribus ad ordinem Grallarum reducenda sunt, ut infra suo loco dicetur.

XXX. TETRAONES.

Genus Tetraonum, ut in omni orbe copiosissimum inter Pulveratrices, ita et apud nos numero specierum exsuperat, et praeter omnes Europae proprias, aliquos adhuc habet nostrae Faunae peculiares. Naturaliter in duas phalanges discedit hoc genus, nempe *Lagopodas*, tibiis et saepe digitis pluma adopestis, et *Perdices* gymnopodas, quarum aliquae pedes habent calcaratos. Imo si posceret olim specierum numerus et facilior distinctio, duo genera, distinctis sub nominibus inde formari possent.

218. TETRAO *Urogallus.*

T. tibiis plumosis, cauda rotundata multipenni, axillis discoloribus albis.

Urogallus et Grigallus, seu Tetrao major Auctorum, *Willughb. p.* 123. *tab.* 30. *Raj. av. p.* 53. *n.* 1.

Gallus et Gallina sylvestris moscovitica nigra, *Albin. av. II. tab.* 29. 30.

Urogallus major, *Frisch. av. tab.* 107. mas 108. foemina. *Brisson. orn. I. p.* 182. *sp.* 1.

The Grous, *Penn. Zool. brit. p.* 84. *tab. M.* más *M**. foemina (pulchre). *Zool. Arct. II. p.* 312. *Latham. syn. IV.* 729.

Tetrao Urogallus, *Lin. syst. XII. I. p.* 273. *sp.* 1. exclusa varietate β?

Tetras, *Buffon. orn. II. p.* 191. *tab.* 5. pulchre.

Rossis *Gluchoi Téter* (: Surdus Tetrao :) vel *Gluchàr* (:Surdaster:) Tataris *Soïr;* Baschkiris *Sojer,* femina *Bos-Sojer* (:variegata Tetrao :); Tomskiensibus *Seléh*; Iacutis *Kara-ulàr.*

Siraenis Permecis *Doschmar*; Morduanis *Siisi*; Votiacis *Dukujà*; Tschuvaschis *Usàn*; Vogulis Sosvensibus *Schümlgolm*; aliis *Schemel-Njalwu*.

Ostiacis Beresoviensibus *Piti-Luk*, femina *Chandscheng-Luk*; Surgutensibus *Kantscham-Lung* et *Isig-Lug*.

Laak-Ostiacis ad Narym *Senge*; foemina *Suiwa*; Deng-Ostiacis *Dyd*; Tubinzis *Yi*: Esthonis *Metsis*; Lettonice *Meddens*.

Mongolis *Chorr*; Buraetis *Gorr*; Callmuccis *Churr*.

Tungusis *Oróki*; Lamutis *Oráki*.

Camtschadalis *Kúnagta*; occidentalibus *Tgaatsch* et *Tkakàn*, Coraecis *Kynátu*.

In totius Rossiae et Sibiriae sylvis acerosis, praesertim borealibus copiosus, unde nec hyeme demigrat. Vivit baccis Vacciniorum, praesertim Oxycocci, Arbutorum, Iuniperi, summitatibus Andromedae polifoliae semper virentibus, et Abietis atque Pinastri turionibus, quorum resinam carnes saepe fortiter sapiunt. *Mares* plerumque *polygami*, unus sex vel septem foeminis. Pruriunt per aliquot hebdomades praesertim Martio, vel si hyems duret, Aprili; uno semper et quotannis eodem loco, selecto quodam arboris trunco insidet Mas alternatim clocitans et sibilans, clausis oculis, aeque surdus ac coecus ad venatorem, imo ne sclopo quidem terrendus, interdiu cum foeminis ad pastum evolat, noctu ad nuptiarum locum redit, et secunda post mediam noctem hora incipit clocitare, ut foeminas convocet, nec ante dicitur e trunco suo descendere, quam orientem solem viderit, tumque coactas et circa arborem glocitantes foeminas init. *Foeminae* humi, passim inter arbusta, incubant 10. ad 12. ovis, et exclusi pulli statim discurrunt, post aliquot menses deliciosissimi pro Apiciorum mensibus. Stupida caeterum est avis, adeo ut casu interdum, velut demens, ad oppida vel pagos accedit: Crasnojari ad

Jeniseam Septembri 1772. in medium forum advolans manibus captus et vivus ad me delatus fuit Urogallus, cui insertum thermometrum sanguinis calorem indicavit 107°. Farenheitianorum. Jeniseae accolae noctu, ad accensas faces, in sylvis quasi adtonitos Urogallos fustibus caedunt. Ostiaci ad Obum noctu retia piscatoria sua in sylva ad 2 orgyarum a terra altitudinem suspendunt, in quae plurimi involant, et sic copiose capiuntur, vilissimo ibi pretio venales. Gentiles Sibiriae solent etiam, ad capiendos Urogallos, ripas sylvosas fluviorum bacillis humili sepimento claudunt, passim relicto transitu, ubi laqueos statuunt, quo plurimi intricantur et strangulantur transituri ad ripam, ubi glaream legant pro trituratione ciborum, quod summo mare facere consueverunt. Maximi ad Jeniseam Urogalli vocantur *Kopàl.*

Not. 1. *Pondus* majoribus Urogallis X. ad XI. librarum, foemina minor. *Rectrices* 20. foeminae 18. *Remiges* 30. Iuniorum color, ut foeminis. *Cystis* conspicua nulla. *Intestinum* octopedale; *coeca* 45 pollicum, undecim poll. distantia ab ano, seorsim in gyros contorta, striis septem longitudinalibus, quibus intus respondent *plicae* totidem villosae, productae. *Trachea* mari in sinu sterni flexuosa. *Plumae*, ut in affinibus, duplicatae; sub singula nempe pluma externa colorata, ex eodem scapo prodit plumula dimidio brevior, tota lanugiosa, colore et textura lanuginis majoris plumae. Musculi vermiformes quae in mare pruriente linguam et laryngem plane in fauces retrahunt, et denuo educunt, cum structura glottidis, notatu dignissimi.

— 2. *Messerschmidius minorem* statuebat *varietatem* Urogalli, cujus foeminam describit: 6 ad 7 librarum pondere, rectricibus 18. nigris non fasciatis, quarum 8. mediae apice albae, omnes extus ferrugineo irroratae. *Subcaudales* nigrae, apice albo. Remiges 18.

Cutis sublingualis non, ut in majori Urogallo, villosa. Russis *Kamenoi Gluchar* (Urogallus rupestris) vocatur. Caeterum similis. Mihi magnitudo pro aetate variare visa est.

OBSERVATIO.

Stellerus adnotavit in adversariis, dari circa *Uth* fluvium in Oceanum orientalem influentem, *Tetraonis* speciem peculiarem, moribus Tetrici similem, Abietis turionibns victitantem, quae gregatim arboribus insideat atque adeo sit stupida, ut laqueo e virga suspenso et collo injecto, si unum detraxeris, non avolent socii. Rossis Iacutensibus et Udensibus sub nomine *Dikuschka* noti sunt, a Iacutis *Tschaangi-Kurtuyaga* (: Urogalli rupestres :) appellantur. Hunc mihi, licet data opera, nondum mihi procurare potui; seriores observatores manet. Quae de illo refero, videntur in *Tetraonem canadensem* quadrare (: *Conf. Forster* in *Act. angl. vol. LXII. p.* 389. An cum *Urogallo minore Messerschm.* quem is ad inferiorem Tunguskam praesertim observavit, forte idem?

219. TETRAO *Tetrix. TAB. LII.*

T. tibiis hirsutis, cauda bifurca (mari), rectricibus nigris.

Tetrao seu Urogallus et Grygallus minor, auctorum, *Willughb. orn. p.* 174. *tab.* 31. *Raj. syn. av p.* 53. *n.* 2. *Albin. av.* I. *tab.* 21. *Frisch. av. tab.* 109. mas 6. foemina. *Zool. brit. p.* 85. *tab. M.* 1. Mas, *M2.* foemina. *Latham. syn. IV. p.* 733.

Lagopus Urogallus minor, *Brisson. orn. I. p.* 186. *sp.* 2.

Tetrao Tetrix, *Lin. syst. XII. I. p.* 186. *sp.* 2.

Tetras minor, *Buffon. orn. II. p.* 210. *tab.* 6. *D'aubent. pict. n.* 172. Mas 173. foemina.

Rossis *Teterew*: Mas *Kosez* (: falcator :), Kosatsch; foemina *Po-*

lucha, *Polnik*, *Kopolicha*, *Teter polewoi*, *Kossatka*. Malorossis *Teterwak*.

Tataris *Kürtlük* s. *Kurtuk*, Mas *Karà-Kurtuk*; Baschkiris *Kur*, *Kurtluk*, *Osan*, *Usun*, foemina *Bos-usun*; Chivinzis et Bocharis *Chubarytsch*; Iacutis *Ulàr* et *Kurtuyaga*; mas *Korà-Kurtujàk*, foemina *Tyhssi-Kurtùyak*.

Calmuccis *Buchurganà*; Mongolis *Chorò*.

Morduanis *Kernalmen*; Siraenis *Tàr*; Permaecis *Dosmor*; Vogulis Sosvensibus *Kolm* vel *Kaalme*; reliquis *Njalwoi*, foemina *Iétri*; Ostiacis Beresoviensibus *Kutur*, foemina *Ietri*, ad Irtin, *Iittera*; ad Surgut *Ieterke*; ad Narym *Kyng*. Lettonice *Rubbens*, Esthonice *Tedder*.

Tungusis *Bulbuki* foemina *Narym*; dauricis *Ccoróki*; ad Jeniseam *Onon*.

Samojedis *Luk*; Laak-Ostiacis Samojedicae stirpis *Kuk*; Caragassis *Elei*.

Tangutis *Sirà* mas, foemina *Simong*.

Iaponice *Kushi*. Armenis *Tscholigaf*.

Itidem et haec per omnem Rossiam et Sibiriam in sylvis maxime betulinis et populneis abundat, temperata etiam in regione, hyeme ad paludem usque Maeotin descendens, nunquam in Tauricam Chersonesum. Subgregaria avis neque regionum maxime borealium hyemes reformidans. In arboribus considere, ubi etiam nuptias celebrant post ortum solis, Aprili mense per plures hebdomades (6 ad 7.). *Mas* polygamus, pruriens cauda superbit. Pugnant acriter pro foeminis. Cucuriunt ante ortum solis, et adulta die desinunt, longe exaudiendi. *Nidus* in betuletis humi, e virgultis et gramine congestus; *ova* 10 ad 12. gallinaceis minora, lurida, maculis punctisque spadiceis, pondere ad summum unciae cum sesquidrach-

ma. Incubat 4 septimanis. *Pulli* statim ab ovo discurrunt et avolante matre inter herbas et virgulta sparsim delitescunt. Victitant Tetrices baccis et granis variis, iulis, gemmis tenerisque ramulis betulinis, populneis, in Rossia etiam glandibus quernis; in acerosis sylvis saepe pinuum turionibus, unde resinosum sapit caro; ad Jeniseam et in Dauuria hyeme praesertim inhiant Populi balsamiferae gemmas magnas iuliferas, balsamo obductas, unde tunc interanea fragrantissima et imprimis sapidae carnes. Ventriculi odor in his avibus semper quasi vinosus. In Sibiria inde a Decembri, sub alta nive cuniculis latent, nocturnaque venatione a rusticis taedam accensam ferentibus occiduntur fustibus, vel rete injecto capiuntur. Sed non sub nive torpent. Stolidae caeterum sunt aves: effarctis exuviis sui similium facile alliciuntur et ex insidiis occiduntur; vel in area avena conspersa, valvatis retibus operiuntur, quod maxime in Casaniensi regno fieri solet. Circa Uralenses montes et in Sibiria capiuntur decipulis vario baccarum genere inescatis, vel statuuntur in betuletis, quae frequentant, tubus subinfundibuliformis, humana altitudine, e sesqui pedali diametro, contextis baculis factus, cujus aperturam occupant circuli duo decussati, circa axem versatiles, spicis frumenti alligatis obsiti, quorum semper unus semicirculus superiora spectat: prope statuitur in furculis ejusdem altitudinis transversus baculus itidem aliquot spicis ornatus, quibus alliciantur Tetrices et postquam in cum considerunt et grana degustarunt, unus post alterum insilit in extantem semicirculum, qui statim a pondere avis circum axem vertitur et avem in cylindrum praecipitat, alio tunc semicirculo sursum verso; et ab his alternantibus circulis saepe sex pluresve aves in Cylindrum dejiciuntur, unde evolare rursum non possunt, accedenti venatori vivi in praedam cessuri (conf. *Itinerar. nostri vol. II. p.* 52. *tab.* 2.). Exponuntur etiam in Sibiria ad betu-

las perticae cum transverso supra asserculo, cujus extremitatibus alligatur fasciculus spicarum, et ante illam laqueus tenditur, ut avis, dum spicas appetit, capite illaqueata capiatur.

Not. 1. *Iuniores mares*, anniculi, plumas verticis limbis gryseis, colli albidis subundulatas habent, minus speciosi, in angulo maxillae guttula alba notati, quod itaque non est signum triennium, ut ex *Actis Breslaviensibus* allegat *Buffonius*. Scapulares plumae et uropygium itidem pallide gryseo subtiliter pulverata. — *Seniores* superbae plumarum nitore sunt aves et inter boreales, praesertim hybernas, facille pulcherrimae. Sunt enim et majores et plumosiores, plumis strictissimis splendidae, superciliis turgidioribus, ruberrimis, corporis nigredine aterrima et intemirata; capite praesertim, praeter palpebram inferiorem et plumulam unam vel alteram in angulo maxillae albam, nigerrimo; juguli coeruleo splendore fulgidissimo, totoque habitu decori. Sed cum vita aliqua pars pulcritudinis perit, plumae non amplius aeque laevigatae scintillant, collabuntur palpebrae, vigor omnis formae abit. — *Pondus* maribus vulgo 5 librarum medicarum esse solet, minimis quatuor. *Remiges* 26. *rectrices* 18 in utroque sexu. *Intestinum* sexpedale; *coeca* bipedalibus majora, flexuosa, sesquipedali ab ano intervallo, striis seu nervis 7. longitudinalibus, ad orificia glandulosa. *Cystis* non conspicua. Musculorum pectoralium vis tanta, ut retentis vivae alitis alis, humeri ossa frangant. Singularis distinctio carnium, dum musculi pectorales magni, sicut femora, elixati fuscescant, at pectorales minores albam carnem exhibeant, ut in Lagopode. *Buffonius* perperam dicit carnes esse albas, quod tantum Phasiano, Gallinae, Meleagridi, Numidae et Bonasiae tribui potest. Tetricem marem cum Gallina vulgari progeniem dedisse hybridam, infoecundam *amiciss.* prodidit. *Pennant supplem ad Zool. arcticam p.* 63.

Not. 2. *Varietatem* Tetricis *maris* totam nive candidiorem, et e falcatis rectricibus pulcre agnoscendam Tobolio misit *Nobiliss.* quondam ibi Gubernator *Dionys. Tschitscherin,* quae etiamnum in *Museo Academiae.Petropolitanae* servatur. Albis plumis sparsi saepius observantur; sed imponunt amatoribus venatores Petropolitani, dum recentibus Tetricum exuviis saepe integrum ventrem et dorsum Lagopodis albae insuunt, et sic effarctas exuvias pro rara varietate vendunt, quod ita solerter faciunt, ut etiam gnaros minus cautos fallant. Vidi Petropoli Tetricem marem totum fulvescente gryseum, seu luteum.

220. TETRAO *Lagopus.*

T. pedibus hirsutissimis, remigibus albis, rectricibus lateralibus nigris apice albis, area supraciliari cristato-ciliata.

α. Lagopus, *Gesneri av. p.* 577. *Aldrov. orn. II. p.* 143. *tab. p.* 147. *Willughb. orn. p.* 127. *tab.* 32. *Raj. av. p.* 55. *n.* 5. *Frisch. av. tab.* 110. 111. *Klein. prodrom. av. p.* 116. *n.* 4. *icon.* et 173. *n.* 8. *Brisson. orn. I. p.* 216. *sp.* 12.

Lagopus varia altera, *Gesner. av. p.* 579. (variet. aestiva).

Tetrao Lagopus, *Lin. syst. XII. I. p.* 274. *sp.* 4.

Lagopêde, *Buffon. orn. I. p.* 264. *tab.* 9. hyberna, pulchre, *D'aubent. pict. n.* 129. hyberna, 494. variegata autumnalis vel verna.

Ptarmigan Grous, *Latham. syn. IV. p.* 741. *n.* 10.

β. Attagen albus, *Buffon. orn. I. p.* 252.

γ. *Scotica*: Gallus palustris, *Gesner. av. p.* 231. icon. p. 61. *Aldrov. orn. II. p.* 342. *Ionston. av. tab.* 30?

Tetras parva, cauda integra, *Buffon. orn. I. p.* 227.

Ptarmigan scotorum, *Sibbald. scot. II.* 3. *p.* 16. *Zool. brit.*

p. 86. *tab. M*4. (tota alba), *MS.* (autumnalis variegata, subtus alba).

Bonasia scotica, *Buffon. orn. I. p.* 242.

δ. Sarmatica et rossica:

Lagopus avis, habitu vario hyberno et personato, *Mus. Petropol. I. p.* 372. 373. *n.* 219 — 225. *Gmel. jun. itiner.* 1.

Tetras parva, plumis versicoloratis, *Buffon. orn. I. p.* 230.

ε. Americana:

Perdix alba, *Anderson. Groenl. Ellis Huds. I. tab.* 1. *Edward. av. I. tab.* 72. *Latham. IV. p.* 743.

Lagopus freti Hudsonis, *Buffon. orn. I. p.* 276.

Rosis *Kuropatka*; in Sibiria *Bjeloi Teter* (Tetrax alba) et *Kuropaschka.*

Germanis in Livonia et Curonia *Morasthuhn.*

Tataris *Aghùn* (Sacerdos); Baschkiris *Bisgaeljak.*

Iacutis *Chabairchàn, Kawiekahn, Kakolekahn*, et *Peperaeh*, (a varia voce).

Vogulis ad Ob fluv. *Anga*, Sosvensibus *Angoe.* Ostiacis beresoviensibus *Schogà* et *Schugà*, ad Irtin *Poitik*, Iugunis *Baidik*, ad Surgut *Oenk*, Wassuganis *Ink*, ad Narym *Uu.* Morduanis *Puwna* Esthonis *So* vel *Tuddocanna.*

Samojedis *Chondei;* Tawginzis *Cóffe*; Caragassis *Onhò.*

Mongolis *Zagàn - choro* (albus Tetrax); Buraetis *Kudù.*

Tungusis ad Jeniseam *Cheleki* vel *Helàki;* ad Baicalem *Elak*, Hènuki; Lamutis *Eleki.*

Iukagiris *Naetlagei*; Coraecis *Ièjuew.*

Camtschadalis *Iurgtschurtsch;* occidentalibus *Yugtschitsch*; Ukinzis *Igulgyt.*

Curilis *Nièpue.*

Copiosum culinae supplementum Lagopus per omnem Faunae nostrae ditionem in borealioribus; in europaeis Imperii ruthenici a Prussia et Suecia usque ad Casaniense regnum vivit, rarius, nec nisi hyeme ad austrum evagatur. Sed in Sibiria facile omni, locis etiam apricis, si modo victum praebeant, hyeme praesertim, frequens est; copiosissima in maxime borealibus, ad oceanicam usque oram glacialem, ubi reliqui Tetraones cum sylva desunt; copiosissimi etiam in orientali Sibiria, tota alpestri et frigida, inque Dauuria, licet valde ad austrum extensa, ob alpinos situs, ubique frequens. Aestate partim versus frigidiorem Septentrionem et in alpina loca atque juga nivalia recedunt; hyeme per depressa palustria et in magis apricas regiones disperguntur. In campis tamen Isetensibus et Barabensibus vastis et palude abundantibus omni tempore anni frequentant, et in borealibus plurimae etiam hyemant, ut etiam circa Iacutiam, imo circa Schigan, Siktak, Obdorsk et Kovyrnsk, sub ipsa arcto hyemem ferant. *Stellero* observante non solum in Camtschatca copiosa sunt, sed etiam in insulis inter Asiam et Americam boreales sparsis. In insula Beringii gregariae, hominem minime formidantes, ut fustibus occidi et in uno loco intra horae spatium ad 80 sclopo occidi potuerint, magno naufragorum solatio. — Amant praesertim saliceta et betuleta, quorum et alni gemmis, rumulis, amentis et turionibus imprimis pascuntur, seminibus praeterea variis, praesertim Polygonorum, baccis variis, v. gr. Lonicerae, Vacciniorum, Arbuti, Rubi, Empetri, Orobi etiam foliis, abiegnis turionibus et aliis vegetabilibus. In temperatioribus Rossiae Aprili, in Sibiria tardius coëunt, locis planis apricis cucurientes, crepera et crocitante voce, matutino praesertim tempore, post ortum Solis. In insula Beringii Lagopodas Junio demum ovis incubasse, *Stellerus* annotavit; in Sibiria ipse Julio incubantes observavi, an pro secunda

vice? Nidos nullos condiunt, sed humi in muscoso solo foveolam excavant, pro incubatu. *Ova* singulis 9. et plura, ochracea, fusco testaceoque punctata, sapidissima, columbinis paria. *Pulli* exclusi statim currunt et sequuntur matrem, pulchre fulvo variegati. Stupida caeterum est avis, plerumque gregaria, nisi oestri tempore. Hyeme cuniculis sub nive incedunt. Volatur satis celer, streperus. *Vox* imitari potest tubulo ligni sambucini excavato, cui superligatur pergamenum, quod medio trajicitur pilo equino, sursum deorsum trahendo. *Plumae hybernae* ad prima autumni frigora succrescunt, Petropoli initio vel medio Octobris, in Sibiria orientali saepe jam Septembri. Rossi praesagium maturioris vel serioris hyemis e tempore petunt, quo Lagopodes, Leporesque albescunt. Pedes et venter jam aestate albent; hinc per pectus sparsis plumis albedo diffunditur; Ultimo, sub variegatis aestivis, excrescunt mediae caudae rectrices albae, quas Natura, quasi ad tegendam lateralium nigredinem, cum largo tectricum apparatu educit sensim, non ante aequaturas caudam, quam postquam tota avis candida facta est! — Martio, etiam in Camtschatca, hybernam larvam exuere incipiunt, omnesque plumas albas projecerunt Aprili, paulove tardius in magis orientalibus, et in Camtschatca sub finem Maji.

Descr. *Aestivae* (Junio descripti): *Caput*, *collum*, *pectus* et *latera* sub alis fulvi coloris, collum intensius, vertex et cervix longitudinaliter, lateraque transverse nigro variegato-striata. *Dorsum* et alarum *bases*, *remiges* intimae et *tectrices*, itemque *rectrices* caudae 3 vel 4 mediae, gryseo-fulvescente nigroque transversim undulata. *Abdomen* imo album, plumis fulvescentibus varium. *Remiges* 20. albae, cum tectricibus, primariae in medio, secundum rhachin nigram, dilutissime rufescentes. *Pedes* albicantes, tibiis postice, digitisque saepe *paene* nudis. Etiam caput minus plumosum in aestivis.

Verna et autumnalis: pectore et alis primum candida, sensimque plumis albis in reliquo corpore variegatae; demum albae, plumis sparsis coloratis supra et in collo maculosae, ut in Americana E. depinxit *Edwards*.

Hybernis: *Rostrum*, ut aestivis, nigrescens (in mare robustius). *Corporis* totius *plumae* candoris intemerati, sine ulla litura vel macula. *Supercilia*, ut aestivis, late nuda, lunata, plicatilis, cinnabarina, cute tenerrima, subtilissime papillosa, supra terminata *limbo* tenuissimo, libero, denticellis mollibus confertis ciliato. (Strigam nigram a rostro per oculos, quam *Ill. Buffon.* (*orn. II. p.* 267.) maribus tribuit, nunquam nec in nostratibus millenis, neque in exoticis mihi visis observare potui.) *Remiges* 23. (*Messerschmidio* 26.) extimae 5. interius a basi falcatim excisae, acuminatae et primariae 9. vel omnes, vel aliquae (praesertim a 3 ad 5, etiam maribus) rhachibus supra, saltim in medio plumae, nigris, saepe accedente versus apicem etiam litura lineari secundum rhachin nigra. In quibusdam tamen maribus omnes remiges cum rhachi candidissimae, et feminis semper rhaches remigum tantum fuscescunt. *Rectrices* 16. aequales verae, et 2, vel interdum 3. supra medias *accessoriae*; laterales utrinque septem, aequales, latiusculae nigrae, apice vel margine terminali albo vel omnibus, vel mediarum proximis, ita ut in exterioribus albedo sensim decrescat; *mediae* paulo debiliores, longioresque et vel ima basi vel saepe ultra medium fuscae, vel etiam sola rhachi aut obliqua plaga fuscae, vel denique tota candidae, maxime rossicis. *Accessoriae* rectrices 2 vel 3. plerumque totae albae, vel sola rhachi versus basin, areolave fusca. In avibus rossicis paulo minoribus plerumque accessoriarum una abortiens, vel minor, nunquam tres aequales; interdum tamen iis, quae medias rectrices et remiges habent candidissimas, aliquae tectricum tractu transverso

fuliginoso conspurcatae. *Pedes* hyeme plumis, praesertim circa digitos densissimis, villos referentibus, sed elasticis, et supra digitorum latus inferius nudum arctissime conniventibus, ut tota planta villosa videatur. — *Pondus* sibiricis, majoribus, inter 18 et 25 uncias variat; in aestivis maribus ad 16. feminis ad 15 uncias minuitur, et juniores hornotinae aves, Augusto adultae, paulo ultra 10 unc. pendent. In Scoticis adultis pondus 14 unciarum *Willughbejus* et *Pennantus* statuunt. Majores sibiricae prope alpestres tractus, minores campestres. At in Insula Beringii, *Stellero* observante, tertia parte majores etiam Camtchaticis, quae tamen inter Sibiricas eminent. Majores etiam fuerunt, quas per amicum mercatorem e Labratoria Americae procuratas habui, Sibiricis ad minimum aequales, rostro fere robustiore. (Erant autem hae colore hyberno albo, sed capite colloque, praeter verticem albo-variegatum, aestivum servabant colorem, saturate brunneo-rufum, qualis etiam rarius in Sibiricis maribus observatur, undulis transversis fuscis tantum versus jugulum crebris. *Rectrices* utrinque 3. extimae apice non albae. Caeterum omnibus partibus Sibiricae avi simillimae).

β. *Varietatem* Lagopodis parvam et colore satis diversam, in terris arcticis ad Kovymam fl. et in maxime orientalibus Sibiriae vulgarem, per *D. D. Merk, Billingsianae* expeditionis sodalem, accepi, quae peculiari descriptione digna est: Differt maxime dorsi et colli colore magis gryseo-flavescente, undulis subtilioribus variegato, ad similitudinem foeminarum et juniorum majoris varietatis. Alis caeterum caudaque simillima et hyeme pariter tota, praeter pennas nigras, candida.

Cystis fellea in Lagopode conspicua nulla. *Intestinum* 44. pollicum; *coeca* 26½. pollices aequant, fusiformia, extremo acuta, *striis*

vel plicis sex vel septem longitudinalibus intus porcata, ut recte notat *Kleinius*. Caro pectoralium musculorum tota fusca.

Not. Mirae Auctorum, circa hanc avem, paucis copiose visam, hallucinationes prolixiorem me esse cogunt. Non solum antiquiores Ornithologi e varietatibus a loco vel anni tempore pendentibus speciem multiplicarunt, sed etiam recentissimus *Ill. Buffonius*, alias in expungendis varietatibus exsultans, in hac ave, forte, ut *Brissonio* molestus esset, minutiosum tyronem ludit, levissimisque auctoritatibus plus tribuit, quam judiciosum Naturae scrutatorem decet. (*) E. dissensu auctorum inter quos plerisque vix unum alterumve specimem Lagopodis viderunt, male concludit, diversas in unam confundi species. Cum ipse et Americanam et helveticam avem viderim, et Lagopodas ex omni Sibiriae climate diligenter contulerim, rossicas autem, cum haec scribo, quotidie e foro adlatas conferre possim; satis mihi videor auctoritatis habere, ut affirmem, omnes diversarum regionem aves, quas *Buffonio* distiguere libuit, unam eandemque esse Lagopodem, quam etiam, hyberno maxime tempore, ectricum numero et colore variare e descriptione a me data liquet; unde *Buffonius* nec *Brissonium* aut *Willughbejum* ob indicatum rectricum numerum reprehendre debuisset, dum ipse medias caudae pennas, quae ex intermedio situ genuinae rectrices sunt, negligit, et duplicem pennarum in cauda ordinem statuit, quorum quilibet 14. plumis constet, dum tegetes reliquae, magnitudine et consistentia, multum a mediis illis pennis differunt. Quinimo *Linnaeus* errorem, quo *Buffonius* (*l. c. p.* 268.) nititur, in priore *Faunae Suecicae* editione circa definitionem Lagopodis commissum, dudum

(*) Plerasque ejus circa hanc avem hallucinationes comparatis speciminibus Americanis cum Ptarmigan Scotiae, correxit *Daines Barrington act. angl. vol. LXIII. p.* 224.

correxerat. — Quam vero pro aestiva Lagopode descripsit *Buffonius*, jam verno vel autumnali tempore mutata fuit. *Scoticam* vero Lagopodem a *Rossica* et *alpina*, has a Sibirica, et Sibiricam ab Americana, sola magnitudo distinguit, climati et pabulo adscribenda; quod observata a *Stellero* in Insula Beringi grandior Varietas, variaque intra ipsius Sibiriae terminos statura satis probat. Unde etiam *amiciss. Pennant* Scoticam avem ab Americana, contra *Brissonium* distinguentem, probare non possum. Confirmant etiam sibiricae, in frigido hoc climate alpestria pariter et aprica plana colentes, vanam esse *Buffonii* distinctionem, inter alpinas Europae Lagopodas et septentrionales palustres.

Not. 2. Attagen (*Brisson. orn. I. p.* 209. *Zool. brit. p.* 85: *sp.* 3. *tab. M* 3. *Buffon. orn. II. p.* 252.) a Lagopode aestivo, nisi alis nigris, parum differt; cumque in altioribus montibus Angliae temperatae vivat, forte pro degenerata per clima Lagopode haberi posset, quae in frigidiore Scotia boreale robur adhuc magis servavit, colore tamen etiam ibi exsoletior. Essent utique hae aves accuratius conferendae recentes; praesertim cum *Willugbejus* (*p.* 128.) etiam albas passim notas et maculas memoret. Utique *Rajus*, gravissimi auctor judicii, Attagenem et Lagopodem scoticam conjunxisse videtur (*syn. av. p.* 54. *sp.* 3.) et cum Lagopo aliarum regionum eandem esse subdubitavit.

221. TETRAO *Bonasia.*

T. tibiis plumosis, gula circulo albo inclusa, fasciaque rectricum nigris, corpore variegato.

Gallina corylorum antiquioribus, *Willughb. orn. p.* 126. *tab.* 21. *Raj. syn. p.* 55. *n.* 6.

Lagopus Bonasia, *Klein. prodr. av. p.* 116. *n.* 3. *Brisson. orn. I. p.* 191. *sp.* 3.

Tetrao Bonasia, *Lin. syst. XII. I. p* 275. *sp.* 9.

Gelinotte, *Buffon. orn II. p.* 233. *tab.* 7. pulcherrime. *D'aubent. pict. tab.* 474. mas, 475. femina.

Hazel-Grous, *Latham. syn. IV. p.* 744. *n.* 12.

Rossis *Kaebtschik* et *Raebok* (i. e. tessulata seu variegata.)

Tataris *Budshur*; Baschkiris *Syl;* Tataris Sibiriae *Dshim* et *Dshimae;* Iacutis *Putschuguràs.*

Permaecis et Siraenis *Sjèla* (: unde Rubus saxatilis illis *Sjèla-os* s. Bonasiae bacca :); Lettonice *Meschu-irbe;* Esthonibus *Py*, vel *Metspu.* Morduanis *Werinpuwna* et *Werinpowal;* Votiacis *Sjàla;* Tscheremissis *Muso;* Vogulis Sosvensibus *Schulla,* alibi *Kisipa;* vel *Anka;* Ostiacis beresoviensibus *Pastek*, ad Irtin *Tschochtowoi*, ad Siergut *Pynk*, ad Narym *Pekke*, ad Ket fl. *Pège* et *Pèle.*

Mongolis *Koedu;* Calmuccis *Iatun.*

Tungusis ad Jeniseam *Chinjuki*, ad Baïcalem *Enuk;* Lamutis *Iliki.*

Caragassis *Sarma.*

Per Russiam borealem inde a mari balthico, et in sylvestribus, montosis Sibiriae usque ultra Lenam, minus tamen frequens praecedentibus, etiam hyeme, occurrit; in Camtschatca, Stellero observante, deest. Improprie Gallinam Corylorum Germanice appellatam fuisse, vel inde patet, quod per omnem Sibiriam, deficiente licet corylo, frequentes sint. Pascuntur autem baccis Rubi, Cynosbati, Convallariae bifoliae, Amentis salicum, alni, caet. Arboribus saepius insident. Pruriunt Martio et tunc congregantur, fistulatu tenerrimo vocantes, Mas plures foeminas allicit. *Nidus* foeminis humi, *ova* sex ad 8. quibus tribus septimanis cum triduo incubant. *Pullos* statim in arbusta ducunt, ubi e ramo in ramum exsiliunt. A venatoribus fistula ad imitationem vocis maternae instituta alliciuntur.

Descr. Magnitudo Perdicis. *Rostrum* nigrum, lobis frontalibus plumosis fossas narium totas explentibus. *Irides* avellaneae. *Palpebrae* nudae, superiores miniatae, papillis cristatae, sed margine plumulis nigris punctatae. *Area* supra ramos maxillae utrinque (in loco palearium gallinae) nuda, miniacea. Plumae occipitales *subcristatae*, laxae, nigro ferrugineoque variae. *Macula* nivea pone oculos temporalis, supra aures descendens. *Circulus* albo-niger inter aures et oculos utrinque incipit, gulam includens, albo nigroque variam. *Cervicis* plumae truncatae cinereae, basi fulvescentes, transversim nigro fasciatae. *Subtus* albet, circulis nigricantibus varia, latere utroque rufo-fulvis. *Crissum* albet. *Dorsum* cano-cinereum, subpulveratum. Alarum *bases* nigro-maculatae, vestitricum apicibus albis. *Remiges* 23. primariae pulveratae fuscae, secundariae gryseopulveratae variae, margine terminali albicantes. *Cauda* aequalis, *rectrices* 16. cinereo fuscoque pulveratim variae et praeter 2. medias omnes *fascia* nigra, ante apicem album. *Pedes* ultra medias tibias plumis cinerascentibus vestiti; *digiti* utrinque pectinati, ut in magnis Tetraonibus; *ungues* acuti fuscescentes. *Foemina* minus pulchra, sed eodem modo variegata; *latera* rufo-lutea, maculata, et *rectrices* ut in mare. *Gula* pallida, maculata; *area* nuda supra orbitas obsolete rubra, maxillaris nulla. *Pondus* unciarum 13 ad 14. *Mensura* ad uropygium 8″. 8‴. caudae 4″. 3‴. alarum expansarum 1′. 7″. ulnae 6″. rostri ad fraenum 11½‴. ad frontem 4½‴. tibiae 1″. 3‴.

Not. Mihi *Tetrao canadensis Lin. sp.* 3. *Edward. av. tab.* 118. mas, 71. foemina, qui cum *Tetraone Canace Ejusd. sp.* 7. *Brisson. orn. I. p.* 203. *tab.* 20. docente *Buffonio* coincidit, vix nisi climate transmutata Bonasiae varietas videtur, licet tibiae paulo ulterius plumosae.



Tetrao arenaria L.

222. TETRAO *Chata.*

T. tibiis semiplumosis, rectricibus 2 intermediis duplo longioribus subulatis, jugulo ferrugineo, nigro marginato.

Alchata seu Filacotona, *Gesner. av. p.* 311. *tab.* 307. *Aldrov. orn. II. p.* 501. *ic.* 502.

Perdix damascena, *Bellon. av. p.* 63. *a. Willughb. Orn. p.* 128.

Avis Baeker-kara, *De Bruyn it. moscov. p.* 177. *tab. n.* 93. foem. 94. mas.

Bonasia pyrenaica, *Brisson. Orn. I. p.* 195. *sp.* 4. *tab.* 19. *fig.* 1. mas. 2. foemina.

Kata orientalium, *Russell. alep. tab.* 9.

Tetrao parva, cauda acuminata, *Edwards. glean. I. tab.* 249. (bona) *p.* 84.

Tetrao Alchata, *Lin. syst. XII. I. p.* 276. *sp.* 11.

Tetrao caudacutus, *Gmelin. jun. itin. p.* 93. *tab.* 18. mala.

Ganga, *Buffon. orn. II. p.* 244. *tab.* 8. *D'aubent. pict. tab.* 18. mala.

Bocharo-Tataris *Pachtal.*

In montibus deserti Kirgisiorum collecta specimina fuere. Maxime frequens est in Caucaso, atque hyeme in campestria maxime Persiae, rarius etiam Cumani et Astrachanensis descendit. Pulcherrima avis in exuviis, quas *Gmelinus* e Persia misit pro *Museo Academiae. De Bruyn* etiam in Cypro abundare dicit. — (Nunc maximo jure civibus Faunae nostrae adnumerabitur, postquam Caucasus, Colchis, et finitimae Persiae provinciae armis Alexandri Augusti debellatae nunc sunt.)

223. TETRAO *arenaria. TAB. LIII.*

T. tibiis semiplumosis tetradactylis, alis acutissimis elongatis, cauda acuta.

Tetrao arenaria, *Pall. Nov. Com. Petr. vol. XIX. p.* 418. *tab.* 8. *Itiner. vol. III. append. p.* 699. *n.* 27. *Latham. syn. IV. p.* 751. *vol.* 6.

Rossis *Stepnoi Raebok.*

Tataris *Dshèràk* et *Bulduruk.*

In desertis australibus arenosis inter Tanaïn, Volgam, Rhymnum, mare caspium et Caucasum, frequens haec aves, per paria vaga, autumno parvis gregibus cum prole volans. Volatus Columbarum aemulus, cum voce grata, stridula. Siticulosae ad hydreomata deserti mane, meridie et vesperi accedunt; Astragalorum seminibus praesertim victitantes, quibus ea deserta abundant variis. *Gmelinus jun.* etiam ad littus orientale maris Caspii observavit.

Descr. Magnitudo supra Perdicem; *habitus* et *rostrum* T. Chatae. In *Mare: caput* et collum usque ad prolobum canescunt; *gula* fulva, triangulo atro sub colli medio terminata. *Dorsum* albido, luteo, fuscoque variegatum. Circulus niger *jugulum* a *pectore* albido dirimit, sed *abdomen* et *crissum* atra. — *Foemina* tota pallido-flavescens, nigro guttata atque variegata; circulus juguli, lunula gulae et abdomen nigra, ut in mare. — *Alae* in utroque sexu elongatae, acutissimae. *Cauda* acuta, rectricum sedecim. *Pedes* parvi, *tibiis* antice fere ad digitos plumosis; posticus digitus verruciformis, *ungue* subulato, ceu calcare, prominulo.

224. TETRAO *paradoxa.*

T. pedibus semiplumosis tridactylis, digitis coalitis, alis longissimis, acuminatis.

? Kittawah vel Lagopus africanus, *Shaw. it. orient. p.* 253. icon mala.

Tetrao paradoxa, *Pall. itin. II. app. p.* 111. *tab. F.*

Kirgisis *Tjilegus*, (*Rytschkof itin. III. p.* 40.)

In arenosis deserti Kirgisici circa arenas *Dshidel-mamut*, a *Rytschkofio* vivae adlatae, exuviae rectricibus carebant; neque praeterea a quopiam nostrorum observata fuit haec avis curiosissima quam Kirgisotatari pulverisatam contra insaniam commendant. Eadem omnino videtur cum ave a *Shawio* descripta.

Descr. Anomala in suo genere avis. *Magnitudo Chatae. Rostrum* tenuius quam Tetraonibus aliis, superiore maxilla non fornicata supra inferiorem. *Pedes* maxime insoliti, tridactyli, *digitis* brevissimis coalitis, solo apice et unguibus distinctis, brevibus, usque fere ad ungues plumosis; unde planta triloba, latiuscula, corneis papillis imbricata. *Caput* cum collo ad jugulum usque canescunt, sed *gula* fulvescit, maculaque in utroque colli latere intense fulva seu potius aurantia. *Dorsum* inter alas et ad caudam usque, (ut in Otide) gryseo-nigroque doliatum; circulus quoque jugulum ambiens e lineolis crebris, transversis, nigris. *Pectus* cinereo-rubescente pallidum, hinc supina facies usque ad *crissum* atra, pallide maculosa, ut et hypochondria. *Alae* maxime elongatae, acuminatae, *subtus* albae, *supra* basi dilute cinereo rubescentes, punctis magnis nigris adspersae. *Alae spuriae* strigis nigris undulatae, apice lituris magnis, veluti cruentis, fuscis inquinatae. *Remiges* primariae extimae sensim longiores, maxime acuminatae; omnes fuscae, extus canescentes, margine extime versus basin, interiore usque ad apicem albo; vix in extimis. *Tectrices* primariae et *remiges* breves *secundariae* totae e ferrugineo albae, tractu latiusculo atro, secundum rhachin exterius longitudinali usque ad apicem. *Cauda* in specimine deerat, verosimillime acuminata, ut T. Chatae et arenariae. (Secundum *Shaw cauda*, singula penna albo-maculata; media longior, acuminata.

Not. Turnix *Buffonii* (*orn. II. p.* 479. *D'aubent. pict. n.* 171.)

vel coturnix madagascariensis, etiam tridactyla est, adeoque non sola in *Tetraonum* genere exceptionem facit haec *paradoxa*.

225. TETRAO *caucasica.* *Tab.* **.

T. pedibus nudis calcaratis, corpore undulato ferrugineoque undulato, capite cano, gula alba.

Pall. itin. poster. vol. I. p. 414.

Tataris Caucasi *Dshumaruk;* mas *Becshbarmak* i. e. pentadactylus, ob tibias calcaratas.

Tscherkessis *Sym;* Ossetinis *Zym.*

Georgianis *Dshurdschi.*

Habitat in summis Caucasi rupibus, provida et venatu difficillima; viso homine dicitur, ut Graculus, singulari fistulante voce pascentes circa rupes Aegagros, Ammones vel Rupicapras de periculo admonere, ipsa quam maxime provida. Omni adhibita opera, quum anno 1792. ad pedem Caucasi commorarer, ipsam avem, proposito licet praemio obtinere fortuna negavit. Sed nuper *Nobiliss. Lib. Baro Marschal a Biberstein*, pro sua erga me amicitia, communicavit rarae hujus avis iconem, vivis coloribus et naturali magnitudine in Georgia delineatam, cum brevi descriptione a *Diligentiss. D. D. Steven* oblatam, cujus hic sequitur epitome, cum icone diligentissime in minorem formam reducta.

Descr. Magnitudo T. Tetricis, sed tibiis nudis, mari calcaratis ad alteram Tetraonum phalangem pertinet. *Rostrum* unciale, crassum nigrum, subaduncum. *Caruncula* flavissima supra nares ovatas, tractusque nudus flavus pone oculos, cum palpebris flavus. *Irides* fuscae. *Caput* cano-cinereum, plumis circa aures paulo longioribus; Tractus albus a rostro trans oculos. *Cervix* colore capitis, cano-cinerea; collum subtus ad jugulum usque album, lituris aliquot cinereis.

Zoogr. II. p. 70.



Dorsum, humeri, pectus gryseo nigroque undulata; *abdomen* gryseo-fuscum, albo irroratum, *laterum* liturae longitudinales rufo-sanguineae. *Crissum* nigrum; latera uropygii, femorumque tegetes alba, cano-pulverata. *Alarum* remiges 24. *primariae* 10. extus nigrae, gryseo-irroratae, *secundariae* cinereae; *tectrices* gryseo nigroque variegatae, lituris magnis, rufo-sanguineis, albo terminatis, longitudinalibus; *subalares* nigrae, ut et cauda. *Pedum* tibiae cum digitis nudae, loricatae, gryseo flavescentes, *calcare* in maribus brevi, robusto, conico, fusco, apice albido: *Digiti* subtus flavescentes, posticus a terra remotus; *ungues* nigri. *Mensurae* (:ad pedem anglicum exactae:) a rostro ad finem caudae 22 pollicum; caudae 7 poll. alarum expansarum 32. poll. tibiarum 8½ poll. digiti medii (:cum ungue ⅝:) 2 poll. rostri fere 1½ poll. *Areae* flavae pone oculos dimidii pollicis.

226. TETRAO *Perdix.*

T. pedibus nudis, area suboculari coccinea nuda, pectore testaceo maculato, cauda ferruginea.

Perdix cinerea auctorum, *Willughb. orn. p.* 119. *tab.* 29. *Raj. syn. av. p.* 57. *Albin. av. I. tab.* 27. pessima. *Frisch. av. I. tab.* 114. et varietas alba *tab.* 115. *Brisson. orn. I. p.* 219. *sp.* 1. *Buffon. orn. I. p.* 401. *D'aubent. pict. tab* 27.

Tetrao Perdix, *Lin. syst. XII. p.* 276. *sp.* 13. *Zool. brit. p.* 86. *tab. M.* 5.

Rossis *Sjeraja Kuropatka;* in Sibiria *Raebik polewoi* vel *stepnoi* (Bonasia campestris); in Dauuria *Kamenoi Raebtschik* (Bonas. rupestris).

Tataris *Busür*; ad Jeniseam *Chatteganaeht;* Baschkiris *Budshur;* Persis et Bocharis *Durratsch;* Chivinzis *Tschil;* Kirgisis Tschint.

Calmuccis *Utoen,* vel *Ioettohn;* Mongolis *Ythò.* Buraetis *Ythag,*

Esthonice *Poeldpü*, Lettonis *Lauku irbe Kurrata.*
Morduanis *Pua.* Kystimis *Iaeses-dshim.*
Tungsis *Tschupkuroe;* in Tauria *Tschorkirol.*
Iaponis *Schiroi phadò;* Indis *Bahter;* Tangutis *Wschak'ba.*

In Rossiaé atque Sibiriae citra Lenam temperatis, australioribus, campestribus frequentissima; circa Altaïcos montes, ad Jeniseam et in Dauuria colore obsoletiore paulo diversa, et autumno in rupestribus apricis, ad solem versis, copiosa, ubi gregaria hybernat, saepius sub nive latens; at ubi potest, circa horrea rusticorum, audacissima inter gallinas pascitur. Etiam in rupestribus minime timidae currunt, raro volant, nisi sclopo territae; Mares ad solem caudam rotantes et superbientes. In desertis Tatariae australibus inter colles arenosos et in paludibus salsis, ubi nix non durat, tota hyeme gregariae, ibique seminibus Salsolarum, Chenopodiorum, Atriplicum maxime pinguescunt, sed minime sapidae. Egregiae contra et copiosissimae in Chersoneso Taurica, paucis avium speciebus frequentata. Gregatim in rete humi tensum, pedali circiter altitudine, duabus alis divergentibus plures orgyas longis, in medium saccum infundibuliformem convergentibus, ab homine post velum linteum tensum latente compelluntur, facilemque in campestribus venationem praebent. Incidunt etiam in suspensa retia, quae ob humilem volatum evitare nequeunt. In orientali Sibiria, ultra Lenam, tota frigida, et in Camtschatca desunt. E borealibus hyeme discedunt. Tempore prolificationis, primo vere, per paria disperguntur. Incubant humi. *Ova* ovali-globosa, pallido-alba.

Descr. Varietatis rupestris *dauuricae*: *Facies* tota, tractus pone oculos, *gula* late, tractusque pollicari circiter latitudine subtus per collum, jugulum et pectus continuatus, dilutissime ferruginea. *Macula* sterni atra insignis tractum colli terminat. *Lunula* supra ro-

strum, in prima fronte atra; *palpebra* inferior alba, subjecta *lunula* lineari nigra. *Tractus* nudus pone oculos miniatus. *Hypochondria* et *crissum* cano-exalbida, fasciis transversis sanguineo-ferrugineis. Reliqua ut in europaeis. Calcaria nulla. *Rectrices* 18. in utroque sexu; *remiges* 24. *Pondus* unciarum IX — XI. Mensura ulnae alarum 5″. 4‴. caudae 2″. 11‴. tibiae 1″. 4‴. *intestini* 31 pollicum; *coeca* substriata 5¹ pollicum.

β. Varietatem albam, marem et foeminam, simul captas in Tauria circa Karassubasar, donavit Nobilissimus copiarum Dux *Andr. a Rosenberg.*

227. TETRAO *rufa.*

T. pedibus nudis calcaratis rostroque ruberrimis, gula alba fascia nigra inclusa.

Perdix rufa auctorum, *Willughb. orn. p.* 118. *tab.* 29. *Raj. syn. av. p.* 57. *Albin. av. I. tab.* 29. *Frisch. av. tab.* 116.

Perdix rubripes barbarica, *Edward, av. I. tab.* 70.

Perdix rubra, P. rubra barbarica et P. rubra graeca, *Brisson. orn. I. p.* 236. *sp.* 10. *p.* 239. *sp.* 11. et 241. *sp.* 12. *tab.* 23. *fig.* 1. (varietates!).

Tetrao rufus, *Lin. syst. XII. I. p.* 276. *sp.* 12.

Bartavella et Perdix rubra europaea, *Buffon. orn. I. p.* 420. 431. *tab.* 15. *D'aubent. pict. tab.* 231. et 150.

Perdix rufa, Gmelin. jun. *N. Com. Petrop. vol. XV. p.* 443. *tab.* 13. mala.

Rossice *Krasnaja Kuropatka.*

Bocharo-Tataris *Kaklyk* (a voce).

In jugis australibus deserti Kirgisici atque Bucharia tota, itemque in Caucaso et praesertim in Persia frequens est. Ex Anatolia

habui Bartavelae similem, adeo familiarem, ut circa hominem continuo versaretur, et licet in horto libere vagata, tamen in domum sponte rediret. Sed maxime phlegmatica videbatur, nec ulla amicitia, sed solo habitu, socialis.

Not. Vidi *varietates* auctoribus laudatas, *graecam* et *barbaricam*, nec magis differre mihi visae sunt ab europaea, quam Perdix sibirica a vulgari.

228. TETRAO *Coturnix.*

T. pedibus nudis, grysea fusco variegata, superciliis lineolisque supra longitudinalibus pallidis, cauda brevissima.

Coturnix auctorum, *Willughb. orn. p.* 121. *tab.* 29. *Raj. av. p.* 58. *Albin. av. I. tab.* 30. *Frisch. av. tab.* 117. (mole peccans). *Brisson. orn. I. p.* 247. *sp.* 14.

Tetrao Coturnix, *Lin. syst. XII. I. p.* 278. *sp.* 20. *Zool. britan. p.* 87. *tab. M.* 6.

Caille, *Buffon. orn. I. p.* 449. *tab.* 16. pulcre *D'aubent. pict. tab.* 170.

Rossis *Perepèlka; Podpolucha;* Malorossis *Perepeliza.*

Tataris Casan. *Büdbüldük* (expressio vocis); Baschkiris, Metscheraecis et Kirgisis *Büdaenae:* Chivinzis *Buldutschin;* Persis *Sjüman;* Bocharis *Saepaemnat.* Kyschtimis *Budurtschin.*

Morduanis *Jura* et *Kotschkodòk;* Permaecis et Siraenis *Quatkàn;* Tscheremissis *Wese;* Tschuvaschis et Votiacis *Pudenae;* Ostiacis ad Ketam *Kawia*, ad Surgut *Lytsch*, ad Narym *Kolèoeltetophan* (*), nec ulterius ad septentrionem observantur aeque Coturnices, atque Crex, Columba, Merula, Sturnus et Alauda.

(*) Hoc nomen significat: *Sepulcrum aperi.* Dicunt enim signum esse imminentis mortalitatis, si Cortunix in ista regione exaudiatur. Forte quod calidiore tantum aestate id evenit, quae in paludosis necessario noxia.

Armenis *Tschil.* — Calmuccis *Boedenae;* Mongolis *Boedenà.*

Per omnem Rossiam et Sibiriam australiorem apricam frequens; in borealibus maritimis, orientali angulo Asiae et Camtschatca deficit. Copiosissime contra per omnem Ucraniam et finitimam Poloniam et ineffabili copia, migrationis tempore, congregatur in desertis ad Borystenem et Danubium, tandemque autumno in convalles maritimas montosae orae Chersonesi Tauricae colligitur, unde ingruente frigidiore autumno in Anatoliam Pontum Euxinum trajiciunt. In australibus Rossiae provinciis tunc copiosê et pinguissimae capiuntur, integraque dolia sale conditarum Moscuam et Petropolin mittuntur. Capiuntur praesertim Tinnunculo, Falcone vespertino, Niso et Aesalone ad id instutis, vel etiam retibus. Abundant etiam in campis pinguibus et graminosis, ad Iset, Tobol, Ischim et Irtin fluvios, ubi canes mei in itinere quavis fere hora Coturnices capiebant. Ad Jeniseam non minus vocales europaeis, sed nunquam post solstitium exaudiendae. In Dauuria denique, licet frequentes, plane mutae sunt, solum voci praevium apud nostras rhonchum edentes. Hae a Chinensibus, uti quondam Athenis, in spectaculum ad pugnas ludicras adhibentur, et teste Anglo *Bell* (*itiner. vers. gall. vol. I. p.* 270) ad internecionem ferocissime pugnant, nisi dirimantur. Ad Can tamen fluvium, citra Ircutiam jam canoras exaudivi. — Circa Jeniseam in vulgus notum est, et homo fide dignus, Germanus circa metallifodinas ad Karysch fl. diu commoratus mihi autopta confirmavit. Coturnices ibi sub nive hybernare, et maxime circa formicarum acervos in sylvis congregari, ubi quasi torpidae reperiantur. Apparent etiam suda tempestate supra nivem et rarae circa horrea; alpestribus ssilicet jugis sub finem Augusti nive tectis, ad austrum migrare inpediuntur. Caeterum praesagae tempestatum, ingruente pluvia latebras quaerunt; sub spem sereni laetae exsultant. *Pulli* languine

longitudinaliter nigro fulvoque fasciata elegantissimi et mire lepidi sunt.

Descr. Varietatis ad Jeniseam vulgaris, cui Dauuricae mutae sunt simillimae: *Irides* spadiceae; *Rostrum* corneolum. *Supercilia gulaque* pallido-alba; *circulus* ovalis, maculosus fuscus a rostro gulam circumambit, *lineaque* eidem parallela ab auribus ad gulam descendit; quod in Europaeis non observo. *Caput*, cervix, totumque *dorsum*, gryseo, ferrugineo, nigroque undulata, ductibus scapinis nigro marginatis pallidis. *Subtus* avis pallida, jugulo lutescente subferrugineo, nigro guttato. *Alae* basi gryseo-cinerascentes, reliquo fuscae, gryseo pallido undulatae. *Remiges* 21. quarum tertia longissima, 2 et 3 subangustatae. *Cauda* brevissima; decempennis; *rectrices* fuscae, arcu atque linea scapina arcui insistente pallidis. *Pedes* corneolo-albidi. *Pondus* minus triunciali. *Mensura* ad uropyg. 5″. 9‴. ulnae alarum 3″. 8‴. expansarum 6″. 3‴. rostri ad rictum 6‴. ad frontalem angulum 5‴. tibiae 11‴. digiti medii antici 10‴. postici 3‴. *Cystis* fellea exigua. *Intestinum* 21 poll. *Coeca* 3¼ pollicum.

XXXI. PHASIANI.

Phasianorum genus Asiae praesertim datum est; et numerosis speciebus in hac orbis parte distributum est, quarum forte aliquae adhuc in terris paene incognitis inter Indiam et Tatariam latent. Imo in Caucasi excelsis rupibus speciem Phasiani adhuc dari nobis ignotam, monticolarum relatione verosimile fit, qui avem quandam, ------ illis dictam, commemorant, quae voce sua feras adpropinquantem hominem nunciat, et cujus mas, ideo quod pedibus calcaratis pollet, ab iis *Beschbarmak* i. e. pentadactylus, cognominatur. Hanc avem, quam vulgus ibi novit, nulla opera obtinere potui, sed

est certe Phasiani ignota quaedam species, quae etiam *Güldenstaedtium*, attentum alias observatorem, latuit.

229. PHASIANUS *colchicus*.

P. cauda acuminata, area oculorum papillosa ruberrima, occipite subaurito.

Phasianus auctorum, *Willughb. orn. p.* 117. *tab.* 28. *Raj. av. p.* 56. *Albin. av.* 1. *tab.* 25. 26. *Frisch. av. tab.* 123. et varietas albo maculata *tab.* 124. et hybridum e gallina, *tab.* 125. *Brisson. orn. I. p.* 262. *sp.* 1. *Buffon. orn. II. p.* 328. *tab.* 11. *D'aubent. pict. tab.* 121, mas, 122. foemina.

Phasianus colchicus, *Lin. syst. XII. I. p.* 271. *sp.* 3.

Rossice ad Terecum, Cumam et Cuban fluv. *Madsharskoi Petuch* (Gallus Madsharensis).

Armenis et Kirgiso-Tataris *Karka-ul.* Bocharis *Margaitan.*

Mongolis *Gorgol* (*); Calmuccis *Gurgul.*

Tangutis *Déwo.* Chinensibus *Jedshilen.*

Habitant spontanei et satis copiosi in arundinetis circa mare Caspium, ad Cumam fluvium, praesertim vero ad Terec et Cuban fl. et omnem Caucasum. Nomen ruthenicum a ruderibus ad Cumam, sub nomine *Madshary* notissimis, obtinuit, quod ibi in depressis, arbusto et arundinibus obsitis frequentiores sunt. Apparent etiam interdum in inferiore regione Rhymni et ad Jembam, inque Kirgisiorum deserto maxime circa Aral lacum et fluvios ad illum tendentes, aliisque arundinetis australioribus.

(*) *Hargol* biblicam avem (*Moys. lib. III. cap.* 11. §. 22.) per hanc appellationem nonnemo explicare voluit.

Varietas torque alba in Mongolorum desertis, maxime in calidioribus versus murum Sinarum, arundinosis locis occurrit; attamen haec non deest etiam circa Dalay-noor et in calidis convallibus ad Argunum fl. circaque Abagaitu, imo usque ad argentariam ustrinam Kutomar, aestate observantur et laqueis capiuntur. Hanc depingit *Buchoz Icon. sinens. Tab.* 92. Hyeme congelatos crebro Kjachtam adferunt Sinenses mercatores, sed colchicis gustu pejores. Abundant maxime circa nigrum Mongolorum fluvium (*Chara-murin*) et observante *Ysbrando Ides* ad fl. Jalo citra urbem Naun vel Xixigar. — Ad Cumam, Cuban seu Anticaetam fluv. et mare caspium vivi capiuntur laqueis per tramites statutis, quos sibi in Arundinetis crebro cursu effecerunt. Horum descriptionem et delineationem vide in ultimo meo *Itinerario* (*Lips.* 1799. 4*to vol. I. p.* - - *et* - - - . In Taurica Chersoneso *Principis Potemkin* jussu e Cubani regione adlati Phasiani quondam emissi sunt et in montanis sylvis nunc passim vagari dicuntur, sed exiguo numero.

Descr. Varietatis mongolicae: Caput cum initio colli sericeum coeruleum; *torquis* lata alba circa medium collum. *Pectus* fulvo-aureum, plumis atro marginatis. *Pectus* et abdomen medio atra; latera fulva, plumis apice nigris. *Dorsum* plumis disco partim nigris, arcu flavescente, partim flavescentes medio fusco undulatae, per ambitum testaceae, nitore coerulante sericeo. *Uropygium* supra jubis obsolete cyaneis, latere fulvo rubrum; *crissum* fuscum. *Alae* variegatissimae, tectricibus secundariis majore parte cano-coerulescentibus. *Cauda* exsoletius fulva, fasciis transversis linearibus atris. *Rostrum* flavescens; *pedes* nigri, calcare conico. *Mensura* ad uropygium 1′. 2″. 0. rostri ad frontem 1″. 1‴. ad fraenum 1″. 3‴. Caudae mediis pennis 1′. 6″. 0. ulnae alarum 9″. 4‴. tibiae 2″. 6‴. digiti medii antici (cum ungue 6‴.) 2″. postici (c. u. 21‴.) 7‴. calcaris

3½‴. — Dubius haereo an hanc avem pro *varietate* Ph. colchici, vel pro distincta specie tradam. A vera Colchica ave spontanea differt:

1°. quod habeat *rostrum* paulo crassius, licet corpore sit paulo minor, et *pedes* tenuiores, calcare tamen robustiore.

2°. quod *vertex*, cum tota fronte, olivaceus, exsolete virenti nitore, tractu supraciliari albicante.

3°. quod *collum* medium *fascia* lata albo argentea ambiat, ubi in ave colchica coeruleo viridi splendidum.

4°. quod *plumae* jugulum totum occupantes non rotundato — sed subacuto-emarginatae, et ex aureo magis rubrae, nec solo margine terminali, sed etiam linea ex crena secundum rhachin adscendente coeruleo-nigra;

5°. *Cervicis* contra plumae minus nitidae, exsolete aureae seu subgryseae.

6°. *Dorsales* area latius pallida, pleraeque simplici annulo aream cingente, medio atomis nigris variegatam.

7°. *Alae secundariae* incumbentibus non luteo gryseis, sed e coerulescenti canis.

8°. *Uropygio* non purpureo-violaceo, sed cyaneo-virescente imbuto.

9°. *Remigibus* rigidioribus.

10°. *Rectricibus* caudae mediis paulo longioribus, fasciis transversis latioribus, nec strigis, ut in Colchica ave. Caeterum proportionibus paene conveniunt v. gr.

Ulna alarum in ave colchica	9″. 4‴.	in chinensi 9″. 4‴.
Tibiae longitudo - - -	2″. 9‴. - - - -	2″. 6‴.
Digiti medii cum ungue - -	2″. 1‴. - - -	2″. —
Ejus unguis - - -	— 6‴. - - - -	— 5‴.
Rectrices mediae - -	16″. 9‴. - -	18″. —

230. PHASIANUS *pictus.*

P. cauda acuminata, crista uropygioque flavis, cucullo aureo nigro-fasciato, pectore ruberrimo.

Phasianus chinensis, *Albin. av. III. tab.* 36.

Phasianus pictus, *Edward. av. II. tab.* 68. mas, 69. foemina. *Lin. syst. XII. I. p.* 272. *sp.* 5.

Phasianus aureus sinensis, *Brisson. orn. I. p.* 271. *sp.* 4.

Phasianus aureus vel tricolor cristatus chinensis, *Buffon. orn. II. p.* 355. *D'aubent. pict. n.* 217.

Mongolis et Dauuris *Altan-Gorgoldèi.*

Sinensibus *Tschintschì.*

In australibus Dauuriae et deserti mongolici maxime orientalis spontaneus occurrit, interdum ad Amur usque fl. advolans aestate, imo quandoque in districtu Nertschinensi captus. Pelles farctae a Sinensibus Kjachtam adferuntur.

231. PHASIANUS *auritus.*

P. cauda incurvata, area oculorum nuda, plumis aurium productis.

A Sinensibus inter alias rariores avium exuvias, haec quoque Phasiani species adlata fuit, quam ad Academiam Scient. Petropolitanam transmisit *Excellentiss.* tunc Ircutensis Gubernator *Franc. a Klitschka.* Species interioris Chinae quantum novi, a nemine hucusque Ornithologorum dicta.

Descr. Magnitudo media inter Phasianum et Gallopavonem. *Rostrum* majusculum, obtusum, cornei coloris; *maxilla superiore* ab ipsa basi ultra medium late fornicata, convexa; *inferior* basi plumulis albis arrectis utrinque subbarbata. *Nares* nudae, cera obsoleta

cinctae, lunatae, supra fornice crasso corneo obumbratae. — *Caput* minusculum, verticis plumulis atro-coerulescentibus, reflexo-arrectis, holosericeis. *Area* lateralis oculos late ambiens nuda, papilloso rubra, antice versus ceram angulo excurrens, fimbriata plumulis prostratis albo-nigris. — *Gula* alba, utrinque plumis elongatis continuata aures tegentibus, retrorsum arrectis, setaceis, sesquipollicaribus. *Collum* tenue, una cum toto *trunco* usque ad uropygium, cumque basibus alarum, colore uniformi, plumbeo coerulescente; *plumae* ubique laxae, rarae, setaceae. *Alae* uropygium exsuperantes, fornicatae, pennis rigidis. *Remiges* universae 21. quarum interiores dorso subconcolores, primariae fuscae, 2, 3, quartaque exterius a medio angustatae, ibique albo-marginatae. *Cauda* majuscula, rectricibus latis 18. composita; intermediae 4. comosae, lacero-discerptae, extremo incurvatae, ex atro coerulescentes; proximae utrinque 4. integrae, latissimae, atrae, extremo coerulantes et incurvatae, subaequales; reliquae laterales gradatim decrescentes, ultra medium albae, extremitate coerulanti-atrae. Subcaudales majores albae, apice atrae. *Pedes* in specimine misso deerant, secundum reliquum autem habitum, et colli caudaeque longitudinem, proceriores videntur fuisse, quam Phasianis reliquis.

Nota. In summis Caucasi, referentibus monticolis et itineratoribus, datur species, ut videtur, Phasiani, quae Ossetis *Sym*, Circassis *Dshnmaruk*, et mas ob quintum (ut perhibent) digitum (calcar puto) *Beschbarmak* i. e. quinque digitatus, appellatur. Pulchra plumagine dicitur ornatus, major Phasiano colchico, voce fistulari, longe exaudienda, quam viso praesertim homine edit, Aegagris et Rupicapris periculam nuncians.

232. PHASIANUS *Gallinaceus.*

P. caruncula frontis compressa dentata, pealearibusque gulae rubris, cauda surrecta, bivalvi.

Gallus gallinaceus Auctorum, *Willughb. orn. p.* 109. *tab.* 26. *Raj. av. p.* 51.

Genus gallinaceum, *Brisson. orn. I. p.* 164.

Phasianus Gallus, *Lin. syst. XII. I. p.* 270. *sp.* 1.

α. *Gallinaces* rusticae, fulvo-variae, nigrae, albae.

Gallus versicolor, *Brisson. orn. I. p.* 166. *sp.* 1. *Buffon. orn. II. tab.* 2.

Gallus hamburgensis, *Albin. av. III. tab.* 32. *Frisch. av. tab.* 127. 128.

β. *Gallinaces* barbatae, vertice plumis cristato, crista globosa et cranio in tuber prominulo stibiis plumosis.

Gallus cristatus, *Raj. av. p.* 51. *Brisson. orn. I. p.* 169. *A. Pall. Spicil. Zool. IV. p.* *tab.* *Frisch. av. tab.* 129. 130. *D'aubent. pict. tab.* 1.

γ. *Gallinaces* procerae, maximae, plerumque nigrae vel nigro fulvae, crista carnea exili, facie papillosa rubra, cruribus validis; Persicae, Anatolicae, etiam proceriores sic dictis Bantamicis, motu et procreatione tardae.

δ. *Gallinaces* anglicae, pedibus pentadactylis, niveae.

Gallus et Gallina pentadactyli, *Briss. orn. I. p.* 169. *B. Frisch. av. tab.* 133. *Buffon. orn. II. p.* 124. *n.* 17.

ε. *Gallinaces* cute et periostio nigris, plumis albis, setosis, raris, Sinensibus etiam inquilinae.

Gallus japonicus, *Briss. orn. I. p.* 175. *sp.* 6. *tab.* 17. *fig.* 2. *Buffon. orn. II. p.* 121. *n.* 14. *D'aubent. pict. n.* 98.

ζ. *Gallinaces* cute rubra, plumis plerumque recurvatis crispulis.

η. *Gallinaces* auriginosae, cute et pedibus flavis, a vulgaribus plerumque genitae; et dicuntur morbosae, ad propagationem haud eligendae.

ϑ. *Gallinaces* transversim cinereo fuscoque variegatae seu doliatae.

κ. *Gallinaces* pygmeae, anglicae dictae, pedibus pennatis, plerumque Gallinae albae, Galli fulvo varii.

Rossice *Petuch* (Gallus), *Kúriza* (Gallina). Malorossis *Pewèn*, *Petel* (Gallus), *Kurae* (Gallina).

Tataris Casaniensibus *Kuràss* (Gallus), *Taùk* (Gallina); Bucharo-Persis *Churùs* et *Taku*. Tataris ad Ischimum *Ajalek*. Jacutis *Kuruptschà* (a Rossorum Kuriza).

Calmuccis et Mongolis *Takia*.

Morduanis *Ataeksch* (Gallus), *Saràs* (Gallina); Votiacis *Attas* (Gallus), *Kuraejik* (Gallina); Tscheremissis et Tschuwaschis *Tschiche* (Gallina), *Autan* (Gallus). Vogulis *Kuaerih* vel *Koraech*, itemque *Tokoch*, generice. Permaecis *Kurága*; Siraenis *Tschipan*; Ostiacis *Tyskurek*.

Samojedis *Luzechondéi* (Lagopus rossica).

Armenis *Worzak* (Gallus), *Gaf* (Gallina).

Tangutis *Wschawò*.

Exoticae licet originis avis, propter universalitatem tamen in *Fauna* nostra locum meretur, praesertim, ut varietates exponantur. Apud omnes Imperii incolas agriculturae deditos frequens alitur ubique, praesertim *rustica* α. plerumque fulvo vario colore, utpote vulgatissimo et verosimillime specie: primigenio, qui ut in aliis avibus, in nigrum et album, vel albo varium saepe et facile degene-

rat; (non ex albis, ut *Buffonius* autumat, variae et nigrae oriri potuissent). Nigrae, praesertim macilentae, ova saepe sordide flavescenti vel pallida testa instructa pariunt, sed pinguiores factae, albissima. Nascuntur et inter rusticas pentadactylae, digito postico, vel apice tantum bifido vel usque ad articulum duplici, ramo altero etiam saepe praeter unguem biarticulato, imo triarticulato.

Varietas β. tantum in urbibus colitur, et quum albo guttata est Rossis *Serebraenaja*, cum luteo guttata, *Solotaja Kuriza* (argentea et aurea) appellari solet. Rarior huic affinis varietas, quam Hamburgensem Ornithotrophi angli appellant, tota atra, crista plumarum maxima alba, haud barbatae, pedibusque nudis, inter omnes cura humana productas varietates me judice pulcherrima. — Minori gradu cristatae, imo et barbatae, hybridae ex prioribus vel casu natae inter vulgares plurimae generantur.

Varietas γ. partim e Gilano Persiae per Astrachaniam, partim ex Anatolia illata, omnium maxima, ita ut perfectae magnitudinis Gallus e tabula stans cibum capere fere possit. Crista carnea his exigua, fere ut Caponibus, quasi resecta, collum erectum, pedes magni, proceri, robustixsimi; color plerumque ad nigrum tendens, fulvis plumis varius, praesertim jubis gallorum. Paucipara haec species, alias pro patinis egregia. Pulli quum lanuginem exuerunt, diu fere nudi incedunt, plumis tarde erumpentibus, et magnitudine femorum, etiam in hybridis, facile agnoscuntur: Rossis *Gilanskie* vel *Anodolskie Kúri.*

Varietas δ. Ex Anglia praesertim importata, admodum foecunda et sapida, bonae molis, monstrosam conformationem optime propagat.

Varietas ε. Astrachaniae e Persia, in Sibiria a Sinis, Petropoli ex Anglia importata, nigredinem cutis, cristae, menyngis, peritonaei et periostii diu, etiam in *hybridis*, licet alieno Gallo natis, propagat,

quae plumas quidem ordinarias, non setaceas, sed plerumque tamen albas gerunt. Sunt autem sapidissimae, tenerrimae carnis, caponibus vix posthabendae, et femorum crassitie commendabiles. In *melanodermis* piloso-plumatis vidi varietatem pentadactylam, constanter sic propagantem.

Varietas ζ. variis in locis mihi oblata est, plumis rariusculis, reversis et subcrispis, plerumque albis vel cinereis, cute simul, praesertim gallo, per totum corpus ruberrima vel purpurea. Hi plumationis tempore toti fere nudi incedunt, tetro aspectu, et vel degeneratione per clima, vel a nigripelli varietate ortum trahunt. (Varietatem uropygio destitutam nunquam vidi in Rossia).

Varietas η. auriginosa, pedibus flavis, et cute per totum corpus itidem flava, apud Rossos frequentissima est, in genere pro debili et parum vivaci habita; copiosius forte orta apud nos a morbosa constitutione matrum, quas per longam hyemem sub fornacibus plerumque conclusas alunt, (quo hepar praecipue affectum et hyeme vix in ulla gallina esui aptum observavi), ut mirum sit ullas vivere eo modo posse, quum saepe vere inde prodeant totae pediculosae et deplumatae. Sed est in genere robustissimum ad omnia ferenda genus, unde per omnia climata speciem multiplicavit.

Varietas θ. maxime in australioribus vulgaris, saepe e nigra et alba parente prognata, maxime singularis mihi visa est, propter variegationem transversam seu doliatam, cum potius guttata et maculosa omni Gallinarum plebi solemnis sit. Est haec varietas plerumque cinereo-fuscoque per omne corpus doliata, in Tauria etiam dantur insuper luteis guttis adspersae et elegantissimae pictae.

Varietas κ. Tantum a curiosis passim alitur, et clima nostrum aegre fert; caeterum foecundissima et salacissima, ut sunt galli ejus pugnacissimi inter omnes et audacissimi.

Gallinae apud nomadicas gentes nullae. Coibalis, aestate tantum nomadicam vitam agentibus, Gallinae tum quasi spontaneae circa tuguria hyemalia vagantur et proprio marte victum quaerunt atque pullos tutantur. In Camtschatcam introductae Gallinae piscibus et ovis piscium ibi nutriuntur et eo quoque victu prosperant et propagantur, imo foecundissimae sunt. Caeterum calidis in regionibus foecundiores esse solent. In arctica plaga circa Obdorsk et Chantaiskoi Pogost ad Jeniseam, ova quidem pariunt, sed non incubant apud Russos incolas.

XXXII. MELEAGRIS.

Haec quoque Americana avis, ita per omnem Rossiam inquilina facta est, ut eam praetermittere noluerim, in enumeratione avium Imperii; breviter autem expediam, ut et proxime sequentes.

233. MELEAGRIS *Gallopavo.*

M. capite nudo rugoso, caruncula frontis conica, paleari gulae papilloso longitudinali.

Gallopavo Auctorum, *Willughb. orn. p.* 113. *tab.* 27. *Raj. av. p.* 51. *Albin. av. III. tab.* 35. *Frisch. av. tab.* 122. *Brisson. orn. I. p.* 158. *sp.* 1. *tab.* 16. *Buffon. orn. II. p.* 132. *tab.* 3. *D'aubent. pict. tab.* 97.

Meleagris Gallopavo, *Lin. syst. XII. p.* 268. *sp.* 1.

Rossice *Indeika*, *Indiiskoi Petuch* (Gallus indicus).

Tataris *Dengis-Kuràs* (Gallus transmarimus); femina *Dengis-Tauk;* ad Jeniseam *Todok* (otis).

Tschuwaschis *Knis-Awdan* (Mas), *Tuus-Tschisch*, (femina); aliis generice *Kurkuà.*

Tscheremissis *Nemetsch-Awdan* (exoticus Gallus), et *Nemetsch-Zibe* (Gallina).

Morduanis *Atae-Kürkae.*

Armenis *Masrigaf.*

A Rossis aliisque agricolis, praesertim in regionibus calidioribus et temperatis, copiose educatur et exigua cura fovetur. In borealibus tamen et orientali Sibiria, propter brevem, frigidam et pluviosam aestatem, haud prosperant.

Varietates praeterquam coloribus solitis, a nigro in canum, album, et lutescentem degenerantibus, nullae observantur. Rarissimae et apud nos varietas intemperati candoris, sine ulla macula. — In Tauria visus est *Gallopavo* solus in horto cum *Pavone* femina detentus, hanc non invitans iniise, et zelotypia singulari prosecutam esse. Sed ova fatua fuere.

XXXIII. PAVO.

234. PAVO *cristatus.*

P. crista erecta, calcaribus solitariis *Lin. syst. XII. I. p.* 167. *sp.* 1. *Latham. syn. IV. p.* 668. *n.* 1.

Pavo, *Frisch. av. tab.* 118. 119. 120. (varietates). *Buffon. orn. II. p.* 288. *tab.* 10. *mala. D'oubent. pict, tab.* 433. mas 434. foemina.

Rossice *Pawlin* (mas), *Pawlicha* (femina).

Tataris tauricis Morduanis *Pawa.*

Calmuccis *Toghus* vel *Toghul.* Mongolis *Toghòs.*

Armenis *Taûs.* Tangutis *R'mawsha.*

Tibeti et Indiae borealis nativus, frigora etiam borealia apud

nos non timet. In Taurica Chersoneso hortos montani tractus quasi spontanea colit, victum ipse sibi quaerit, totaque hyeme in arboribus pernoctat et quo frigidior tempestas, eo altius per ramos in ipsam usque cacumen adscendit; Neque a gelu saepe ibi ad 15. et 18. gradus aucto laeditur. Generat non ante tertium aetatis annum, cum mas perfectum pennarum supracaudalium apparatum acquisivit. Inimicitia prosequitur Gallopavones et Anseres, intactis Numidis, Gallinaceis et Anate. *Nidum* quoque foemina inter densissima arbusta humi, vel in elatis maceriis, tectisque proprio marte condit, et exclusos pullos exalto dorso insidentes, descendit. — Pavones albi in Rossia etiam non rarissimi; spontaneos in Norvegia vagari et hyeme in Germaniam migrare, quod *Buffonius*, nescio quo auctore, credidit (*p.* 324.), ridicula est fabula, neque magis, quam Aethiopum candidorum, causa hujus varietatis in climate quaerenda. Etenim Phasiani etiam in Belgia varii et plane candidi, inter domesticos, generantur, licet miti sub coelo, imo ubi hyemes mitiores, quam in patria Colchide, vel saltem Caucaso.

XXXIV. NUMIDA

235. NUMIDA *Meleagris.*

N. capite galeato, caruncula ad rictum gemina, gula laevi.

Numida Meleagris, *Lin. syst. XII. I. p.* 273. *Brisson. orn. I. p.* 176. *sp.* 1. *tab.* 18.

Peintade, *Buffon. orn. II. p.* 163. *tab.* 4. *D'aubent. pict. n.* 108. *Latham. syn. IV. p.* 685. *n.* 1.

Rossice *Cèsarka* (Caesarea).

Tataris tauricis - - - - -

Afra avis in Rossiae frigidiori climate necessario languet, et praeter Petropolin et Moscuam adhuc rara est; sed in Chersoneso taurica vulgatissima et foecunda. In sylvosis et hortis a primo mane gregatim excurrunt et ubique vagantur victum sibi ipsae quaerentes, vesperi cum clamore domum redeunt. *Foeminae* sibi nidum inter vepreta, aut densas altasque herbas quaerunt, et plurima ova secreto loco pariunt, sed vix unquam incubant ipsae, unde ova gallinis subponi solent studio conquisita. *Victus* praesertim ex Insectis et granis variis. Rigidiore tamen hyeme a gelu digitos pedum amittunt, si non loco temperato curentur. Alias vividissima et robusta avis; quando semel plumas nacti sunt pulli, raro aegrotant. — *Carnes*, ut Pavonum juniorum, post Phasianum colchicum delicatissimae. *Cerae* species huic generi adest, in qua nares.

ORDO V.

GRALLAE.

Grallae etiam *Ordinem* efficiunt verè *naturalem* et per Otidum genus ad Gallinaceorum seu Pulveratricum affinitatem accedentem. Praecipuus ejus character est *pedum* et *colli* proceritas et supra genua denudata *Femora*. *Rostris* autem valde inter se discrepant genera, ut tamen transitus quodam modo in forma a conoideo Otidum et fere gallinaceo rostro, per Grues et Charadrios, ad Scolopaces appareat, longissimis, bacilliformibus rostris instructas, qualibus nullum aliud avium genus praeditum est. Differunt autem praeterea Grallae a

Gallinaceis, quod sint *monogamae*, migratioriae, pleraeque aquarum atque paludum amantes, victu animali magis, quam vegetabili addictae, ideoque et ingluvie carentes et ventriculo minus musculoso haud triturantes. *Pulli* tamen in omnibus nascuntur apertis oculis et statim matrem sequntur. *Vox* plerisque rara, et aliquae plane mutae sunt; lavant etiam, nec pulverantur: saltim pleraeque, non enim de omnibus affirmare ausim. *Colores* fere in omnibus haud splendentes; gryseus, ferrugineus, pallidus, albus, cum nigro mixti, variegatione diversa. Omnibus *cauda* brevis, ne in palude ambulantibus esset impedimento. Pleraeque sunt culinae apta fercula, et quaedam inter exquisitissima apiciorum delectamenta.

XXXV. OTIDES.

Otidum genus, tridactylum et in omni orbis parte minime numerosum, rostro proxime ad *Pulveratrices* accedit, dum pedibus denudatis et collo elongato, nec non habitu corporis reliquo et moribus *Grallis* se consanguineum praebet. Ejus duae tantum apud nos, ut in reliqua Europa, observantur species.

236. OTIS *Tarda.*

O. canescenti-alba, dorso fulvo nigroque doliato, gula maris utrinque barbata.

Otis s. Tardo auctorum, *Willughb. orn. p.* 129. *tab.* 32. *Raj. av. p.* 38. *Dodart. act. III. p.* 309. *Albin. av. III. tab.* 38. 39. (male) *Frisch. av. tab.* 106. *a. b. Mas* et femina. *Edward. av. tab.* 73. 74. *Zool. brit. p.* 87. *tab. N.* mas. *Brisson. orn. V. p.* 18. *D'aubent. pict. tab.* 245. mas.

Otis Tarda, *Lin. syst. XII. I. p.* 264. *sp.* 1.

Rossice *Dudàk;* Malorossis *Drochwa;* ad Jaicum et in Sibiria *Drap* vel *Stepnaja Kuriza* (camporum Gallina).

Lettonice *Sihga.*

Tataris *Soadak;* Kirgisis *Duwadak*; Sibiricis quibusdam *Korda.*

Mongolis *Todach* et *Toâduk;* mas *Sachaltù* i. e. barbatus.

Tungusis Dauuriae *Tòdok.*

Otis in desertis campestribus Rossiae, Tatariae magnae et australibus Sibiriae citra Lenam, ut et per omnem Ucraniam, Volhyniam et Podoliam frequentissima est, Martio jam ab austro adventans, et per paria se dispergens, autumno turmatim remigrans. Hyemat autem, potissimum quidem extra Imperii limites in Moldavia, Anatolia, Persia, Tataria, Mongolia, sed tamen quotannis magno numero commigrat in Chersonesum Tauricam, ubi usque ad frigora in campestri regione, ingruente bruma in ora montuosa et sylvastri gregatim versatur. Mitiore hyeme etiam in Astracanensi deserto, praesertim vero circa Cumam et Terec fluvios hybernat. Quando nebulae, vel pluvia cum gelu subito incidunt, plumae illis circa jugulum et in dorso crassa glacie incrustantur adeo, ut subvolare nequeant, vel si subvolent a pondere glaciei denuo deprimantur. Tunc in Tauria canibus et manibus capiuntur numerosae, vel fustibus occiduntur, et in forum advehuntur plenis vehiculis, partim vivae, partim caesae. Neque tunc in campo deprehensae volare tentant, sed homini se opponunt, hiante rostro et ictu humerorum minabundae. Rigidissima hyeme anni 1803. in Tauria usque in oppida et pagos confugiebant et in tectis considebant. Et frigore perierunt haud paucae. Aliqui referunt, mares esse polygamos cum pruriunt, quod eo minus credo, quod vere et tempore incubationis in desertis plerumque per paria ambulantes viderim. Certum autem oestri tempore mares expansa flabelli more cauda superbire, et con-

cursu inter se alarum ictibus pugillatum exercere. Amant Otides loca desertissima, arida, ab aquis longe remota, praesertim aestate, prolificationis tempore. *Nidus* fovea parum excavata, in plano et nudo campo, pedali-diametro, gramine exsiccato superficialiter strata; *Ova* pro tanta ave parva, anatinis subaequalia, bina, ad summum quaterna, pondere unciarum 4. vel 4½. diametro verticali 3″. transverso paulo supra 2″. colore olivaceo-pallescente, lituris maculisque fuscis conspurcata, fere instar ovorum Arquatae. Incubat mater quatuor septimanas; Junio *pullos* excludit, parvos, uti ova, fusco-gryseo, pallidoque longitudinaliter varios, lanuginosos. Percepto homine mas sono amoenissimo, tenui, sed longe exaudiendo gregem admonet; dum alias fere mutae sint. Fugiunt primum cursu, erecto instar Scolocapum collo, tandem tarde et longo tractu subvolant, ut alibi, locisque maxime apricis consideant. Sponte, extra migrationis tempus vix volant, sed tramites circa nidos currendo efficiunt, in quibus Sibiriae incolae laqueos statuere solent. Mas solus ad aquam accedit, et incubanti foeminae potum in sacco sublinguali adfert qui foeminae deest. Haec enim nidum non facile deserit, et prope transeunte equite extenso collo se apprimit terrae, ut xix appareant homini; sed sagaciores equi saepe conspecta in nido Otide fulminis instar impetu feruntur, et avem pedibus conculcant. Curru iter facientes, dum in campis pascuntur, prope accedere patiuntur, speculabundae, sed minimo hominis gestu in fugam vertuntur. Equum vel armenta non timent, sed hominem e longinquo fugiunt, etiam inermem. Propterea venatores vel post equum latentes, vel tecti lineo velo quod instar scuti ante se expansum gerunt, intra sclopeti ictum accedere didicerunt. Cosacci ad Tanaïn supra axem duabus rotulis instructam virgulta figunt et sic reptabundi rotas ante se agunt, ut post virgulta illa latentes Otides fallant. Carnes pinguiorum et

juniorum deliciosae, pessimae foeminarum incubatione emaciatarum, et seniorum, ni aceto prius macerentur. — Captae cito cicurantur, stupidae aves, et inter domesticas aves agunt, sed speciem non propagant. — In borealiores regiones haec avis non venit, nec ultra Baïcalenses regiones in Sibiria datur; hinc nec in Americam transiit.

Descr. Lingua marginibus versus basin spinosis, apice *bifida* (quod male in *Linnaeo* reprehendit *Buffonius*). In *mare* fraenum sub lingua duplex, interque plicas distantes apertura *sacci* peculiaris, oblongi, anserino fere ovo capacioris, ad medium usque collum extensi; *oesophagus* item in mare ampullatus et circa medium collum *secessu ingluvioso*, ejusdem fere capacitatis instructus. Hinc *gula* laxe extus plumis utrinque ad medium colli elongatis, raris, setaceis *barbata*, quae foeminis junioribusque desunt. — In omnibus *lanugo* inter plumas pallide et amoene *rosea*. *Dorsum* rectricesque *mediae* fulvo nigroque transverse fasciantur; *remiges* pleraeque, praeter rhachin et marginem interiorem, nigrae; reliqua fere alba, maculis tantum in jugulo fulvis. *Remiges* 25 ad 30, interiores fere totae albae, ut et tectrices secundariae. *Rectrices* 20. latae in utroque sexu, omnes, praeter extimam, fascia latiore nigra versus apicem; mediae dorso concolores. *Pedes* fusci. *Pondus* foeminis librarum 8 ad 12 medicarum; maribus 18 ad 28. *Mensura* masculi mediocris ad uropygium 2′. 4″. 5‴. alarum expansarum 5′. 10″. 0. compositarum 1′. 11″. 0‴. caudae 10″. 2‴. femorum 8″. tibiarum 5″. digiti medii 2″. 6‴. rostri ad fraenum 3″. *Trachea* recta in thoracem descendens. *Ossa* alarum vacua. *Cystis* magnitudine fabae. *Ventriculus* carnosus, vix triturans, insectivorarum similis. *Intestinum* amplum, quadripedale; *coeca* amplitudine digiti, pedalia.

237. OTIS *Tetrax.*

O. gryseo-alba, dorso gryseo-nigroque undulato, collo maris atro, imberbi, albo marginato.

Anas campestris et Stella avis Auctorum, *Willughb. orn. p.* 129. *tab.* 32. *Raj. av. p.* 59. *n.* 2. *Albin. av. III. tab.* 41. foemina *Edward. av. tab.* 251. foemina.

Otis minor, *Brisson. orn. V. p.* 24. *sp.* 2. *tab.* 2. *fig.* 1. mas, *fig.* 2. foemina.

Otis Tetrax, *Lin. syst. XII. I. p.* 264. *sp.* 3. *Buffon. orn. II. p.* 45. *D'aubent. pict. tab.* 10. foemina, 25. mas.

Rossis australioribus *Strépet;* ad Jaïcum *Stepnoi Teteref* (Tetrix campestris) et *Tressutschka* (trepida). Malorossis *Chochotwa* (ridibunda), *Stepnaja Kuriza.*

Calmuccis *Bill* vel *Muchor-Jaman* (coeca male).

Kirgisis *Tjilekús;* Tataris Casaniensibus *Bisgelek.* Tauro-Tataris *Bisgelaek.*

In Rossiae provinciis meridionalibus compestribus, perque universum desertum tataricum copiosa avis, quotannis tardius otide adventans et tempestive discedens. Aprili et autumno per tauricam Chersonesum et ad Caucasum copiose migrans, per paria aut parvis turmis. At in Sibiria prorsus deest. Loca aeque solitaria amat et aprica, nec minus difficilis est venatu, ac Tarda, cujus formam, ut congeneres omnes, refert. Crebro circa vias pabulum legere observatur; forte quod ibi coleoptera magis abundare solent. Equos parum timet, terrefacta autem creperum sonum edit, unde nomen rossicum et malorossicum. *Nidus* in mediis campis; *ovum* gallinaceo minus, sordidius viride, lituris obsoletissimis lutescentibus. Vividior et mordacior Tarda et cautissima. Laqueis capitur:

Not. 1. *Buffonius* omnes perstringendo Auctores probare cupit, rarissimam hanc extra Gallias suas esse avem. Sed in temperatioribus minus habitatis totius Europae, frequentiusque in Polonia et Rossia, habitat; Galliam vero ideo amat, quod cum temperato situ, desertas multas habet regiones et campestria inculta. — Male item *Buffonius* colorem dorsi in mare et foemina non differre et ova pulcre viridia esse, aliaque minus adaequata habet. *Mas* habet *gulam* plumbeo-canescentem, cinctam linea alba, ab auribus descendente et in angulum coëunte. *Collum* dehinc totum atrum, macula saepius alba subtus versus gulam. *Fascia* alba versus jugulum nigredinem terminat, in qua area magna, lunata, atra transversa. *Variegatio* dorsi multo elegantior et color pallidior, quam foeminis et junioribus, quibus collum et gula corpori concoloria.

— 2. Forte aves *Rhaad* et *Safsaf Shawii* (*itin. p.* 252.) ab Otide Tetrace non erunt distinguendae; quod fecit *Buffonius orn. II. p.* 61.

Not. 3. Sub collari nigro collum usque ad ipsam nucham cinctum musculo subcutaneo ejusdem latitudinis et 3 lin. crassitie, cui succubat utrinque musculus longitudinalis, digiti latitudine, ab auribus per collum discendens secundum laryngem et oesophagum, initio una linea crassior, dein sensim adtenuatus. Cuinam usui? — Carnes pectoris fuscidae, femoralis exporte albida, contra quam in aliis avibus.

XXXVI. GRUES.

Exposui jam olim in *Spicilegiis Zoologicis* (*) quapropter et quibus characteribus a Genere *Ardearum*, Grues et Ciconias distinguen-

(*) *Fasic. IV.* p. 4

das esse putem. Neque nunc aliter sentio, et haec genera sic divisa exponam. Grues Fauna nostra complures asiaticas habet, dum in reliqua Europa tantum unica observetur vulgaris. Caeterum fere characteristicum est Gruibus, quod iis *trachea* in sinu sterni magno circuitu flexuosa sit, quod neque in Ardeis, nec in Ciconiis; an quod vocales istae sunt, hac fere mutae?

238. GRUS *Antigone.*

G. capite toto nudo papilloso, auribus plumosis, corpore cinereo, pedibus rubris.

Grus dauurica cinerea recalva, area aures obtegente plumacea, orbiculari, cinerea, cute pedum punicea, ductu cervicali candido longissimo, *Messerschm. orn. MS.*

Grus haematopus, *Gmel. sen. obs. MS.*

Grus major indica, *Edward. av. I. p. tab.* 45.

Ardea Antigone, *Lin. syst. XII. I. p.* 245. *sp.* 6.

Mongolis *Charà - Toegerti* (nigra Grus).

Tungusis Dauuria *Karáu.*

Circa Selengam et in apricis aquosis Dauuriae, maxime ad Argunum et Dalai-noor, quotannis adventat et pullos educat, magis fere frequens ibi Grue vulgari, quae ad septentrionem abit, magisque aquosa loca frequentans. Dicitur etiam interdum in deserto Astrachanensi apparere, et in Tatariae magnae desertis, praesertim Kirgiso-tataris non incognita est. Nunquam gregatim, sed per paria volat.

Descr. Magnitudo supra Gruem vulgarem. *Rostrum* livido virescens, acie maxillae superioris utrinque versus apicem levissime serrulata. *Irides* aurantio-rubrae. *Caput* majore parte recalvum, villis in cute nuda exiguis, rubicundis, hinc inde flaventibus, im-

mixtisque pilis rariusculis nigris. *Palpebra* inferior alba; aurium *area* orbicularis plumosa cinerea. *Irides* corallinae. *Collum* fasciis longitudinalibus, utroque latere obscure cinereis, subtus et cervicali usque ad dorsum albis. *Dorsum* cinereum, limbis plumarum dilutioribus; *uropygium* canescens. *Jubae* scapulares albae, non, ut in vulgari, pendulae vel surrectae. *Remiges* 36. cum *tectricibus* fuscae, *secundariae* sensim canescentes, imo intimae albicantes. *Cauda* rotundata: *rectrices* 12. cinereae, extremo nigrae. Subtus corpus totum obscure cinereum. *Pedes* punicei, seu violaceo-rubri; *ungues* nigri, crassi, obtusi; *plicae* inter digitos exiguae, crassae, externa insignior. *Pondus* 16. ad 18 librarum. *Mensurae* a summo rostro ad sternum 2'. 6". 0'''. ad uropygium 3'. 4". 0'''. rostri 6". caudae 9". femorum 12". tibiarum 9". digiti medii (cum ung. 6'''.) 5". posterioris cum ungue 1". *Trachea* in sinu sternali maxime anfractuosa, annulis perfectis osseis, sed *bronchi* imperfectis constant.

239. GRUS *Leucogeranus.* TAB. LIV.

G. facie nuda rostro pedibusque rubris, corpore albo, remigibus primoribus nigris.

Grus Leucogeranus, *Pall. itin. II. append. p. - - - n.* 30. *tab. I.*

Ardea gigantea, *Gmelin. jun. itin. II. p.* 189. *tab.* 21. mala.

Rossice *Sterch.*

Tataris casaniensibus, *Kûgolok;* Baschkiris *Ak-Turnà* (alba Grus). Kirgiso-tataris *Syn-Korau.* Jacutis *Kaballek.*

Permaecis *Yllin;* Siraenis *Woim;* Vogulis *Uaiken-Tarich* (alba Grus); Ostiacis eodem sensu *Navi-Tor;* ad Surgut *Nevi-Kagert;* ad Narym *Tschiach-Karù* et *Kuma* et *Nagi-tarach;* ad Ket fl. *Nyrgolkora.*

Calmuccis *Zenn*; Buraetis *Zagàn-Toegerü* (alba Grus).
Tungusis ad Chatangam *Gashà*; Lamutis *Kidok*.
Samojedis *Nénai-charà*; Coibalis *Chasgalasch*.

In australibus circa Volgam et mare caspium vere tantum per paria transvola observatur, et cito in borealiora migrat. Abundat praesertim in paludibus et arundinetis camporum Ischimensium atque Barabensium; per reliquam Sibiriam et in maxime borealibus rarior avis. Usque ad sinum Obensem tamen observata est, quum vulgares Grues tantum ad Obdoriense munimentum usque perveniant. Etiam ad Lenam et transvolae in Dauria observantur sparsim. *Victitant* ranis, lacertis et maxime pisciculis. *Nidus* inter arundines inaccessas, supra tumulum caespitosum elatiorem, herbis congestis stratus. *Ova* bina, anserinis paria, cinerascentia, lituris (*) crebris fuscis pondere unciarum 5½. vel ultra. Incubat Majo. Viso homine ad nidum e longinquo advolat; sed exterrita vel laqueos statutos percipiens nunquam redit. *Mas* circa nidum custodiam agit et contra feras et canes rostro teli instar jaculato acerrime pugnat, adeo infensus canibus, ut interdum venatoris obliviscatur. Alias cautissima avis et e longinquo hominem percipiens. *Clangor* frequens. extenso versus coelum collo olorino fere similis, praesertim subvolantis. Ingressus et mores omnino Gruis vulgaris. Cicurata cum Grue vulgari amice vivit, uti haec cum G. Virgine. *Messerschmidius* et *Gmelinus* Leucogeranum pro Ciconia habuerunt.

Descr. Etiam Antigone fere procerior; stans erecto corpore et collo, quatuor cum dimidio pedes aequat. *Rostrum* majusculum, rubrum, aciebus utriusque maxillae versus apicem serrasis, ut in Antigone. *Lingua* longitudine ⅓ rostri, lineari-adtenuata, triquetro-cana-

(*) *Buffonius* inter ova avium et ipsas aves analogiam esse statuit colorum.

liculata, acutissima. *Nares* oblongae, antrorsum effusae, in excavatione molli rostri. *Facies* ultra oculos nuda, rugosa, rubra, setulis crebris rufis holosericea. *Gula* plumosa. *Irides* pallido-albae. *Corpus* totum in senioribus nivei candoris; biennibus tantum cervix longitudinaliter, et interdum dorsi initium et brachia fulvescenti-aureo colore inumbrata. *Remiges* 10. primores solae, cum *tectricibus*, nigrae, *secundariae* 20. latae, rotundatae, intimae longiores, tectricesque aequales. *Pennae scapulares* minus, quam in G. vulgari, elongatae. *Cauda* subaequalis; *rectrices* 12. latiusculae, albae, mediae 2. subacuminatae. *Pedes* proceri, rubri unguibus crassis, intimo magis incurvo. — *Anniculi* toto corpore fulvescunt, subtus albidi: rostro, facie, subplumosa, pedibusque virescentibus. — *Pondus* 16. et ultra librarum. *Mensurae* a rostri apice ad nucham 10″. ad sterni sinum 2′. 2″. ad uropygium 3′. 6″. 9‴. ad apicem digiti extensis pedibus 5′. 3″. rostri ad oris angulos 7″. 1‴. In *ventriculo* selecti lapilli quarzosi cum comminutorum piscium aristis mixti. *Intestinum* amplitudine fere pollicis, a pyloro ad coeca semipedalia, novem pedum longitudine. *Ventriculus* mole ovi anserini. *Trachea* amplitudine digiti minoris, sesquipedalis usque ad sinum sterni, in quo sigmoideo flexu curvatur, a glottide ad pulmonem circiter bipedalis. *Testes* mari lutescentes, sinister anterior, oblongus, dexter mole et figura glandis.

Not. Etiam Petropoli medio Aprilis bigam Leucogeranorum transvolantem vidi et vix dubito, eandem esse avem, quam, pro ciconia alba habitam, in Japonia hybernare *Valentyn* et *Kaempfer* prodiderunt.

240. GRUS *vulgaris.*

G. occipite nudo papilloso rubro, corpore cinereo, vertice remigibusque nigris.

Grus auctorum, *Frisch. av. tab.* 194. (mala) *Brisson. orn. V. p.* 374. *tab.* 35. *Marsil. danub. V. tab.* 1. *D'aubent. pict. tab.* 769.

Ardea Grus, *Lin. syst. XII. I. p.* 234. *sp.* 4.

Rossice *Shuràwl.*

Tataris *Turnah.* Bocharis *Kaeraeki;* Persis *Tornà.* Jacutis *Turrujah*, Kirgisis *Usàk.*

Lettonice *Dsehrwe;* Esthonice *Kurg.*

Morduanis *Kuroga;* Votiacis *Turi;* Vogulis *Schèmel-tarick;* Ostiacis *Pytti-tor*, ad Surgut *Pychti-Kugert*, Wassuganis *Taràck*, ad Narym *Seaeeh-chara.* Permaecis *Turi.*

Samojedis *Seng-charà* (adjectiva omnia *nigram* significant); Karagassis *Korù.*

Calmuccis *Togerùn;* Mongolis *Charà-Toegerü;* Buraetis *Bochorù.*

Tungusis *Karaù;* Lamutis *Karaf.*

Jukagiris *Kortschong.*

Camtschadalis *Kruack-tawyd.*

Japonensibus *Zyru*, Armenis *Darna.*

Per omnem Rossiam et Sibiriam, usque ad Lenam, imo ad Kovyma et Anadyr fluvios frequentes habentur; in Camtschatca vero, usque ad Promontorium Lopatka nullae, ob defectum forte Serpentum Lacertarum et Ranarum. Rarius tamen circa Nischno-Camtschatskoi transvolas apparere certior factus sum, et transvolantium vocem a Camtschadalis admodum timeri; dicuntur etiam circa Olutoram observari. Ad Obum et reliquos arcticum versus Oceanum

tendentes fluvios, quousque sylvae, descendunt et nidulantur, desunt in nudis orae arcticae. Hybernant in temperatis australioribus Asiae; nidos in paludibus borealibus praesertim condunt, unde ad prima frigora per temperatiora migrant gregatim, certae instantis hyemis nunciae. Plures tamen in temperatis etiam subsistunt et prolificant, ubi vasta deserta, perque omnem Tatariam magnam tota aestate passim sporadicae occurrunt. A Rossis et barbaris comeduntur, et sunt juniores lautioribus mensis haud indignae. Calmuccis vero et Mongolis Gruem occidisse relligo et magnum nefas. Imo occissorem occoecari asserunt. Credunt autem Gruem nidum custodientem expansis alis, extensoque collo sursum deorsum moto, quasi salutare appropinquantem hominem, et adorare. *Vox* clanga, praesertim subvolaturis et ante tempestates. Solem orientem concentu salutant. Migrantes silentio volant, instructo, ut notum est, cuneo, altissime interdum in atmosphaeram elevatae, praesertim quum per habitata loca tendunt. *Pulli* singulo nido non ultra duo; antequam alae crescant, latent, cursuque pernicissimo fugiunt. *Vivunt* lacertis, serpentibus, vermibus, muribus etiam; dein granis, baccis. Venatorem post equum latentem, vel curricula, propius admittunt, alias cautissimae. Cicuratae, ni alae maturius praecidantur vel debilitentur, migrationis tempore adpropinquante inquietae fiunt, volaturientes, et tandem viso praesertim agmine migrantium, aufugiunt.

Not. Pondus 12. ad 15 librarum. *Remiges* 34. imo quibusdam 36. *Irides* rutilo-flavescentes. In vivo cutis rubra, papillosa, calva occipitis leviter antrorsum corrugatur. Juniores cinereae, capite colloque gryseo-flavescente. Perfectis jubae scapulares falcatae, surrectae.

241. GRUS *Virgo*.

G. collo nigro, superciliis cristatis albis.

Virgo numidica, *Edward. av. III. p. tab.* 134. optima.

Grus numida, *Albin. av. III. tab.* 83. *Brisson. orn. V. p.* 388.

Ardea Virgo, *Lin. syst, XII. I. p.* 234. *sp.* 2.

Demoiselle de Numidie, *D'aubent. pict. tab.* 241.

Rossice *Maloi* vel *Samorskoi - Shurawl* (parva vel transmarina Grus).

Tataris Tauricis *Bagdad - Turnà* (Grus babylonica); Kirgisis *Kaskaralè - Turnà* vel *Kara - kalè*.

Mongolis *Chorrchiror - toegerü* (Gr. clamosa).

In maxime australibus desertorum versus Danubium, mare caspium et per omnem Tatariam magnam, maxime circa lacus salsos et in squallidis Reptilium copia abundantibus passim apparent; frequentiores circa Selengam, in aquosis Dauuriae, maxime ad Argunum et Dalai - Noor, perque Mongolorum deserta; omnium vero frequentissima in Tauricam chersonesum, pauperem alias avium speciebus, ex Anatolia advolant, ibi maritimos praesertim lacus salsos frequentant, et post educatam prolem autumno gregatim, cum solito inter volandum laeto clangore et instructa acie, horsum vorsum aëra tranant; hyeme vero instante trans Euxinum Pontum in Asiam minorem remigrant, unde vere gregatim item, ineunte plerumque nocte adventantes redeunt; prolificantes monogamae, per paria in loca maxime solitaria secedunt, cautissimae. *Nidus* in media solitudine humi, ubi mas incubante femina excubias agit, et pro conjuge pugnat audacissime. Juniores domesticae factae (evadunt autem cito et admodum familiares) locum in horto, vel media in area domus, licet hominibus frequenti, apricum eligunt pro nido, et vix

quidquam substernunt. Foemina ibi in nuda humo incubat, pluvia etiam tempestate, et mas excubias agens canes et homines jaculabundus arcet, *Ova* anatinis aequalia olivaceo-grysea, rufescente guttata, duo semper et totidem pulli. *Juniores* stolidi, in Tauria frequenter capiuntur antequam volare didicerunt et facillime cicurantur, ut pipientes hominem sequantur et pabulum poscant. Pipitum istum crebrum continuant, donec plumas vere mutant; tum enim gruina voce crocitare incipiunt, rariore, et praesertim edita quum insoliti quid viderint; hinc optimae custodes et admodum vigiles, extraneorum quoque adventum nunciant. Caeterum homini ita adsuescunt, ut pabulum e manu petant famelicae. Hyemale frigus impatienter ferunt, attamen sine pedum nudorum detrimento, licet inde sanguis subinde stillaret, usque ad 15 gradus Reaumurianos pertulisse vidi. Frigidiore aëre libenter insolantur; aestate pluviam et rorem aquae artificialem expetunt, humido gaudent et lavant. Serena tempestate inter se miras choreas agunt, expansis alis in circulum desultantes et modo concursu quasi pugnaturae, modo altera alteram exagitantes, ludunt. Vidi etiam solitariam in villa detentam praesertim sub vesperam choream saltantem, et arrepto quocunque objecto ludentem, quod in altum projectum rostro saepius excipiebat. Adulti mares zelotypi, electam praesertim foeminam custodientes, licet biennes nondum prolificationi apti. Coëuntes, foemina expansis alis et extenso collo decumbit, mas expansis item alis supervenit. Et mirum jam inter pullos, foeminas adsueto homine transeunte similiter jam decumbere, mares semper erectos rostro minari; unde sexus jam tunc dignosci possunt. Pugnaturi alas expandunt, erigunt collum et sibilant; plumas capitis colli et juguli arrigentes. Insecta et quaelibet reptilia colligunt curiose; lacertas, imo mures oblatos, praesertim vivos, vorant; serpentem porrectum diu rostro

in aëra jactitant, donec exanimetur; praeterea nutriuntur granis variis, pane, *caet.* omnivorae. Vagantur usque ad noctem et tunc praesertim venantur. Transvolas congeneres clamore salutant, et tunc ipsae inquietae discurrunt et volaturiunt. — Spontaneae, dum autumno vel vere gregatim volant, aciem longa serie obliqua instruunt, vel cuneo volant, cum continuo clangore. — *Pulli* primo anno toti cinerei, jugulo vix nigricante, iridibus fuscis, rostro livido, superciliis cinerascente albidis, haud cristatis, inconcinni. Sed sequenti post nativitatem vere plumas elegantiores induunt, leucophaeas, tumque superciliis prolixis sericeis albis auritae incedunt, et jubam juguli nigram promittunt, propter quam a Kirgisis orientalibus caro aestimantur, partim quod apud eos minus frequentes sunt, circa fluviolos *Ulentice*, *Jakschibai* et *Ankate* praesertim occurrentes, partim quod adultae et perfectae difficillime occiduntur, Hinc avis hujusmodi quinque ovibus, imo equae aequiparatur. Sunt enim puellis ditioribus praecipuum ornamentum mitrae, colla duo harum Gruum, cum jubis nigris detracta et supra bacillos siccata, ut cornuum modo mitrae adfiigi possint, quale ornamentum *Karkara* vocatur. Matres hujus speciei exclusos teneros pullos statim in altas herbas deducunt, ut bene lateant. Lanugo tunc illis in capite flavescens corpori cinerascens, variegata. Magnitudinem Gruis tribuit huic *Gmelinus* in *Syst.* quae tantum distat a Grue, quantum gallina a *Gallopavone.*

Descr. Magnitudo dimidia Gr. *vulgaris,* qua adhuc gracilior et proportione procerior. *Rostrum* livido virescens, apice lurido rubente in adultis. *Lingua* integerrima. *Gula* tota plumosa, neque *lora* denudata. *Irides* cum circulo scleroticae fulvo rubrae vel corallinae; *periophthalmium* fusco-marginatum. *Caput* cum *collo* toto et juba prolixa juguli nitide aterrima; *vertex* medius canescit. *Palpebrae* albo plumosae, margine nigrae; *fascia* ab oculis nivea, utrinque

in *cristam* occipitis dependentem elegantissimam producta quae ad nucham corniculorum instar prominent. (*Foeminis* hae cristae superciliares minus prolixae, ex canescenti albae). *Corpus* totum plumbeo - canum; cervicis et interscapulii plumae elegantissimae, acuminatae, rigidulae, rhachi tenuiter fuscae. *Remiges* 32. cum ala primaria tota canescenti - nigrae, extremo nigriores; intimae 5. ultra alam primariam elongatae, fere totae canescunt. *Cauda* subaequalis, cano - fuscescens, pennis latis. *Pedes* longissimi nigri; *digiti* mediocres, *plica* tantum exteriores crassa, interioris *ungue* longiore, adunco. *Pondus* librarum 6¼. *Mensura* ad uropygium bipedalis; ad sternum 1'. 2''. 7'''. rostri ad frontem 2''. 4'''. ulnae alarum 1'. 6''. 0. expansarum 5'. 4''. 6'''. caudae 7''. 3'''. femorum pars nudata 3''. tibiarum 6''. 6'''. digiti antici medii (cum ung. 6'''.) 2''. 9'''. postici 10'''. — *Pullis* lanugo cinerea, in capite et collo lutescens, *adultioribus* corpus totum, vertex et cervix plumbeo - cinerea, subtus sordidiore colore. *Fasciculi* superciliares retrorsum arrecti breves, basi albidiores, extremo fuscescentes. Gula, collum subtus et prolobus sensim nigrescunt.

Not. amiciss. Schangin ad fluv. Corgon Alpium Altaïcarum observavit Grues vulgaribus minores, coerulescentes, pedibus humilioribus, voce a solitis diversas sed non potuit cominus examinare. Forsan ad G. virginem erunt referendae, quae tamen in pedes procera est.

242. GRUS *Vipio.*

G. palpebris circuloque aurium nudis rubris, corpore cinerascente, remigibus nigris.

Grus minor albus, *Gmelin. sen. obs. MS.*

Mihi haec species in Dauuria nec visa, nec audita, sequentem vero descriptionem ejus et iconem non admodum bonam, inter *Gmelini senioris* schedas reperi, qui illam in oppido Nertschinsk,

apud praefectum provinciae vivam vidit et accepit eam in Dauuria cum antecedente vivere, a qua certe diversa et ob parvitatem nulli alii speciei adnumeranda videtur, licet ex iconis proportionibus omnino junior avis videatur.

Descr. "Minor adhuc G. *Virgine. Rostrum* tenuius, quam illi, „5". 3"'. longum, e viridi albicans. *Caput* anterius et sub oculis „cinereum, nigrisque pilis respersum. *Verticem,* qui cum superiore „parte colli plumis flavescentibus et albis per longitudinem striatus „est, *fascia* cingit alba, utrinque versus collum descendens. *Irides* „flavae. *Palpebrae* coccineae, circumcirca pilis nigris obsitae. In „genis area cinerea, plumis rarae texturae vestita" (*aures*) "quae „*annulo* coccineo obscuriore, a palpebris producto cingitur. *Gula* „primo alba, hinc cinerea, *collum* reliquum album. Inferior pars „*vestitricum* alba, superior earundem regio, cum *dorso*, cinerea. „*Remiges* nigrae. Tota *prona* facie, cinerea, nisi versus caudam, „ubi alba. Pedes pallide rubentes, ungues nigricantes, adunci." *Gmel.*

Not. Nisi parvitas obstaret, cum pennarum perfectione juncta, pro *Vipione* seu pullo *Gruis Antigones* habuissem.

XXXVII. CICONIAE.

Ratio non facile datur, quare Ciconiarum species adeo locales sunt, quum tamen fere ubique pabulum adaequatum invenire queant. Equidem planum est, Hispaniam, Galliam et Tauricam Chersonesum ideo ab illis non frequentari, quod propter aestivi humoris defectum et penuriam lacuum et aquarum stagnantium, ranae et pisces ibi desint; ob contrariam contra rationem copiosas esse in aquosis Ae-

gypti et Belgii. Difficilior autem indagatio causae, propter quam Ciconia nigra usque in Sibiriam ubique frequens, C. alba tantum in occidentalibus temperatis Rossiae, et in Europa familiaris sit. Nisi forte dicas, hanc praecipue Ranas pro victu eligere, quae in Rossia borealiore et omni Sibiria fere desunt; illam contra aquatilibus promiscue pascatur. Et tamen ad Volgam Ranarum abunde est, Ciconia alba autem vix occurrit; et clima etiam aestivum multo magis favet, quam in Belgio et magna parte Germaniae. Utraque vero nostrarum Ciconiarum Americae deest, quae species hujus generis habet proprias, australiori regioni dicatas (*).

243. CICONIA *alba*.

C. rostro pedibusque rubris, corpore albo, remigibus nigris.

Ciconia alba auctorum, *Marsil. danub. V. tab.* 11. *Frisch. av. tab.* 196. *Brisson. orn. p.* 365. *tab.* 32. *D'aubenton. pict. tab.* 866.

Ardea Ciconia, *Lin. syst. XII. I. p.* 235. *sp.* 7.

Rossice *Bussell ptiza;* Malorossis et ad Terekum *Botschàn* et *Nekleika.*

Bocharo-Tataris *Leglek.* An Baschkirorum *Kordai?*

Calmuccis *Zenn.*

In regionibus Imperii Poloniae finitimis, australioribus, et debellata parte regni Polonici, uti in Europa frequens; etiam ad Terec fluv. sub Caucaso fluentem quotannis copiose nidulatur; unde pro Ornithotrophio Imperiali Petropolin mitti solet. Per reliquam Rossiam et Sibiriam etiam australiorem nunquam observata, licet in oppositis

(*) De condendo Ciconiae genere egi in *Spicil. Zool.* in descr. *Psophiae.*

ad austrum regionibus, v. gr. Bucharia, non ignota sit, et ranae saltim circa mare Caspium et ejus fluvios vulgares sint. — Certissima est observatio, Ciconias saepe unum e pullis e nido dejicere, quem, licet humana cura reponatur, mater tamen iterum praecipitem dat. Adultos pullos mater famelicos in nido relinquit, in longinquo loco considens, ut tandem coacti relinquant nidum et duce matre volare discant; quod quidem in aliis multis avibus pariter observari potest. — Mirum quantum Ciconia rictum et gulam dilatare potest, sine negotio deglutiens cyprinos supra 3 digitos latos, et pedales lucios facile oesophago condit. Loco *vocis* sibilus per tracheam emissus et crepitatio rostri. Crotalistriam actura extendit collum et perpendiculari situ rostri sibilat iterato, dein resupinat collum ut rostrum fere caudum adtingat et concutit maxillas, primo lentius, dein crebro, et sub finem denuo lentius, demittens in priorem situm caput. Iratus plumas capitis in nucha longiores et jubas juguli, demum colli et totius corporis plumas arrigit.

244. CICONIA *nigra.*

C. corpore sericeo-atro, subtus albo.

Ciconia nigra, auctorum, *Frisch. av. tab.* 197. *Brisson. orn. V. p.* 362. *tab.* 31. *D'aubent. pict. tab.* 399.

Ardea nigra, *Lin. syst. XII. I. p.* 235. *sp.* 8.

Rossice *Ajist.*

Tataris *Karà-Kügolok*; vel *Karà-Dshilang*, in Sibiria *Schulén*; Baschkiris *Silaehn*; Kirgisis *Karà-Tama.*

Calmuccis *Chordshil.*

Ostiacis ad Irtin *Sorsèura*; ad Surgut *Njong*; ad Narym *Tollia, Tschilin.*

Tungusis *Schili* vel *Sschilin.*

Rarior in Europa occidentaliore, at per Rossiam et Sibiriam, in aquosis temperatioribus et usque ad Lenam frequens; ex austro migrat. *Victitat* piscibus, cancris, caet. quos saepe semiconcoctos reddit. Ut Ciconia alba, rostro crepitat, et pro voce sibilum edit, unde nomen Slavonicum ortum videtur. Saepe altis insidet arboribus, in quibus et nidulatur, *nido* inter medias frondes e virgultis contexto, tripedali et ultra diamedro. *Ova* quatuor, albissima, gallinaceis majora, pondere sesquitrium unciarum, vel paulo supra. Animosa est et pugnacior C. alba, multoque magis hominem reformidat; attamen aeque facile cicuratur. Pisces deglutitos saepe semicoctos per anum reddit, ut mira sit canalis intestinalis laxitas.

Descr. Aequalis C. albae et simillima. *Rostrum pedesque senioribus* saturate rubri, *junioribus* olivaceo-virescentes, *os* tamen intus etiam his flavum, et color jam autumno mutari incipit, primo circa rostri basin. *Lingua* brevissima, triangularis, basi vix una alteraque spinula aurita, extremo lineari, rotundato. *Lora* cum oculorum ambitu et membrana inter ramos maxillae nuda, fusca. *Irides* obscure gryseae, provectiore aetate fulvae; tumque palpebrarum quoque margines rubent. *Caput* et *collum* junioribus et foeminis obsolete nigra, quin et gryseo-nebulosa, perfectis maribus cum toto dorso, alis, caudaque aterrima, pulcherrimo perfusa splendore, violaceo et viridi variante. *Pectus, abdomen* et *crissum*, pinnaeque *subalares* circiter octonae, nivei candoris. *Cutis* per totum corpus, maxime in anterioribus, sanguinea, ut in C. rubra et Haematopo. *Remiges* 30. praeter extimam minutam. *Unguis* medii digiti leviter emarginatus. *Pondus* supra 5 libras. *Mensura* ad uropygium 2'. 4''. o. alarum expansarum 5'. 8''. 9'''. ulnae 1'. 8''. o. caudae 9''. rostri ad frontem 5'' 7'''. ad rictum 6''. 3'''. partis nudae femorum 4''. 2'''. tibiarum 7''. 7'''. digiti medii (c. u. 6'''.) 3''. 11'''. postici 1''. 6'''. *Oeso-*

phagus laxus, rugis intus longitudinalibus, *bulbo* ovum columbinum aequante. *Ventriculus* carnosior, quam in Platalea. Intestinum 4½ pedum; *coeca* duo exigua (3½‴) quadripollicari, et coecum adhuc *azygon* exilius (1‴.) bipedali ab ano intervallo. *Trachea* recta. Inter cystidem felleam et hepar ductus cysthepaticus evidens. *Testes* cylindracei, sinister antrorsum elongatus et extrorsum recurvatus. Colli vertebrae 14.

XXXVIII. ARDEAE.

Ardeae victu et vitae genere magis Ciconiis quam Gruibus assimilantur. Characteribus autem, quos in Spicilegiis exposui, ab utrisque differunt et egregie inter se conveniunt omnes, ut praeter *habitum* in aliis *nanum*, in plerisque *procerum*, vix ullum circumcaesurae discrimen in omni numero specierum appareat. Licet aquaticae, arboribus tamen insidere amant, in iisque nidulantur, non, uti Grues, geophilae. *Victum* tamen omnem ex aquis petunt et piscium sunt jaculatores. Non plane quidem mutae sunt, ut Ciconiae, attamen minus vocales, quam Grues, minusque gregariae. Volant non extenso collo, ut Grues, sed ad humeros retracto. Migrant solitariae ex austro.

245. ARDEA *cinerea.*

A. corpore supra cinereo, crista bipenni dependente fasciaque pectorali nigris, colli jubis guttatis.

Ardea vertice albo, *Frisch. av. tab.* 199.

Ardea cristata, *Brisson. orn. V. p.* 596. *tab.* 35. *D'aubent. pict. tab.* 755. adulta.

Ardea, *Zool brit. p.* 116. *tab. A. D'aubent. pict. t.* 787. junior.

Ardea major, *Lin. syst. XXII. I. p.* 236. *sp.* 12. cum synonymis.

Rossice *Tschepúra* vel *Zaplja;* Malorossis *Buschla.*

Tataris *Kuuk-Kajà;* Tauro Tataris Ardea generatim *Gilan-Gyttu.* In Sibiria *Tschapà.*

Votiacis *Gurpuha;* Vogulis Sosvensibus *Kollo-taru.* Ostiacis ad Narym *Kaunok.*

Calmuccis *Kuku-chutùn;* Mongolis *Kuku-Dekelai;* Burhetis *Kuku-Gilling.*

Tungusis *Ukàr.*

Per universam Rossiam et Sibiriam vulgaris avis, ubicunque piscosa stagna et lacus, vel arundineta circa flumina et rivos. In arboribus nidulantur et plerumque, ubi Pelecani abundant, eorum nidis, suos intermiscent, e virgultis textos, foenoque vel plumis stratos. Circa Schakscha Noor regionis trans-baicalensis, inter Pelecanos, maxime numerosas vidi. *Ova* quaterna, gallinaceis subpara, aeruginose viridia. Piscantur in aqua stantes, et videntur vel forma, vel effluviis pedum, vere pisces allicere. *Pinnae* duo lineares, elegantissimae in crista, tantum vere, quando ex austro adventant, in iis observantur quibusdam accessoriae duo paulo breviores. Eapropter tunc a Cosaccis et venatoribus nostris, avide persequuntur, ob harum pinnarum pretium, quas pro ornamento capitis foeminarum nobilium, saepe pretio Rublonis singulas, coëmunt curiosi. Requiruntur autem pro tali ornamento ad minimum centum pinnae, seu Ardeae quinquaginta. Multae etiam conquiruntur circa lacus deserti Cumani et Astrachanensis, ab Ardeis vere deperditae, sed eae non adeo nitidae, nec purae, quam quae ex avibus occisis petuntur.

Hae pinnae etiam Turcis et Persis pro capitis ornamento aestimantur et a proceribus tantum gestantur. Bochari haud ita pridem, allecti pretio, quod foeminarum apud nos nobilium luxus his pinnis affiixit, earum fasciculos, tanquam mercem, afferre coeperunt, multo cariorem et nobiliorem pennis Ardeae albae.

Descr. *Magnitudine* prae caeteris *rostri* et *linguae* parvitate Ciconiis proxima. *Rostrum* fuscum, margine et maxilla inferiore virescentibus; quibusdam rostrum totum cereum, quod aetati tribuendum. *Lingua* linearis, rostro multo brevior. *Lora* late nuda, cum palpebris flavo-virent, triangulo fusco ante oculos. *Irides* flavissimae. *Frons* alba, pennis mediis elongatis. *Vertex* niger, versus nucham plumis prolixis subcristatus, inter quas dependent *pinnae* duo lineares, pretiosae pollices longae, acutae, latitudine lin. *Corpus* supra coerulescens, subtus album. *Collum* subtus, et praesertim *juba* versus pectus, nigro guttata. *Fascia* utrinque obliqua pectoris atra. *Remiges* primariae cum tectricibus nigrae; *secundariae* et *cauda* dorsi colore. *Pedes* digitique longissimi olivaceo-virescentes. *Pondus* circiter 5. librarum. *Intestinum* octopedale; *Coecum* azygon tripollicare. *Vertebrae* colli sexdecim, quarum 4 summae deorsum velut ginglymo mobiles, sequentes 5—10. deorsum plane non inclinari possunt, unde collum semper in flexuram sigmoideam cogitur.

Not. *Gmelinus sen.* in Adnotationibus sibiricis MS. recensuit: *Ardeam cineream majorem rostro rubro, dauuricam*, cujus descriptio, praeter rostrum rubrum, flavo apice, tibiasque rubras, versus digitos fuscescentes, a vulgari haud differt. *Ardea cinerea altera Brisson.* (*orn. V. p.* 392. *tab.* 34.) apud *Linnaeum* quoque specie distincta, videtur vel sexus vel aetatis differentia esse. Mihi alia *A. cinerea* non est nota, quam quae supra descripta, quae pro aetate variat.

246. ARDEA *purpurea.*

A. crista bipenni dependente, collo fasciato, pectore saturatissime rufo.

Ardeae stellaris tertium genus, *Marsil. danub. V. tab.* 7?

Ardea vertice dorsoque rufis, remigibus nigris, pectore testaceo, crista dependente, *Cramer. austr. p.* 346.

Ardea cristata purpurascens, *Brisson. orn. V. p.* 424. *tab.* 36. *fig.* 2. *D'aubent. pict. tab.* 788.

Ardea purpurea, *Lin. syst. XII. I. p.* 336. *sp.* 10.

Ardea caspica, *Gmel. jun. itin. II. p.* 193. *tab.* 24. mala.

β. An Ardea Botaurus major Brissonii, *Gmel. jun. Nov. Com. Petr. XV. p.* 282. *tab.* 24. Junior.

Ardea stellaris minor altera, *Frisch. av. tab.* 207. Junior?

In australibus circa sinus maris nigri, Maestidis et Caspii lacus, et circa fluvios et lacus adjacentis deserti satis frequens; observata quoque ad Irtin; in ulteriore Sibiria vero non datur, omnesque regiones 55to latitudinis gradu borealiores fugit. Cicurata saepe diu stat velut attonita vel cataleptica, divaricatis aliquantum pedibus, erectissimo corpore, collo et capite, immobilis. Alias gressu Ardeae incedit. *Ova* aeruginose viridia.

Descr. Magnitudo infra Ardeam albam; *habitus* praecedentis. *Rostrum* fuscum, lateribus et carina flavescens, maxilla utroque versus apicem subtiliter *serrata*. *Lora* lata, livido-flaventia. *Irides* flavae. *Vertex* niger, fascia per cervicem continuus; infra nucham pennae duae lineares, quadripollicares dependent, quae pariter ornamentis capitis inserviunt. *Capistrum* nigrum ab oris angulo ad fasciam cervicalem. *Collum* dilute ferrugineum; sed *gula* alba, *fasciaque* liturata nigra ab auribus per utrumque colli latus longitudi-

nalis. *Jugulum* jubatum plumis longis, linearibus, albis, fasciaque secundum rhachin nigra insignitis, margine ferrugineis. Pectus subjubatis plumis nudum, *area* utrinque tecta lanugine laxa, implexa, crocea et crocum olenta. *Pectoris* plumae late brunnei seu obscure rufi coloris; *abdomen* paene nigrum; *subcaudales* albae, apice nigro. *Dorsum*, *latera*, *uropygium* plumbeo-cinerascunt. *Alae* spuriae fuscescentes, pennis quibusdam multifidis, partim canis, partim ferrugineis. *Alae* coerulescenti-fuscae. *Pedes* proceri, *digitis*, ut in A. stellari, maximis, fusco-olivacei, supra genua posticeque flavescentes. *Mensura* ad uropygium 2'. 4''. 9'''. ad sternum 1'. 7''. 7'''. rostri ad frontem 4''. 5'''. caudae 4''. 9'''. ulnae alarum 1'. 1''. 8''. femorum partis denudatae 1''. 11'''. tibiae 4''. 4'''. digiti medii (c. u. 10½'''.) 4''. 4½'''. postici 2''. 6'''.

β. Hornótinae avi: *Irides* pallide flavae. *Lorum* cum *palpebris* flavum, sed fascia subocularis fusca. *Vertex* plumis laxis ferrugineis subcristatus. *Gula* late alba. *Cervix* longitudinaliter exsolete ferruginea; *collum* subtus, cum *jugulo* laxe jubato, lituris longitudinalibus nigris, caeterum rufescente-album, ut corpus subtus totum. *Supra* avis fusco-ferruginea, discis plumarum fuscis, ut et alae subtus. *Tectrices* supra dorso concolores, subtus fuscae. *Remiges* primariae 10. secundariae 18. intermediae exiliter in truncato apice acumine notatae omnes nigrae, praeter intimas ferrugineo-marginatas. *Crissum* album, *cauda* fusca. *Pedes* virescente-flavi, tibiis infra genua antice, digitisque supra nigrescentibus.

247. ARDEA *alba*.

A. rostro flavissimo, pedibus nigris, corpore toto niveo, crista nulla.

Ardea alba major, *Marsil. danub. V. p. 12. tab. 4.*

Ardea candida, *Brisson. orn. V. p. 428. D'aubent. pict. tab.* 886. junior.

Ardea alba, *Lin. syst. XII. I. p. 239. sp. 24.*

Ardea egrettoides, *Gmel. jun. itin. II. p. 193. tab. 25.*

Ardea nivea, *Gmel. jun. Nov. Com. Petr. XV. p. 458. tab.* 17. junior.

Rossice *Bjelaja Tschepúra* (alba Ardea).

Baschkiris *Scharlák;* Kirgiso-tataris *Kusselik.*

Calmuccis *Zaghàn-Chutùn* (alba Ardea).

In australibus Rossiae, praesertim maritimis, et circa aquas; ubique frequentior praecedente, autumno turmatim migrans. In boreales situs non adscendit. *Nidus* vel in arboribus ripariis, vel (qualis et Ardeae cinereae interdum occurrit) inter arundines altissimas, supra aquas saepe ad duas tresve ulnas suspensus, solaque molliore arundine stratus. *Ova* magnitudine gallinaceorum, pulchre aeruginose viridia. *Pennae* alarum spuriarum elongatae, rarae, Gallis *Esprit*, ex adultis pulcherrimae, ad petasos seu ornamenta mitrarum orientalibus nobilitata et expetita; praetorianis Sultani insigne capitis ex iisdem, ut et militares cristae nostratibus in equitatu consuetae. — *Victitat* praesertim ranis, unde in borealiora non migrat. Hybernat in Persia (*Gmel.*) et in Bucharia.

Descr. Rostrum magnum, flavissimum, basi, loris, palpebrisque virescentibus. *Lingua* rostro aliquoties brevior, exilis, livida, auriculis acuminatis, nec serratis. *Irides* oculorum pallide flavae. *Corpus* totum niveum; *Nucha* plane non *cristata*. *Jugulum* insigniter jubatum. *Remiges* 27. secundariarum aliquot extimae apice retusae, filamentis subbarbatae. *Alae spuriae junioribus* ala secundaria breviores, simplices; *adultis* autem (et vernali tempore, quum ex

austro redeunt, omnibus) ornatissimae *pennis* ultra alas et caudam alongatis, circiter 24, (praeter minores), quae barbulis filamentoso-setaceis raris, diffuso-pinnatae jubam laxam, elegantissimam constituunt, breviorem tamen foeminis et anniculis. *Cauda* aequalis, latipennis. *Pedes* nigri, supra genua, plantisque flavo-virescentes. *Cutis* in tota ave nigra: *Pondus subtrilibre*. *Mensurae* ad uropygium 2′. 7″. 9‴. ad sternum 2′. 0. 6‴. rostri ad oris angulos 5″. 7‴. Caudae 6″. ulnae alarum 1′. 3″. 7‴. femorum parte denudata 4″. 7‴. tibiarum 6″. 4‴. digiti medii (c. u. 6½‴.) 4″. 5‴. postici (c. u. 9‴.) 2″. 2‴. *Hepar* magnum, ductu peramplo; *cystis* vacua, collo suo hepati adstricta, et distincto ductu inserta. *Ingluvies* glandulosa, amplissima; *ventriculus* ovum anserinum aequat. *Intestinum* octopedale. *Coecum* tripollicari a cloaca distantia, 3‴. longitudine, a qua rectum capacius pergit.

248. ARDEA *Garzetta.*

A. crista bipenni dependente, rostro pedibusque fuscis, corpore toto niveo.

Ardea alba minor, *Marsil. dan. V. p.* 14. *tab.* 5.

Ardea Egretta, *Brisson. orn. V. p.* 431. *D'aubent. pict. tab.* 901.

Ardea Garzetta, *Lin. syst. XII. I. p.* 237. *sp.* 13.

Ardea nivea, *Gmelin. jun. Nov. Com. Petrop. XV. p.* 458. *tab.* 17. mala.

Cosaccis ad Jaïcum *Nushda* (fames quasi personata).

Tantum in australibus, circa maria nigrum, moeoticum, Caspium et araliense, fluviosque eo tendentes habitat, non quidem rara; sed cautissima. In boream non procedit. Elegantia formae, ni-

veae candore plumaginis, cristaque et jubis scapularibus elegantissima sui generis et virgineae pulchritudinis avis.

Descr. Magnitudo Cornicis. *Rostrum* fuscum; basi, cum loris late nudis, flavescens. *Irides* flavae. *Corpus* totum tenerrimis, nive candidioribus plumis strictim vestitum, intemeratum maculis. *Nucha* longius plumosa, pennisque duobus linearibus, elongatis, pendulis cristata. *Jugulum* plumis copiosis, lineari-elongatis jubatum. *Alae* caudam exsuperantes, niveae; *spuriae* compositae pennis rarissimis, setaceo-pinatis, extremitate elegantissime reflexis, quarum pleraeque alas compositas ferme aequant. *Cauda* brevis, aequalis. *Pedes* proceri, nigri, digitis livido-flavis, longis; *unguis* medius interiore acie fere usque ad apicem serratus. *Mensurae* ad uropygium 1′. 6″. 6‴. ad sternum 12″. 8‴. rostri ad fraenum oris 4″. caudae 3″. 8‴. alarum ulnae 11″. 4‴. femorum parte nudata 2″. 3½‴. tibiarum 3″. 11‴. digiti medii (c. u. 5‴.) 2″. 9‴. postici (c. u. 6½‴.) 1″. 6‴.

249. ARDEA *comata.* *TAB. LV.*

A. corpore lutescente subtus albo, juba cervicis albo nigroque virgata dependente.

Ardea Squacco dicta *Aldrov. orn. p.* 400. *Willughb. orn. p.* 206. (Junior).

Ardea haematopus s. Cirrhis Virgilii, Scaligero, *Aldrov. orn. p.* 398. *Willughb. orn. p.* 398. (adulta).

Cancrovagus, *Brisson. orn. V. p.* 466. *sp.* 33.

Cancrovagus luteus, *Brisson. orn. V. p.* 472. *sp.* 37.

Ardea comata, *Pall. itin. II. append. p.* - - *n.* 32.

Ardea pumila, *Lepech. Nov. Com. Petr. XIV. Part. I. p.* 502. *tab.* 14. *fig.* 1. mala.

Ardea castanea, *Gmelin. jun. Nov. Com. Petrop. XV. p.* 454. *tab.* 15. pessima.

Heron hupé de Mahon, *D'aubent. pict. tab.* 348. male.

Ardea ralloides, *Scopol. An. I. p.* 88. *n.* 121.

In maxime australibus versus mare nigrum Caspiumque lacum, frequentius etiam circa Sarpam rivum deserti, in lacus et arundineta sinuosum, et alibi passim, solitaria observatur, cautissima, nec nisi dum evolat occidenda.

Descr. Magnitudo Monedulae; habitu ad A. stellarem accedens, tenerrimae pulcritudinis avis: *Rostrum* livido-rubens, extremitate rubicundum. *Irides* flavae; saepe miniaceo cinctae circulo; et tandem nigro. *Lora* virescentia. *Vertex* plumis elongatis albis, nigro striatis. *Crista* nuchae pennis circiter senis, lineari-adtenuatis, albis, nigro marginatis, usque in dorsum dependentibus. *Collum* dilute ferrugineum, retrorsum jubatum, subtus longitudinaliter album. *Dorsum* e ferrugineo violascens, jubis *alarum spuriarum* elongatis, alas excedentibus, rectis. *Pectus* ochreum. *Abdomen*, *uropygium*, *crissum*, *cauda* longiuscula, *alaeque* totae nive candidiora. *Pedes* magni, flavo-virescentes. — In femina omnia imperfectiora et obsoletiora et juba cervicis minus prolixa, ut et junioribus.

250. ARDEA *stellaris*.

A. capite laevi, cervice jubata, corpore ferrugineo nigroque vario.

Ardea stellaris major s. Botaurus, *Frisch. av. tab.* 205! *Marsil. danub. V. tab.* 6.

Ardea Botaurus, *Brisson. orn. V. p.* 444. *tab.* 37. *fig.* 1. *D'aubent. pict. tab.* 789.

Botaurus, *Zool. britan. p.* 117. *tab. A* 1!

Ardea stellaris, *Lin. syst. XII. I. p.* 239. *sp.* 21.

Rossice *Buik* (Taurus) vel *Whuip.*

Tataris *Suukjis.* Mongolis *Butéi.* Calmuccis *Nyrin-koekebuchà.*

Tungusis *Ningmúkï* vel *Otschok.*

In aquosis Rossiae et Sibiriae non infrequens, maxime circa mare caspium et magnos lacus, et usque ad Lenam nota, licet audiatur saepius, quam appareat. Tenebrarum enim et latebrae amans avis, diluculo maxime volans et vagari consueta, quo tempore etiam immersi undis rostri boatu se prodit. *Rostri* acie et vi tremenda, quum attracto collo insidiosa jaculatur. Interdiu humili, lento et quasi insidioso gressu procedit. Avis macilenta, gracillima, strictissimis, praesertim viva, plumis, in qua praeter rostrum, pedes et pennas nihil magni. An diversi Botauri dentur, ignorare me fateor; quos vidi et hic describam, unius erant speciei.

Descr. Rostrum crassum, acutissimum, virescens, dorso longitudinaliter fuscum; *nares* superius cartilagine semilanceolata tectae. *Lora* nuda, viridia, area a dorso rostri ad oculos fuscescente. *Palpebrae* margine flavissimae. *Irides* e gryseo-citrinae. Apertura *oculi* oblique versus rictum inclinata. *Cervix* fusco-nigricans; *Gula* albet, taeniola fusco-grysea utrinque a maxillae basi, et intermedia per majorem partem colli longitudinali. *Collum* laxe plumosum, jubatumque plumis versus dorsum convergentibus, cum dorso fusco gryseoque undulato-variegatum. *Remiges* luteae, transversim nigro variae atque pulveratae; extimae quatuor subaequales, breviores, 6 sequentes apice crenula exigua emarginatae. *Cauda* brevissima, mollis, subrotunda; *rectrices* tantum decem, corpori concolores. *Subtus* corpus pallidum, lituris scapinis, undulisque fuscis. *Pedes* virides, digitis longissimis, cinerascentibus; *ungues* subulati, longi, fusci. *Pondus* sesquilibrali majus. *Mensura* ad uropygium 1'. 10". 9"'.

ad sternum 1'. 2''. 0. rostri adfrontem 2''. 5'''. caudae 3''. 5'''. alarum expansarum 3'. 3''. 0. ulnae 10''. 10'''. femorum parte nudata 1''. 2'''. tibiarum 3''. 5'''. digiti medii (c. ung. 9'''.) 4''. postici (c. u. 1''.) 2''. 6'''.

251. ARDEA *Nycticorax*.

A. crista occipitis lineari bipinni alba, vertice dorsoque nigris.
Ardea cinerea minor, *Marsil. danub. V. tab.* 3.
Ardea cinerea cirrata, *Frisch. av. tab.* 203.
Nycticorax, *Brisson. orn. V. p.* 493. *tab.* 39.
Ardea Nycticorax, *Lin. syst. XII. I. p.* 235. *sp.* 9.
Ardea Kwakwa, *Gmelin. jun. Nov. Com. Petr. XV. p.* 452. *tab.* 14. pessima.
Bihoreau, *D'aubent. pict. tab.* 758.
β. *Junior:* Ardeae Nycticoracis pullus, *Willughb. orn. p.* 204.
Ardea fusca, *Marsil. dan. V. tab.* 9.
Ardea nigra, *Frisch. av. tab.* 202.
Ardea naevia, *Brisson. orn. V. p.* 410. cum synon.
Ardea ferruginea, *Gmelin. jun. Nov. Com. Petrop. XV. p.* 456. *tab.* 16. pessima.

Rossice, a voce, *Gwágwa* vel *Kwákwa.*

Circa australes Rossiae fluvios, mare nigrum caspiumque influentes et in maritimis frequentissima; sed latebrosa avis, noctuque maxime volans, voce inter volandum, quam nomen rossicum exprimit, facile agnoscenda. *Nidus* inter arundines, congenerum instar; *ova* virescenti-alba, axi 1''. 9½'''. diametro 1''. 3½'''. In Sibiria nusquam observata est. Pinnae in nucha albae in fasciculis nigrarum pinnarum ex ardea cinerea, ad ornamenta foeminarum immiscentur.

Descr. Magnitudo Corvi frugilegi. *Statura* humilior congeneribus reliquis. *Rostrum* nigrum, subcoracinum, declive, subtetragonum. *Lora* cum palpebris coerulescunt; quibusdam lorum fuscum, palpebra inferior sola cyanea. *Irides* corallino-rubrae, aliis (junioribus?) fusco-lutescentes. *Vertex* usque in cervicem niger, ductu superciliari albo. *Gula* late alba. *Pinnae* a nucha dependentes lineares, rectae, carinatae, dodrantales, ternae, sed ita adinvicem junctae et quasi coadunatae, ut unicam mentiantur, humanaque opera divulsae denuo conjungi nullo modo possunt. *Cervix* subjubata, *uropygiumque* cinereo-albent. *Dorsum* inter alas virescente-atrum. *Alae caudaque* coerulescenti cinerea. *Subtus* alba. *Pedes* cerei; *unguis* medius ad ½ longitudinis dentatus, omnes magis arcuati, quam congeneribus. *Pondus* vulgo librae cum tribus quartis partibus. *Mensura* ad uropygium 1'. 7". 0. ad sternum 1'. 0. 9"'. rostri ad fraenum 3". 4"'. caudae 4". 3"'. alarum expansarum 3'. 6". 0. ulnae 11". 6"'. femorum partis nudae 1". tibiarum 2". 10"'. digiti medii (cum ung. 6"'.) 3". 1"'. postici (cum u. 7½"'.) 1". 11"'. Sic in *adultis.*

β. Pulli primo anno, ut recte *Willughbejus* descripsit, toti fuscescentes, subtus obsoletissimo colore, plumis omnibus tractu rhacheos lutescente et gutta apicis intensioris coloris. Cristae adhuc vestigium nullum. Hos Belgae vulgo pro distincta specie habent (*bonte Polderkwak*), eandemque synonymis reliquis adlegatis indicari vix est dubium. Nec sine suspicione species plures aliae Ardearum, quas auctores secundum aetatem multiplicasse videntur.

Not. Cel. Buffon in descriptione Nycticoracis perperam asserit, *Ardeam nonam Brissonii* esse foeminam Nycticoracis *adultas* maribus satis evadunt similes, sed Ardea nona *Briss.* est Nycticorax immaturus, qui usque ad proximum ver plumas mutaturus est.

252. ARDEA *minuta.*

A. capite laevi, corpore rufescente, vertice dorsoque atris.
Ardeola, *Brisson. orn. V. p.* 497. *et* 500. *tab.* 40.
Ardea minuta, *Lin. syst. XII. I. p.* 240. *sp.* 26.
Blongios de Suisse, *D'aubent. pict. tab.* 323.

Rarius circa Volgam australem et mare caspium observata fuit, forsan propterea, quod tuta latebris, parvitate et vespertino volatu vivat. Ob miros contorsiones colli a Belgis *Woud-aapje* appellatur. In arboribus considere amat.

Descr. Magnitudo Merulae. *Lora* virescenti-flava. *Rostrum* lateribus pallens, dorso fuscum. *Irides* fulvescentes; *palpebrae* albidae. *Caput* et *collum* subferruginea. *Vertex* e viridante nigrescit; *Gula* alba, tractu longitudinali gryseo-variegato, per jugulum continuato. *Juguli* plumae longiusculae. *Dorsum* nigret, plumis margine gryseis vel albis. *Tectrices* alarum fuscescentes, margine lutescente; *Remiges* 23. nigrae, externo margine gryseae, *subtus* gryseo-albus, lineolis fuscis. *Pedes* virescunt; *rostrum* corneolum. Valde gracilis et procera.

XXXIX. HAEMATOPUS.

Haematopus genus ambiguum, inter Ciconias et Charadrios quodammodo medium, apte ad posteriores referri posset, nisi nuper nova specie auctum fuisset, quae characterem genericum confirmat. Interim per Oedicnemum, admodum affinem, et Cinclum ad Charadrios prope accedit, ut forte non peccaret, qui binos quos novimus

Haematopos, et quibus compares invenire adhuc posse vix verosimile est, tanquam phalangem generis Charadriorum exponeret. Ego vero malui immutatum nomen et dignitatem genericam servare.

253. HAEMATOPUS *hypoleuca.*

H. corpore nigro, subtus, fascia alarum, caudaeque basi albis.

Ostralega, *Brisson. orn. V. p.* 38. *tab.* 3. *fig.* 2. *Catesb. Carol. I. p. tab.* 85.

Pica marina auctorum, *Zool. brit. p.* 127. *sp.* 1. *tab. D* 1.

Pied Oysterchatcher, *Latham. av. V. p.* 219. *tab.* 84. *Penn. Zool. arct. II. p.* 489.

Haematopus Ostralega, *Lin. syst. XII. I p.* 257.

Huitrier, *D'aubent. pict. tab.* 929 mala *Buffon. orn. VIII. p.* 119. *tab.* 9.

Rossice *Morskaja Soroka* (i. e. Pica marina), in australibus ad mare Caspium minus adaequate *Dikaja Kuriza* (fere Gallina), in Sibiria et Malorossis *Kriwok* (i. e. Strabo).

Tataris *Su - Táuk* (Gallina aquatilis); in Sibiria *Tilbis.*

Vogulis *Kalek*, ut et Ostiacis, nisi circa Narym, ubi *Kal - ja.*

Camtschadalis a voce *Tàkaaechtsch* et *Takajakatsch.*

Per omnem Rossiam et in Sibiriae citerioris aquosis, denuoque in Camtschatca et Curilis insulis frequens, eadem omnino quae in maritimis Europae et in America; circa Jeniseam vero et Baïcalem non observata. Vere primo gregaria adventat, in humectis tunc pratis versatur, et cum Ansere erythropo ad septentrionem migrat; pauciores in temperatioribus remanent et ibi nidulantur. *Nidus* in ripis et insulis, etiam circa mare negligenter stipulis collectis stratus, vel nuda foveola. *Ova* magnitudine fere gallinaceorum, sed breviora seu paulo globosiora, arenacei seu gryseo - pallidi coloris,

lituris fuscis cinerascentibus, simul miris saepe characteribus, gothicas vel arabicas litteras cifcrasque referentibus pictum. — Avis caeterum non admodum timida. Vescitur praesertim testaceis. *Vox* pipiens, fere ut in Gallinagine, territis unisona Picorum voci similis, per intervalla repetita, sed magis sonora et acuta, ut longe exaudiri queat. *Cursus* grallatorius levis, aequalis, neque incedit nisi currens, per intervalla subsistens et impetu semper quasi festinanter, procedens. Capta stat quasi stolida, procedere nescia, nisi impellatur. *Pediculorum* tres species distinctas alit.

Descr. Rostrum longius quam Charadriis, rubro-aurantium, extremo compressum magisque lutescens. *Os* intus albet; *lingua* vix quartam partem rostri aequat, plana, acuta, integra. *Palpebrarum* margines nudi, miniacei; *Irides* ruberrimae; periophthalmium margine fusco-luteum. *Caput*, collum ad jugulum usque, *interscapulium*, *alarum* bases et *alae spuriae*, itemque rectrices praeter basin *aterrima*. Corpus *reliquum* et alae *subtus*, itemque *remiges secundariae* 10. ad 18. a basi, 19. ad 23. totae, cum tectricibus, nivei candoris sunt; *intimae* remigum nigrae. *Pedes* obscurius rubri, crassiusculi, tridactyli, *digitis* brevibus, plica exterioris insigni; *ungues* submutici, fusci. — *Cutis* toto corpore inter plumas sanguinea. *Pondus* librae, cum aliquot unciis. *Mensura* ad uropygium 11″. 8‴. rostri 2″. 9‴. caudae 4″. alarum expansarum 2′. 5″. 0‴. ulnae 9″. 9‴. tibiarum 2″. digiti medii 1″. 6‴. *Ventriculus* carnoso-panniculosus, capax. *Intestinum* 3′. 10″. 0‴. *coeca* subbipollicaria et bipollicari a cloaca intervallo, fusiformia, mesenteriolo laxo suspensa. *Cystis* parva, ovata, non *hepati* bilobo sed duodeno arcte adnata. *Testes* oblongi, flavescentes.

---

254. HAEMATOPUS *niger.*

H. tota atra, rostro pedibusque rubris.
Rossice *Petuschok* (Gallus diminutive), et *Soroka.*
Curilis *Tachaican.*

In insulis Curilis et maxime iis quae Americae vicinae sunt, praesertim Ins. Kadiak, frequens avis, moribus, uti forma, omnino nostratis. *Ova* bina in singulo nido, pallido-olivacea, characteribus miris cinereis, forma gallinacei minoris. Haematopus omnino nigros etiam in maribus antarcticis dari, *Latham. loc. cit. p.* 221.

Descr. Forma et *magnitudine* Haematopo europaeo simillimus, sed totus omnino ater, exceptis rostro pedibusque rubris. *Remiges* interius fuscae, extimae 2. longissimae; *Ala* subtus nigra. *Cauda* perfecte aequalis. *Rostrum* paulo longius, quam Ostralegae, obtusiuscule cuneatum. Forma pedum exacte similis. Longitudo rostri ad angulos oris 3″. ad nares 2″. 4‴. ulnae alarum 9″. 4‴. caudae 4″. tibiarum 1″. 11‴. digiti medii 1″. 10‴.

XL. CHARADRII.

Avibus, quas ad Charadrii genus refero, omnibus *rostrum* capite brevius, a basi canaliculatum, apice laeve et convexum, rarius compressiusculum et subulatum (Oedicnemo, Cinclo). *Pedes* Charadriis satis proceri, *digitis* rostro brevioribus, crassiusculis, crassa *ruga* marginatis, *postico* plerisque nullo, aliis minimo (vanello, asiatico; hypomelano, Pardelae, Cinclo,), imo quandoque ungue destituto (Hypomelano); *Plica* tantum exteriorem digitum adnectit. Secun-

dum hanc normam omnes *Vanellos Brissonii*, quos Tryngarum species *Linnaeus* fecit, naturae jussu Charadriis adjunxi, quibus cum toto habitu conveniunt.

Charadriis omnibus *alae* magnae, volatui aptissimae, *cauda* longiuscula, *caput* occipite prominulo subglobosum, ut Scolopacibus. *Clamosae* omnes. *Victus* ex Insectis praesertim variis, propter quae campos vel palustria frequentant; aquam timent. *Nidos* humi condunt, *ovaque* pariunt satis numerosa, altero vertice conica, maculosa.

255. CHARADRIUS *Vanellus*.

C. subtetradactylus, occipite cristato.

Vanellus omnium auctorum s. Capella, *Albin. av. I. p.* 70. *tab.* 74. *Frisch. av. tab.* 213.

Capella seu Vanellus, *Brisson. orn. V. p.* 94. *tab.* 8. *fig.* 1.

The Lapwing, *Zool. brit. p.* 122. *sp.* 1. *tab.* C*. *Latham. av. V. p.* 162.

Trynga Vanellus, *Lin. syst. XII. I. p.* 348. *sp.* 2. *Gmelin. jun. itin. I. p.* 75. *tab.* 15. mala.

Vanneau, *D'aubent. pict. tab.* 242.

Rossice *Pigaliza*, *Tschibes* (a voce), *Lugofka* et *Lugwiza* (prata colens); in Sibiria *Pisdrik;* Malorossis *Tschaika* (Larus).
Tataris *Takarbyk;* Baschkiris *Sorkoot.* Jacutis *Chonobarygo.*
Permaecis et Siraenis *Saritsch-gatscha;* Votiacis *Kuakatut.*
Calmuccis *Taarak;* Mongolis *Chabdachalzy.*
Tungusis *Birwitto.*

In univesa Rossia europaea, usque ad Uralense jugum, copiosissima avis; in Sibiria raro apparet, attamen circa Obum et Angaram, et ad lacus Dauuriae passim observatur. Magis orientalibus, et in Camtschatca plane deficiunt, ut et in summe borealibus. In au-

straliore Rossia ultimis plerumque Martii diebus, Ansere fere tardius, adventant, ab occidente hyberno plerumque migrantes, pinguiculi tunc omnes, tumidisque jam testibus mares, et plumagine nitidissima decori; sed adulta vere in magis boreales situs disperguntur. Pascuntur tunc in agris et pratis erucis variis glabris, atque vermiculis. *Ova* etiam apud nos colliguntur, notissima, ut descriptione non indigeant.

Not. Ventriculus superiore parte triturans, inferiore sacco panniculosus. *Pinguedo* mollissima flava. *Cystis* in hepate bilobo nulla. *Intestinum* 23″. *Coecum* unicum, adnatum, 2½‴. longitudine, 10″. ab ano. — *Cristae* pennae lineares, quarum in maribus saepe duae 3″. longiores, proximae binae paulo breviores, reliquae exiles.

256. CHARADRIUS *gregarius. TAB. LVI.*

C. subtetradacylus, vertice nigro fascia alba cincto, pectore ferrugineo nigroque.

Charadrius gregarius, *Pall. itin. I. append. p.* 206. *n.* 9. *Latham. av. V. p.* 206. *n.* 11. *Gmelin. syst. Lin. II. p.* 684. *sp.* 8.

Trynga fasciata, *Gmel. jun. itin. II. p.* 194. *tab.* 26.

Trynga Keptuschka, *Lepech. itin. II. p.* 229. *Gmel. syst. II. p.* 673.

Rossis ad Volgam *Dikaja Pigaliza* (ferus vel spurius Vanellus) vel *Pyshik;* ad Jaïcum *Stepnoi Kulik* (Gralla campestris); ad Tanaïn et australem Volgam *Konka* (Equulus).

Calmuccis, a voce, *Türkümet.*

Copiosa avis in desertis apricis australibus, a Tanaï fl. per omnem Tatariam magnam, usque ad Irtin Altaïcosque montes continuis, aridis. In borealiores situs non venit, et in ulteriore Sibiria,

pariter ac in Europa, deest. Primo vere adventat et in aviis camporum prolem educat; et quamvis maxime numerosa, tamen ejus nidum et prolem rarissime vidi. Character et mores omnino Vanelli. Dum incubant, adpropinquantem hominem cum solito clamore crepero saepe praetervolant et prope consident, ut abducant a nido. *Nidus* in campis aridis humi. *Ova* Vanelli magnitud. et colore simillima. *Autumno* turmatim congregantur cum prole, et mature ad austrum abeunt. Coleoptera et Gryllos pro pabulo legunt.

Descr. Affinis *Morinello*, sed mole Vanelli. *Vertex* niger, *vitta* alba cinctus, frontem tegente. *Rostrum* nigrum. *Palpebrae*, lorum, tempora subfusca. *Cervix* et collum totum gryseo cinerea; *gula* alba; inferne collum fusco-maculosum. *Dorsum* fusco-nigrum, marginibus plumarum gryseis. *Uropygium* niveum. *Subtus* sternum primo album, dein atrum, demum testaceum vel sature ferrugineum; Abdomen, crissum, latera et alae subtus nivea. *Remiges prim.* 10. quarum extima longior, nigrae omnes, interiores basi albent; *secundariae* 12. cum tectricibus niveae, praeter intimas aliquot canescentes. *Cauda* brevis rotundata, nivea, rectricibus mediis fascia transversa nigra versus apicem. *Pedes* fusci, digitis brevibus, exterioris plica lata; *posticus* minutus, a terra elatus, unguiculatus. *Mensurae* a summo rostro ad uropyg. 8″. 1‴. rostri 1″. 1‴. expansarum alarum 1′. 0″. 11‴. ulnae alarum 7″. 8‴. caudae 2″. 9‴. femorum partis nudae 1″. 3‴. tibiarum 2″. 2‴. digiti medii 1″. 3‴. cum ungue 2½‴. lateralium 10 — 11‴. *Pondus* paulo infra sexunciale.

257. CHARADRIUS *Morinellus. TAB. LVII.*

C. tridactylus, vertice fusco fascia alba cincto, torque juguli fusco-alba, pectore ferrugineo nigroque.

Morinellus Auctorum, *Willughb. orn.* - - - *Raj. av. p.* - - - *Albin. av. II. p.* 57. *tab.* 61. 62.

Pluvialis minor, *Brisson. orn.* V. *p.* 54. *tab.* 4. *fig.* 2. mala.

Dottrel, *Zool. britan. p.* 129. *sp.* 5. *tab. D.* mala. *Latham. av.* V. *p.* 208. *n.* 14. *var. A. B.*

Charadrius tataricus, *Pall. itin. II. append. p.* 715. *n.* 32.

Charadrius gallinula, *Lepech. it. II. append. p.* 301. *tab.* 6. (pessima).

Guignard, *D'aubent. pict. tab.* 832.

An Charadrius sibiricus, *Lepech. itin. II. tab.* 6.

In borealibus Rossiae et Sibiriae totius copiosissima avis; in australibus nunquam nidulatur, neque vere, cum adventat, observatur. Sed autumno (Mens. Septembri) turmatim advolat, dumque tempestas favet, in pascuis siccioribus et circa rivos versatur. *Stellero* asseverante in Camtschatca desunt.

Descr. Magnitudo Gallinaginis. *Gula* usque ad oculos alba. *Fasciae* latiusculae supraoculares albae, in nucha subconfluentes, *verticem* fuscum cingunt. *Dorsum* supra et alae fusco-cinerascunt. *Collum* cinereum; *jugulum* striga transversa fusca albaque, in nonnullis obsetissima. Ab ea *pectus* obsolete ferrugineum vel lutescens, dein versus abdomen nigrum. *Abdomen*, *crissum* alba. *Cauda* rotundata fusca, extremo nigra, rectricibus lateralibus apice albis. *Pedes* grysei. *Pondus* triunciale. *Mensura* ad uropygium 6''. alarum ulnae 5''. 9'''. caudae 2''. 9'''. rostri $9\frac{2}{3}$'''. tibiarum 1''. 4'''. digiti medii cum ungue 11'''. *Foeminae* et *anniculis* color subtus obsoletior, nigredine fere nulla.

β. *Affinem Morinello* avem *TAB. LVII.*, in apricis ad Abacanum fl. autumno copiosissime gregariam, similemque e borealibus ad Ob fl. adlatam observavi, cui: *Fascia* supraciliaris ochreo-pallida,

transversaque juguli lutea et fusca, fere ut in Morinello, nisi multo obsoletiore colore. *Dorsum* vero et *cervix* nigricant, plumis gryseo-marginatis. *Collum* lutescens, subtus saepe punctis minutis fuscis. *Fasciae* juguli latiores. *Pectus* pallide lutescens, imum fusco-nebulosum; abdomen album. *Cauda* et *alae*, ut in Morinello. *Notavi* in his *remiges primarios* rhachi late albas, 1—3. margine versus basin ciliatas, (Morinellus vulgaris pro comparatione deerat). — *Foeminae* subtus colore exsoletiores, fere pallidae. — Turmatim occurrebant, omnes uniformi colore. An itaque specie distinctae, vel varietas a loco natali? *Mensurae* expansarum alarum 1′. 4″. 6‴. rostri ad frontem 6½‴. femorum 1″. 5‴. parte nudata 4‴. tibiarum 1″. 2½‴. digiti medii cum ungue 10‴.

258. CHARADRIUS *caspius*. *TAB. LVIII.*

C. tridactylus, superciliis, gula pectoreque albis, jugulo ferrugineo fusco marginato.

Charadrius asiaticus, *Pall. itin. II. append. p.* 715. *n.* 32. *Latham. av.* V. *p.* 207. *n.* 12.

Rarius circa mare caspium et lacus salsos deserti tatarici australioris observatur, situs septentrionales non frequentans.

Descr. Magnitudo paulo supra Hiaticulam. *Vertex, dorsum, alae* gryseo-fusca; *frons*, *supercilia*, *gula* late et *pectus* cum *abdomine* alba. *Jugulum* ferrugineum, terminante ad pectus colorem *fasciola* fusca. *Cauda* rotundata fusca, extremo nigricans, lateralibus rectricibus albidis. *Rostrum pedesque*, ut in Hiaticula.

259. CHARADRIUS *mongolicus*.

C. tridactylus, subtus ferrugineus, capistro nigro gulam albam cingente.



Charadrius caspius. P.

F. Lehmann sc.

Pall. itin. III. app. p. 700. *n.* 29. *Latham. av. V. p.* 207. *n.* 13.

? Courvite de la côte de Cormandel, *D'aubent. tab.* 892.

Rarius (inter Char. alexandrinum) et solitarius observatus circa lacus salsos et alcalino-amaros camporum inter Ononem et Argunum, frequentior forte in Mongoliae deserto australiore et planitie alpina *Gobec*, quae extremo ad Argunum pertingit. *Varietatem β.* ex insulis Curilis adlatam misit *Amic. Billings.*

Descr. Magnitudo et *facies* Morinelli. *Frons* nigra, ad rostrum alba, nigraque linea divisa. *Vertex* cinereus. *Fascia* nigra a rostro sub oculis continua, arcu integro cingit gulam albam, ut in Pratincola. *Dorsum* furvum; subtus avis intense fulva, hypochondriis cinerascentibus; *Cervix* exsolete ferruginea, intense, et cum fulvedine, collum jugulumque; pectoris latera cinerascente-ferruginea; reliqua subtus nivea, praeter grysea femora. *Dorsum* totum furvo-cinereum, versus caudam magis fuscescens. *Alae* angustae, pennis nigricantibus; extima remigum rhachi tota nivea, reliquae tantum medio: 7 ad 10. exterius in medio albae, et omnes interius versus basin; 10—12 apice subsinuatae; 15 ad 21. rhachi alba, exterius nigricantes, versus apicem albae; 22 ad 25 (intimae) elongatae, fuscae, compositis alis caudam aequantes. *Tectrices* secundariae cinereae, apice albae. *Cauda* subaequalis, rectricibus mediis fuscis, lateralibus cinerascentibus, extima utrinque albida. *Pedes* livido-nigricantes; *digiti* utrinque ruga marginati, posticus nullus. *Unguis* medii interiore margine undulatus. *Mensurae* a summo rostro ad uropygium 5″. 10‴. rostri 7½‴. expansarum alarum 1′. 2″. 6‴. ulnae 4″. 11‴. femorum ad 6‴. nudatorum 1″. 9‴. tibiarum 1″ 1½‴. digiti medii (cum ungue 2‴.) 11‴.

β. Foemina vel junior avis, ex insulis Curilis, habet *fasciam*

capitis exsoletam, nec gulam includentem; *jugulum* ferrugineo-fulvum, reliqua subtus alba; *latera* cinereo-liturata. *Rectrices* laterales rhachi et margine albae.

Ventriculus subcarnosus, insectis farctus. Intestinum pedale; *coeca* duo lumbricalia, longitudine pollicis, 9‴. ab ano.

260. CHARADRIUS *hypomelanus*. *TAB. LIX.*

C. subtetradactylus, corpore supra fusco albidoque vario, subtus nigro, vitta laterali abdomineque albis.

Vanellus helveticus, *Brisson. orn. V. p.* 106, *tab.* 10. *fig.* 1. *D'aubent. pict. tab.* 853.

Trynga helvetica, *Lin. syst. XII. I. p.* 250. *sp.* 12. *Latham av. V. p.* 167. *n.* 10.

Samojedis *Tulés.*

Ostiacis *Longimi*, quae nomina etiam sequenti speciei communia.

Copiose plagam arcticam totius Sibiriae, versus Oceanum glacialem frequentat, cum Charadrio apricario, cui persimilis. Migrat solitaria. Observante in terris arcticis *Basil. Sujef*, ibi per brevem aestatem copiosissima est, per paria sporadica, prolificans. Aquam timet, sed circa aquas in sicco alimenta quaerit. Plerumque currit, et insidet tuberibus muscosis, raro volat et non longe. Viso homine, praesertim in vicinia nidi, circumvolat illum et clamitat sono qui fere exprimit rossicam vocem *Kudà-wy* (quorsum vadis?), longeque prosequitur euntem et audax prope circum illum vagatur, ut Vanello quoque moris est. *Pulcra* avis, stat egregie erecto collo, et currens alas expandit. Quum altera alteram videt, vocem edit; occisa una, altera circumvolat cum eodem clamore. Paria semper

simul agunt, seque invicem appellant, nec longe ab invicem recedunt; autumno comitatur proles. In australibus raro apparent transvolae.

Descr. Magnitudo Vanelli, seu paulo supra Squatarolam. Rostrum nigrum. *Caput*, cervix alba, lituris fuscis nebulosa, sed latera colli et juguli, fere immaculata, referunt fasciam albam, a rostro ad alas colores discordantes interstinguentem. *Collum* subtus atrum, nigredine ad latera capitis usque ad aures dilatata, in jugulo paululum coarctata, dehinc pectus totum et latera sub alis occupante. *Abdomen*, hypochondria, crissum alba. *Dorsum* et alarum bases plumis basi nigricantibus, apice pallidis, variegatum. *Uropygium*, cum tectricibus caudae rectricibusque albae, fasciis transversis nigris. *Alarum* caudam excedentium *remiges* primores nigrae, interius albae, 1 ad 5. rhachi in medio alba, 6 ad 10. albedine dilatata, totam tandem basin occupante; *Secundariae* pleraeque basi albidae, extremo fuscescentes, intimae, ut et tectrices secundariae et ala spuria margine utroque albo dentatae. Basis alarum subtus alba, sed pinnulà subalaris (in Grallis et palmipedibus apprime conspicua, in Paradisaeis monstrose aucta) octipennis, atra. *Pedes* nigri, paulo breviores quam Squatarolae; *digiti* rugis marginati, exterior plica lata adnexus; *Ungues* obtusi breves. Digiti *postici* rudimentum minimum, verruciforme, muticum. — In quibusdam, forte *junioribus* color supra magis fuscus, vel plumis fuscis sparsus, subtus a medio collo ad ventrem niger, albo-maculatus. *Rectrices* laterales nonnullis plane albae. *Mensurae* a summo rostro ad uropygium 8″. rostri 1 poll. caudae aequalis 2″. 9‴. ulnae alarum 7″. femorum partis nudatae 7‴. tibiarum 1″. 9‴. digiti medii 1″. 2‴.

Not. In omni avium genere compares species frequentes observamus. Sic haec cum Ch. apricario, Pluvialis cum Pardela,

rum ad 10‴. nudatorum 2″. 3‴. tibiarum 1″. 7‴. digitorum medii cum ungue 1″. 1‴.

263. CHARADRIUS *Pardela.*

C. subtetradactylus, corpore supra pallido - guttato, subtus albido.

Pluvialis seu Pardela, *Frisch. av. tab.* 216.

Vanellus varius, *Brisson. orn. V. p.* 103. *tab.* 9. *fig.* 2. *D'aubent. pict. tab.* 923!

Grey Plover, *Zool. brit. p.* 122. *sp.* 2. *tab.* C.

Trynga varia, *Lin. syst. XII. I. p.* 252. *sp.* 21. *Latham. av. V. p.* 169.

Cum Pluviali in borealibus frequentissima, praesertim per Sibiriam; Septembri cum eodem simul, imo saepe promiscue migrat per aprica australiora Rossiae et Sibiriae pascua. Hanc speciem *Latham* male Squatarolae varietatem facit (*av. V. p.* 169.) quae apud nos non occurrit.

Descr. Magnitudo circiter C. hypomelani, et ad eundem habet, ut Pluvialis ad C. apricarium. *Rostrum* coerulescens, extremo nigrum. *Irides* oculorum atrae, quod in avibus haud vulgare. *Supra* corpus nigricans, pallido punctatum. *Uropygium* album, medio fusco et flavente undulatum. *Subtus* avis alba, collo, praeter gulam, fusco liturato. *Alae* nigricantes, subtus albae. *Remiges* 1—4. rhachi in medio interiusque albae, 5—10. in medio exterius transversim, 11—21. basi atque margine albae, intimae 22—27. pallido dentatae, ut et tectrices secundariae. *Cauda* rotundata, alba, rectricibus 2 mediis nigro - fasciatis. *Pedes* coerulescentes, postico minutiore, quam in Vanello, attamen unguiculato. *Pondus* unciarum 5½. *Mensura* ad uropygium 8″. 8‴. caudae 3″. 2‴. rostri 1″. 1‴.

expansarum alarum 1'. 10''. 2'''. femorum ad 1''. 1'''. denudatorum 2''. 8'''. tibiarum 1''. 10'''. digiti medii 1''. 4'''. postici rudimentum 1½'''.

Not. Gmelinus sen. de hac specie observat, eam ad Lenam tantum autumno gregatim apparere in campis et ab accolis Russis *Semenuschka* appellari. Pardelam delineat *Pennant* in *additam.* ad *Zool. britan.* 8°. *p.* 65. *tab.* 72. videturque pro varietate *Pluvialis* habuisse, imo cum Ch. *hypomelano* eam confudisse.

264. CHARADRIUS *alexandrinus.*

C. tridactylus, supra furvus, subtus superciliisque candidis, fascia juguli interrupta fusca.

Pluvialis torquata, *Brisson. orn. V. p.* 60. *tab.* 5. *fig.* 1.
Charadrius alexandrinus, *Hasselquist. itin. p.* 310. *n.* 30. *Lin. syst. p.* 253. *sp.* 2.

Copiosissimum et turmatim volantem observavi Majo circa lacus salsuginosos et subamaros inter Ononem et Argunum fluvios Dauuriae; ad Jeniseam subsolitarius visus est. In citeriore Sibiria et Rossia nunquam visus. Vix tamen ab Aegyptiaco diferre videtur.

Descr. Elegantissima avicula, *magnitudine*, facie et tenello adspectu Hiaticulae. *Rostrum* nigrum. *Palpebrarum* margo, ut in Hiaticula, nudus, sed niger. *Irides* atrae. *Frons*, superciliaris *tractus* latiusculus, *lateraque* capitis, cum *cervicis* transversa *fascia*, *gula*, totoque corporis infero latere nivea. *Macula* verticis ad frontem albam transversa, itemque *lora*, *area*que pone oculos nigra maribus, foeminis fusca. Reliquum verticis, cum initio cervicis lutescunt, cinereo magis minusve nebulosa. *Area* juguli utrinque transversa nigra maribus, foeminis item fusca. *Supra* corpus a cervice ad caudam gryseo-cinereum; *uropygii* latera alba. *Alae* compositae cau-

dam aequant, angustae: *remiges* nigricantes, rhachibus, interiusque albae, 6—10. exterius in medio, secundariae apice albae, 22—24. elongatae, colore dorsi. *Cauda* subaequalis, rectricibus mediis totis, proximis apice fuscis, lateralibus albis. *Pedes* cinereo-coerulescentes, digitis magis fuscis. *Pondus* sescunciale vel paulo ultra. *Mensura* ad uropygium 5''. 2'''. rostri ad frontem 8'''. caudae 1''. 7½'''. alarum expansarum 12''. 6'''. ulnae 4''. 1'''. femorum fere dimidio nudatorum 1''. 4'''. tibiarum 1''. digiti medii (cum ungue 1½'''.) 9'''.

β. Avem in Insula *Kadiac* occisam misit **Billings**, *Char. alexandrino* hic descripto paulo minorem, cui: *vertex* et *cervix* inferior magis fusca; *fascia* juguli fusca non interrupta; *dorsi* plumae ora subgryseae; *remiges* rhachi albae; *rectrices* basi dorso concolores, extremo nigrae, apice albae, *extima* utrinque tota alba, proxima apice latius alba; *pedes* flavescentes. Haec fere specie distinguenda, nimis tamen affinis, quam ut ex unico specimine judicium ferri possit.

265. CHARADRIUS *Hiaticula.*

C. tridactylus fuscescens, capistro, collo abdomineque albis, collari nigro.

Hiaticula auctorum

Vanellus minimus s. Cinclus, *Frisch. av. tab.* 214. *Albin. av. I. p.* 76. *tab.* 80. *De Bruyn. it. moscov. p.* 336. *tab. n.* 182. *fig. E.*

Pluvialis torquata minor, *Brisson. orn. V. p.* 63. *tab.* 5. *fig.* 2. *D'aubent. pict. tab.* 920.

Alauda marina, *Zool. brit. p.* 129. *tab.* 2.

Charadrius Hiaticula, *Lin. syst. XII. I. p.* - - *sp.*

Ringed Plover, *Latham. av. V. p.* 201. *n.* 8. *Zool. arct. II. p.* 401.

Rossice propter collare *Galstuschnik*, item *Tschernosobik.*

Circa majores praesertim fluvios et lacus totius Rossiae et Sibiriae frequens, pars in temperatioribus prolificans, pars ad regiones arcticas nudas migrans, et haec quidem evadit major et pulchrior. In arcticis sunt copiosissimae Hiaticulae, etiam in ipsa ora maritima. Currit celerrime, per intervalla subsistens et conjugem vocans voce singulari.

Descr. Magnitudo Alaudae majusculae. *Rostrum* nigrum, basi lutescens vel pallidum. *Pedes* grysei, non (ut *Linnaeus* habet) rubri. Oculorum *irides* fusco-luteae; *palpebrae* undique limbo laxo, molli, turgidulo, cutaceo citrini coloris, intus fuscae. *Lora* supra rostrum isthmo connexa, nigra, pone oculos in aream ovalem dilatata; *fascia* alia nigra inter oculos transversa. Intermedia *frons* alba. *Cervix* zona lata, transversa, alba. 5 hinc *torques* atra sub collo dilatata. Reliqua *supra* fusco-cinerea, *subtus* candida. *Remiges* tectricesque fuscae, extima rhachi alba, reliquae, praesertim secundariae, apice albidae. *Uropygium* fere totum albet. *Cauda* obrotunda; *rectrices* intermediae 6. nigricantes, praeterque medias apice albae; *laterales* albae areola fusca versus apicem. *Pondus* australioribus vix unciam cum drachma excedit. *Mensura* a rostri apice ad uropygium 4″. 6‴. rostri ad frontem 5½‴. caudae 2″. 3‴. Alarum expansarum 13″. 9‴. ulnae 4″. 4‴. tibiarum 10‴. digiti medii 8½‴. quae omnia in borealibus paulo majora.

266. CHARADRIUS *minutus.*

C. tridactylus, cinereus gryseo undulatus, subtus albus, torque cervicis alba, juguli fusca.

? Petit Pluvier à collier, *D'aubent. pict. tab.* 921.

In aquosis deserti Barabensis rarius occurrit, observata ibi a *Doctissimo Amico* p. m. *Petro Falk.*

Descr. Magnitudo Motacillae atque Hiaticula multo minor; *rostrum* quoque multo tenuius et totum nigrum. *Frons* circa rostrum pallida, gula alba; latera capitis fusco-cinerea. *Vertex* totus, *dorsum*que fusco-cinerea, plumis gryseo-marginatis, etiam uropygio. *Nucha* postice fusco marginata, sub qua fascia alba cervicem ambit. *Collum* subtus *fascia* fusca torquatum. *Subtus* tota avis candida. *Alarum* remiges primariae nigrae, prima rhachi alba, *secundariae* earumque *tectrices* exterius versus apicem albo marginatae. *Cauda* rotundata nigra, rectricibus apice albis, extimis sensim ulterius. *Pedes* livido-pallidi; digitus extimus plica lata adnatus. *Mensura* ulnae alarum 3″. 6‴. rostri 5½‴. tibiarum 11‴. digiti medii cum ungue 8‴.

267. CHARADRIUS *Oedicnemus.*

C. tridactylus, rostro compresso, basi iridibusque flavis, corpore scolopaceo.

Oedicnemus Auctorum, *Willughb. orn. p.* 216. *Raj. av. p.* 105. 108. *Albin. av. I. p.* 66. *tab.* 69.

Charadrius seu Pluvialis maximus, *Frisch. av. tab.* 215!

Pluvialis major, *Brisson. orn. V. p.* 77. *tab.* 7. *fig.* 1. *D'aubent. pict. tab.* 919.

Pluvialis Norfolkiensis, *Zool. britan. p.* 127. *sp.* 2. *tab. D.* 1.

Charadrius Oedicnemus, *Lin. syst. XII. p. - - sp. - -*

Thikkneed Bustard, *Latham. av. VI. p.* 806. *n.* 9.

Courly de terre, *Buffon. orn. VIII. p.* 105. *tab.* 7. *D'aubent. pict. n.* 919.

Rossice quibusdam *Awdotka* (ob stoliditatem).

In australioribus Rossiae paludibus et arundinetis, maxime circa mare caspium frequens. In Sibiria ulteriore non datur. Interdiu inter arundines latet, noctu praesertim vagatur, celerrimo cursu, rostroque pugnax. Cicuratas aliquoties et diu domi habui, quae interdiu torpidae videbantur. Retrorsum antrorsumque aeque facile currebant; colliculis insistere avebant; timidae, imbelles. Raro assident, semper stantes pede utroque. Aquam maxilla horizontaliter immersa, flexis cruribus hauriunt. Neque palpebris, nec periophthalmio nictitant. Insecta quaelibet, imo cimices e lecti sponda comedunt. *Vox* rara, similis porcelli, interrupta.

Descr. Vanello, imo fere Limosa major, adeoque in suo genere maximus. *Rostrum* majus, quam Charadriis prioribus, apice compresso conico, basi flavissimum. *Lingua* acuta, integra, plana. *Oculi* magni, ambitu nudo, flavo; *palpebrae* tamen plumosae, sed margine nudo, extus flavissimo, intus nigro, *ciliis*que. *Irides* citrinae, pupilla amplissima, ut Strygibus. *Color* supra fere Arquatae, *gulae* subtusque niveus; sed *collum* jugulumque pallide gryseo, fusco-striata. *Alae* basi fuscescentes, ductu ex albido per vestitrices decurrente, eique parallela *fascia* alba, *ductu* nigro, per tectricum basin formata, inscripta. *Remiges* 28. quarum 1—3. extremitate, 7—9. apice et basi, secundariae tantum basi albae. *Cauda* longiuscula, acuta, rectricibus mediis dorsi concoloribus, lateralibus albis; apice nigris, basique variegatis. *Pedes* livido-flavi; digiti dimidium rostri aequantes. *Pondus* librae I. *Mensura* ad uropygium 11″. 4‴. caudae 4″. 9‴. rostri ad fraenum 1″. 11‴. expansarum alarum 2″. 6‴. ulnae 8″. 8‴. femorum (ad 1″. 3‴. nudatorum) 3″. 8‴. tibiarum 2″. 7‴. digiti medii (cum ungue 3½‴.) 1″. 6‴. *Ventriculus* subcarnosus, coleopteris plerumque farctus; *intestinum* 2′. 2″. 0. Coe-

ca tripollicaria, 2''. ab ano, longitudinaliter adnata, crassitie intestino subaequalia, apice papillari nutante, inferius adtenuata. Coecum aliud *Azygon* glandulosum tenuius, ¼'''. distat 8½ poll. ab ano. *Cystis* oblonga in hepate.

268. CHARADRIUS *Cinclus.*

C. subtetradactylus, corpore nigro albo ferrugineoque variegato, pedibus rubris.

Morinellus marinus *Brownii*, an Cinclus *Turneri? Willughb. orn. p.* 311. *Catesb. Carol. I. p. tab.* 72. Junior avis.
Cinclus *Moeringii.*
Morinellus canadensis, *Edward. av. II. p. et tab.* 141. *E.*
Arenaria, *Brisson. orn. V. p.* 132.
Trynga Interpres, *Lin. syst. XII. I. p.* 248. *sp.* 4.
Coulon-chaud, *D'aubent pict. tab.* 856. *Buffon. orn. VIII. p.* 130. *tab.* 10.
Hebridal Sandpiper, *Penn. Zool. brit. II. n.* 200. *Lighfoot. Flor. scot. n.* 152. *tab.* 3.
β. Arenaria cinerea, *Brisson. orn. V. p.* 137. *tab.* 11. *fig.* 2.
The Turnstone, *Zool. brit. p.* 125. *sp.* 8. *tab. E.* 2. *fig.* 2.
Trynga morinella, *Lin. syst. XII. I. p.* 249. *sp.* 6.

In plaga arctica totius Sibiriae, minus tamen frequens occurrit, maris glacialis, sinuumque majorum littora frequentans. Datur et in Camtschatca et insulis versus Americam sitis.

Descr. Sibiricus *Edwardsiana* icone paulo minor. *Rostrum* singulare, subulatum, obtusiusculum, ad dimidium obiter canaliculatum. *Color* inconstantissimus, veré histrionicus. *Capistrum pectus, abdomen* alba. Reliquum *corpus* rufo, nigro, alboque per plagas varium. *Pedes* rubri, *digito* postico elato, cum ungue curvulo.

β. *Femina* et *pulli* hornotini verè hujus speciei, dissimiles perfectis maribus, referunt id quod *Brissonius*, *Linnaeus* aliique pro distincta specie habuerunt, et *Catesbaeus* quoque delineavit. Hae personatae in Sibiria passim, migrationis tempore autumnali transvolant solae, sine maribus, et in Russia quoque, utut rarius, observantur, ripas frequentantes. *Magnitudo* his Merulae; *corpus* supra fuscum, marginibus plumarum rufis parum variegatum, subtus albidum; sed jugulum late nigrescit. *Rostri*, *pedum* et totius corporis caeterum forma eadem, pedum color coccineus. Vidi intermedias hujus in perfectum histrionicum habitum mutationes, ut de identitate speciei nullum mihi dubium supersit.

XLI. GLAREOLA.

Hoc nomine a *Brissonio* primum hoc sensu imposito placuit indicare *Pratincolam Crameri*, quam *Linnaeus* plane contra naturam ad Hirundines pertinere credidit, quae tamen potius inter Grallas (praecipue Charadrios) et Sternas media est et veré nulli horum generum recte adnumerari potest. Rallis quidem rostro subsimilis est, vel si mavis similior Cuculo; pedum vero atque digitorum proportione, ut et alarum atque voce magis ad Charadrios accedit; cauda forcipata et falcatis alis Sternam refert, at habitu, moribus et victu ad terrestres magis, quam aquaticas aves videtur pertinere. Characteres adeo peculiares prae se fert, ut quamvis vix non omnia genera tantum ex unica specie formata ad affinia genera referenda esse censeam, in hac tamen ave diversae sim sententiae. Credibile vero est in mediterraneis et australibus Asiae et Africae desertis ad-

huc alias latere species hujus generis; neque enim *Glareolam Senegalensem* **Brissonii** (*V. p.* 148. *sp.* 4.) huc pertinere dubito; imo forte Avis apud *Forskåleum* dubie pro Lari specie delineata (*Icon. rer. natural. orientis tab.* 21). Glareolae quoque species erit, certe nostratem habitu aemulatur. Etiam Turdi grallatorii brachyuri, quos *Brissonius* (*orn. II. tab.* 32.) et *Edwards* (*av. tab.* 324.) delinearunt, aliquam cum Glareola et Rallis affinitatem produnt.

269. GLAREOLA *Pratincola.*

G. cauda forcipata, circulo nigro gulam includente.

Gallinula erythropus? minor, *Gesner. av. p.* 513. *Aldrov. ornith. III. p.* 454.

Hirundo marina, *Aldrov. orn. II. p.* 696. *icon* 697. *Jonst. av. p.* 84. *Willughb. orn. p.* 156.

Hirundinis ripariae genus, *Marsil. danub.* V. *p.* 96. *tab.* 46.

Pratincola, *Cramer. austr. p.* 381. *tab.* 1. bona.

Glareola *Brisson. orn.* V. *p.* 141. *gen.* 73. *tab.* 21. *fig.* 1.

Hirundo Pratincola, *Lin. syst. XII. I. p.* 345. *sp.* 12.

Trachelia Pratincola, *Scopol. an. I. p.* 110. *n.* 161.

Perdrix de mer, *D'aubent.. pict. tab.* 882.

Austrian Pratincole, *Latham. av.* V. *p.* 222. *tab.* 85.

Rossice *Stepnaja Lastotschka*, *Stepnoi Strish* (campestris Hirundo), *Tschernobrofka* (supercilium nigrum) et a voce *Tirkuschka;* item *Lugowiza* quod latinum nomen proxime exprimit.

In omni deserto Tatarico a Volga usque fere ad Irtin, quousque campestris et inhabitata regio patet, frequentissima, a fine Aprilis ad autumnum, avis; ultra Irtin et in reliqua Sibiria nusquam

apparuit. Omnium copiosissime desertum Jaïcense ad Samaram usque frequentat, nec multo ulterius ad septentrionem evagatur. Dicitur, instar Meropis, in cuniculis praeruptorum nidulari; saltim nidum, in tanta illarum multitudine obtinere nunquam potui. Semper subgregaria in desertis vagatur, post educatam prolem congregatur copiosius. Aquas nunquam frequentat, sed in aridissimis, praesertim salsuginosis, venatur Gryllos aliaque Insecta, maxime sub vesperam; vidi ad Samaram cum Turture congregatas Insecta legentes, et Gryllorum praesertim copiam egregie minuunt. Currit instar Charadrii; hominem parum timet. Subvolat cum clamore (*Tirék-tirík!*) fere Sternae, vel Vanelli, etiam volantis si terreatur. *Volatus* fere Sternae. Tempestive ad austrum migrat.

Descr. Magnitudo Turturis. Capitis forma, rostrum et rictus omnino Cuculi. *Rostrum* convexo-compressum, subincurvum, nigrum, marginibus versus angulos oris fulvis; os tamen intus albet. *Lingua* cartilaginea, triquetro-plana, acuta, integra. *Nares* ad basin rostri imperviae, depressae, semiovales, membrana ultra dimidium clausae, apertura lineari. *Irides* oculorum luteo-fuscae; palpebra inferior alba, utriusque margines nudi, nigri. *Vertex* gryseo-fuscescens. *Lora* nigra, sub oculis continuata in *annulum* ovalem nigrum, *gulam* sordide albam usque ad medium collum includentem. Reliqua *subtus* cinerascunt; *venter* albidior. *Supra* avis tota gryseo-fuscescens, Lusciniae fere colore. *Alae* longissimae, angustae, caudam exsuperantes, subtus nigrae, praeter rhaches remigum albas; *remiges* 25. quarum extima longissima. *Uropygii* latera alba. *Cauda* longiuscula, (proportione Sternae), forcipata, rectricibus mediis latiusculis, dimidiato-albis, tribus utrinque extimis gradatim longioribus, albis, apice angustissimo nigris. *Pedes*, ut in Charadriis, longi, (non rubri, ut *Gesnerus* et *Brissonius*, sed) fusci, supra

genua nudi, tetradactyli; *digiti* breves, *plica* tantum exterioris insigniore, *posticus* minutus, cum ungue incurvus; anteriorum vero *ungues* longiusculi, subulati, maximus medius et interiore acie serratus. — *Foeminae* exsoletiores, circulo gulae minus expresso, submaculosae. *Pulli* primo anno rostro paulo breviore, corpore supra scolopaceo (plumis fuscis, margine gryseis); pectore fusco liturato, uropygio albo, tectricibus caudae apice gryseis, litura fusca notatis; cauda breviore, subforcipata, omnibusque rectricibus rotundatis, pedibus livescentibus differunt. — Adultorum pondus unciarum 2½ ad 3 et ultra. Longitudo ad uropygium 6″. 2‴. rectricum extimarum 3″. 9‴. mediarum 2″. 3‴. alarum compositarum 7″. 3‴. expansarum 1′. 10″. 0. rostri ad frontem 7⅔‴. ad rictum 11½‴. femorum ad 5½‴. nudatorum 1″. 10‴. tibiarum 1″. 6‴. digiti medii (c. u. 3½‴.) 1″. postici (1‴.) 3‴.

Not. De Varietatibus a *Dilig.* *Latham* enumeratis, non judico.

XLII. RALLI.

Difficile est rationem reddere, quare Natura Rallis, plerisque in sicco viventibus, pedes adeo longis digitis instructos dederit, qui potius impedimento, quam adjumento esse videntur. Multo majores aves, paludosa item frequentantes, admodum mediocri digitorum proportione sibi sufficiunt; dum Ralli pro maximis pedibus exiquae molis et ponderis sint. De vitae genere eorum parum novimus, sunt enim latebrosae aves, praesertim diluculo et noctu vagae, nec nisi excitatae volant, pedibus praesertim fidentes. Character rostri et pedum, satis convenit in omnibus.

270. RALLUS *Crex.*

R. gryseo-fuscoque varius, alis rufis.

Ortygometra Auctorum, *Willughb. orn. p.* 122. *tab.* 29. *Raj. av. p.* 50. *Albin. av. I. tab.* 32. *Frisch. av. tab.* 212.

Rallus genistarum seu Ortygometra, *Brisson. orn. V. p.* 160. *sp.* 3. *tab.* 13. *fig.* 2.

Rallus Crex, *Lin. syst. XII. I. p.* 261. *sp.* 1.

Crake gallinule, *Latham. av. V. p.* 250.

Rossice *Korastéll;* Malorossis *Derkatsch.*

Baschkiro-tataris *Tartai*; Kirgisis *Katschi.*

Morduanis *Tergàn;* Votiacis *Quaadsch.* Kystimis *Torgéjak.*

In temperatioribus, aquosis, et herbidis Rossiae et Sibiriae crepera sua voce passim exauditur, vespertino et nocturno tempore. In maxime borealibus et maritimis inque Camtschatca et Sibiria ultra Lenam tota, cum Coturnice, deficit. Maxime abundat in Ucrania et desertis versus Borysthenem, campisque Isetensibus, ubi aeque copiosae Coturnices. Creberrima quoque in sylvis tractus Verchoturiensis et ad Tom fluvium. Ad Jeniseam gentiles fabulantur Crecem autumno cum Gruibus, harumque dorso inequitantem migrare, ipsam volatui diuturno ineptam (*Gmelin. sen. sibir. itin. III. p.* 393).

Not. Pondus circiter 5 unciarum. *Intestini* longitudo 29″. *Coeca* bina tenuia, pollicaria fere, quadriunciali ab ano intervallo.

271. RALLUS *aquaticus.*

R. supra gryseo fuscoque lituratus, subtus coerulescens, hypochondriis albo-fasciatis, rostro basi subtusque fulvo.

Gallinula longirostris, *Frisch. av. tab.* 212.

Rallus aquaticus auctorum, *Willughb. orn. p.* 234. *tab.* 58. *Raj. av. p.* 113. *n.* 2. *Albin. av. I. tab.* 77. *Brisson. orn. V. p.* 151. *sp.* 1. *tab.* 12. *fig.* 2. *Zool. brit. tab. E. Lin. syst. XII. I. p.* 262. *sp.* 2. *Latham. av. V. p.* 227.

Gallinula aquatica, *Gunner. act. nidros. II. tab.* 12.

Scolopax obscura, *Gmelin. jun. itin. III. p.* 90. *tab.* 17.

Rossice *Pastuch*, *Pastuschok* (Pastor, a fistulante voce); et *Konjuch* (equino).

In aquosis et palustribus totius Rossiae et Sibiriae citerioris frequens avis; deest in alpestribus, adeoque in orientali Sibiria tota. Rarissime quidem apparet, interdiu in arundinetis latens et cursu fugiens, adeoque ob rarum volatum venatu difficilis; sed exauditur vesperi fistulatu humani aemulo, simplici, crebro, quem cum Colymbis, áliisque aquaticis avibus praesertim ante frigora vernalia miscet.

Not. Color *supra* Crecis et magnitudo; *subtus* coerulescit; hypochondria transversim albo variegata.

272. RALLUS *Porzana.*

R. gryseo-cinereus, dorso lineolis, collo punctis, pectore strigis transversis albis, rostro flavo macula fulva.

Gallinula ochra, *Gesneri, Willughb. orn. p.* 236. *Raj. av. p.* 115. *n.* 7.

Gallinula aquatica maculosa, *Frisch. av. tab.* 2.

Rallus aquaticus minor sive Marvetta, *Brisson. orn. V. p.* 155. *sp.* 2. *tab.* 13. *fig.* 1. mala.

Rallus minimus, *Edward. av. tab.* 278.

Rallus Porzana, *Lin. syst. XII. I. p.* 262. *sp.* 3.

Spotted Gallinule, *Latham. av. V. p.* 264.

Rossice *Kamyschnik* (arundinaria).

In arundinetis Rossiae et Sibiriae, praesertim australioribus, passim vivit, venatu difficilis, inter densas arundines expeditissime currens. *Vox* eadem, quam *Edwardsius* in Jamaicano per *Biddi biddi* exprimit. Hyemat in Tauricae-chersonesi convallibus australibus, ubi saepe a frigore quasi torpidus invenitur.

Descr. Similitudo summa inter hunc, R. aquaticum, R. carolinum, R. minutum jamaycensem (*Edward. av. tab.* 278) qui Porzanae proximus et vix diversus, et insequentem nostram speciem. *Rostrum* apice virescens, reliquo flavum, ephippio supra nares fulvo. *Pedes* fusco-virescentes. *Gula*, tractusque a fronte supraciliaris, latus coerulescenti-cinerea. *Vertex* gryseo, cinereo, nigroque nebulosus. *Prora* tota, lateraque corporis et uropygium virescenti-cinerea, notis transversis albis. *Subtus* medio albet. *Dorsum* itidem virescens, discis plumarum nigricantibus, striisque longitudinalibus albis. *Alae* fuscae, antico margine albo, subtus albo nigroque taeniolatae. *Cauda* fusca: *rectrices* mediae albo dentatae, non marginatae. *Plicae* inter digitos longissimos vix ullae. *Pondus* 2½ ad 2¾ uncias. *Mensura* ad uropygium 6″. 1½‴. caudae 1″. 9‴. alarum expansarum 1′. 1″. 0. compositarum 4″. 3‴. rostri 9‴. tibiarum 1″. 1½‴. digiti medii 1″. 4½‴.

273. RALLUS *minutus.*

R. fusco-cinereus, dorso lineolis, lateribus et postice undulis albis, pectore testaceo.

Rallus minutus, *Pall. itin. III. app. p.* 700. *n.* 30.

Rallus pusillus, *Gmelin. syst. II. p.* 719. *n.* 30.

In Dauuriae planitie deserto Gobeensi continua, inter Ononem et Argunum fluvium, circa lacus salsos et salsuginosos, praesertim in valle *Chongor - azirgà*, a diligentissimo *Nic. Sokolof*, tunc amanuensi meo, observatus. Cauda surrecta in ripis discurrunt exsultantes.

Descr. Rostrum mandibularum marginibus versus basin pallide viridibus; *lora* tecta plumis. *Caput* fusco - gryseum, linea supraciliari et infra oculari cinerea. *Dorsum* nigrescens, striis lacteis longitudinalibus. *Alae* fusco - lutescentes. *Venter* testaceus. *Abdomen*, femora, *uropygium* fusca, albo - undulata. *Cauda* brevissima, acuta, fusco - lutescens. *Pedes* pallidissime virescentes, digitis praelongis. Subsimilis R. Porzanae.

XLIII. FULICAE.

Genus Fulicarum, praesertim species, quibus pedes non lobati, vix ullo charactere a Rallis distingui potest. Nec tamen lobipedes a Porphyrione separari possunt, quem calvities frontis, et rostri crassities a Rallis alienum et affinem magis Fulicis reddit. Nihil ergo in his innovasi debere autumo. *Pedibus lobatis* Fulicae aliquomodo ad colymbos transitum efficiunt, ut *Phalaropi;* et item, ut ad Palmipedes *Recurvirostra.* Forsan istae lobipedes, duce *Pennanto* genere distinguendae.

274. FULICA *Porphyrio.*

F. rostro frontali pedibusque rubris, digitis simplicibus, corpore coeruleo - virescente.

Porphyrio auctorum, *Willughb. orn. p.* 238. *Raj. av. p.* 116. *Albin. av. III. tab.* 48. *Brisson. orn. V. p.* 522. *tab.* 42. *fig.* 1. *Lin. syst. XII. I. p.* 258. *sp.* 5.

Gallinula aquatica purpurea, *Edward. av. pag. tab.* 87.

Le Talève, *D'aubent. pict. n.* 810.

Porphyrio veterum, *Gmelin. jun. itin. pers. III. p.* 79. *tab.* 12.

Purple Gallinule, *Latham. av. V. p.* 254. *n.* 6.

In paludosis circa mare caspium ab ostio fluv. Terec versus austrum, et in omni littore Albaniae et Hyrcaniae, praesertim in agris inundatis oryza consitis frequens habitat, maxima, pulcherrima et sapidissima hujus generis.

275. FULICA *chloropus.*

F. digitis marginatis, rostro frontali armillisque coccineis, corpore nigricante.

Gallinula chloropus major Auctorum, *Willughb. orn. p.* 233. *tab.* 58. *Raj. av. p.* 113. *Albin. av. II. tab.* 72. *III. tab.* 91.

Fulica minor, fronte rubra, *Frisch. av. tab.* 209.

Gallinula, *Brisson orn. VI. p.* 3. *sp.* 1. *tab.* 1. *fig.* 12. *Zool. britan. p.* 131. *tab. L.* 1.

Fulica chloropus, *Lin. syst. XII. I. p.* 258. *sp.* 4.

Poule d'eau, *D'aubent. pict. tab.* 877. *Buffon. orn. VIII. p.* 171. *tab.* 15.

Common Gallinule, *Penn. Zool. arct. II. n.* 411. *Latham. av. V. p.* 258.

Rossice *Tschertow Kuriza* (Diaboli gallina).

In Rossiae et Sibiriae citerioris aquis arundinosis, cum sequen-

tibus, satis frequens. Notissima. *Ova* albo-virentia, maculis rubentibus. *Nidus* in frutetis ad aquas.

276. FULICA *atrata.*

F. digitis pinnatis, fronte albida, armillis rubris, corpore nigricante.

Fulica atra, Persis Paes jelek, *De Bruyn. it. mosc. p.* 134. *tab.* 70.

Fulica fronte alba, *Frisch. av. tab.* 208.

Fulica major? *Brisson. orn. VI. p.* 28. *sp.* 2. *tab.* 2. *fig.* 2. *Buffon. orn. VIII. p.* 220.

Fulica, *Zool. britan. p.* 132. *tab. F.*

Fulica aterrima? *Lin. syst. XII. I. p.* 258. *sp.* 3.

Greater Coot, *Latham. av. V. p.* 277. *n.* 2.

Rossice *Cyssucha* (calva) vel *Cyssaja Gagara* (colymbus calvus); Astrachanensibus e tatarico *Kaschkaldak;* Malorossis *Lyska.*

Tataris *Kaschkalak* et *Kaschka-urdjàk* i. e. Anas recalva. Sibiricis *Tschamga* i. e. Mergus.

Mongolis *Chalzan-Charóna;* Calmuccis *Charà-Galsyn.*

Deng-Ostiacis ad Jeniseam *Húisthan.*

In Rossiae et Sibiriae aquis frequentissima, arundineta et lacus colens. Venatorem haud formidat; victum e Potamogetone, aliisque plantis submersis capit. Vocifera, praesertim ante tempestates. Volans saepe supra aquam quasi currere videtur. *Ova* modo in ripa, modo in *nidis* magnis fluitantibus, ex arundine solerter contextis,.ponit, quina vel sena, polita, majuscula, cinereo-pallida, fusco pulverata et liturata, pondere sesquiunciae. *Volatus* brevis. Tarde migrat. Capta facile cicuratur. Carnem excoriatam laudant Tatari et sanitati prodesse credunt.

Not. Fulica minor nostras pondere a 17. ad 29 uncias variat. *Remiges* 26. rectrices 12. vel ultra. *Ventriculus* carnosissimus. *Intestinum* ultro-citroque compositum, non gyris flexuosum, longitudine 66 pollicum. *Coeca* teretia, acuta, 12″. *Pulli* lanugine nigra vestiti, pilis longioribus canis in dorso et alis creberrimis, imbricatis. Vidi varietatem albo variam.

277. FULICA *pullata.*

F. digitis lobatis, fronte iridibusque rubris, armillis flavis, corpore nigricante.

Fulica? *Brisson. orn. VI. p.* 23. *sp.* 1. *tab.* 2. *fig.* 1. *Buffon. orn. VIII. p.* 211. *tab.* 18. *D'aubent. pict. n.* 197.

Fulica atra, *Lin. syst. XII. I. p.* 257. *sp.* 2.

Common Coot, *Latham. av. V. p.* 275. *n.* 1.

Rossis uti praecedens audit; vel *Lyssaenka.*

Tungusis *Nittabuk.*

Jacutis *Yranai* (i. e. alba avis; scilicet).

Passim in aquis arundinosis, cum praecedenti speciè et in orientali Sibiria fere sola habitat. Auctorum synonyma *Fulicam minorem* indicantia huc quidem retuli, dubia autem teneo; et *Willughbeji* Fulica minor duplo pondere est ejus quam describo, adeoque potius antecedentis speciei.

Descr. Rostrum dilute carneum, basi et frontali intensius rubris. *Irides* sanguineae. Avis tota e cinerascente nigret, capite colloque aterrimis. *Pedum* crura flavescunt; digiti fusco-coerulescentes. *Pondus* unciarum 9. ad 12. *Mensura* ad uropygium 13″. alarum expansarum 2′. 3″. 6‴.

XLIV. RECURVIROSTRA.

Anomala et pedibus palmatis ab omnibus Grallarum generibus aliena avis, tamen rostro, habitu, femoribus nudatis, proceritate et vitae genere in Grallarum ordine naturali utique militabit. Est ex iis generibus, quorum paucissimae species in Natura rerum inveniuntur; nec tamen ulli alio generi facile adsociandum, licet prope ad Tryngas accedat.

278. RECURVIROSTRA *Avosetta.*

R albo nigroque varia. *Lin. syst. XII. I. p.* 256.
Marsil. danub. V. tab. 34.
Brisson. orn. VI. p. 538. *tab.* 47. *fig.* 2.
Zool. britan. p. 134. *tab. G.*
Avocette, *D'aubent. pict. tab.* 353. *Buffon. orn. VIII. tab.* 38.
Scooping Avocet, *Latham. av. V. p.* 293. *n.* 1.
Rossice *Morskoi kulik* (marina Scolopax).
Mongolis *Tschongotù - alak.*
Tungusis Dauuriae *Tschaptschagaldi.*

Circa lacus salsos et lacunas sale efflorescentes totius deserti caspici, tatarici, praesertim circa mare caspium in insulis et brevibus, in taurica Chersoneso, dein ad Irtin, denuoque in apricis Dauuriae et per Mongoliae deserta copiose occurrit; in boreales vero latitudines non venit. Aestate subsolitaria, autumno gregaria, in sicco pariter currit et aquis innatat, et vermiculos copiose limum salsum pertundentes, rostro effodit, licet debili. *Volatus* celer, agilis, diuturnus, Vanelli aemulus; *vox* inter currendum et volandum cre-

bra (*jep jep*) quasi Lari. Loca maxime deserta amat. *Nidus* in foveola nuda; *ova* quaterna, columbinis similia, candida, minus polita, pondere 4 vel 5 drachmarum adeoque a *Lathami* descriptione quam maxime diversa. Caro paululum piscinam olet.

Descr. Rostrum debile, tenue, depresso subulatum, recurvum fere in ¼ circuli. *Lingua* multo brevior, plana, sagittata. *Irides* castaneae. *Corpus* nivei candoris, plumis densiusculis, ut in avibus aquaticis. *Collum* elongatum. *Caput* supra totum et cervix, ad duas tertias, longitudinaliter nigra, colore abrupte circumscripto. *Area* utrinque per scapulas obliqua, ab humeris ad apicem alae spuriae, *alia*que per alas a flexura per interiores remiges ducta, priori parallela, et *apex* alae nigra; *remigibus* tribus totis, quinis proximis extremitate sensim minus et minus nigris. *Pedes* fusco-coerulescentes, proceri, palmati, supra genua nudi. *Foemina* colore exsoletiore. *Pondus* 9 ad 11. unciarum; mares ponderosiores. *Mensura* a summo rostro ad uropygium 13″. 7‴. rostri secundum curvaturam 3″. 10‴. caudae 3″. ulnae alarum 8″. 6‴. expansarum 2′. 4″. 4‴. femorum pars nudata ultra dimidium 2″. 7‴. tibiarum 3″. 6‴. digiti medii 1″. 8‴. postici 3‴. *Ventriculus* continere solet lapillos, limum, insectorum reliquias, praesertim cancri salini. *Coeca* duo sesquipollicaria, fusiformi-acuta.

XLV. PLATELEA.

Aeque anomalum inter Grallas genus, affine tamen Numeniis, constituit Platelea, et aeque parum numerosum, imo ab omni classe avium se distinguit singulari conformatione rostri, qua (minus qui-

dem quam Phoeni-copterus) Anates quodammodo aemulatur. Tamen proceritate, pedibus supra genua alte nudis, semipalmatis et toto habitu corporis, ad Grallas vere pertinet. Natura pro singulari nutrimento, quod quibusdam avibus adsignavit, etiam singulari conformatione rostri prospexisse videtur, characteribus ordinum naturalium nunquam stricte adhaerens.

279. PLATELEA *Leucorodia.*

P. crista arrigua, corpore niveo.

Platea et Leucorodias Auctorum, *Marsil. danub. V. tab.* 12.
Albardeola, *Albin. av. II. tab.* 66.
Platea Brissa, *Brisson. av. V. p.* 352. *n.* 1.
Platelea Leucorodia, *Lin. syst. XII. I. p.* - -
La Spatule, *D'aubent. pict. tab.* 400. (adulta cristata). *Buff. orn. VII. p.* 448. *tab.* 24.
White Spoonbill, *Latham. av. V. p.* 13.

Rossice *Kolpik, Kolpiza*; Malorossis *Lopáten.*
Kirgisis *Sabala-burùn.*
Mongolis *Chalbagantu* (Cochlearius), vel *Boghùn.*
Armenis *Käsch-chaùs.*

Maxima copia in australibus Rossiae, circa mare praesertim caspium, Maeotin et Euxinum, fluviosque majores eo decurrentes, nec non lacus majores totius deserti tatarici, camporumque Barabensium occurrit, neque in Mongoliae desertis deest et lacus ad Selengam et Argunum quotannis frequentat. Sylvosas et borealiores regiones non adit; hybernat in australibus Persiae, Indiae, Chinae, quorsum mature abit. Post educatam prolem ad pastum gregatim evolant, magnis turmis in transversum, rectilineum, strictumque ordinem extensis, serenissimo quoque aëre et altissimo licet volatu

candore facile emicantes. *Nidum* inter fluitantes arundines texunt; *ova* bina, anatinis majora, forma gallinaceorum, alba, lituris testaceis minutis conspurcata, saepe circa obtusiorem tantum verticem; axi 2″. 9‴. diametro 1″. 9‴. alia minus oblongata, axi vix 2″. 6‴. *Pulli* primo anno sine crista, rostroque diversi; vere omnes redeunt cristatae. Platelea rostro fere instar anatis utitur; conchis lacustribus, pisciculisque vescitur; attamen carnes sapidissimae, licet duriusculae seniorum. *Vox* stridula, rara. Rostrum in Sibiria pro cultrorum vaginis adhibetur. Remiges huic avi medullosae, scriptioni inutiles.

Descr. Magnitudo Ardeae cinereae, minus procera. *Rostrum* extremo planum dilatatum lividum, basi crassiore nigricans, maxilla inferiore magis albicante; junioribus intus directione margini parallela subtiliter striatum, inerme, senioribus primum basi, sensimque ulterius, rugis transversis undulatum (ut in icone *Marsilii* expressum est), intus serie utrinque dentium verruciformium, distantium, utraque maxilla, instructum. *Lingua* in fauce minima, triangula, apice rotundata, auriculis acutissimis serratis. *Fascia* cutacea nuda atra circa basin rostri; *Gula* denudata, loraque late nuda, cum palpebris flava senioribus, *hornotinis* livido-fusca, praeter mediam gulam et palpebrarum margines lutescentes. In *annosis* lora et palpebrarum circulus niveus, reliqua cutis circa rostrum flava. *Irides* angustae, junioribus exsolete virides, annosis rubinei coloris saturatissimi. *Corpus* totum purissimi candoris; *senioribus zona* lata jugulum ambit subferruginea. His quoque *crista* a nucha per initium cervicis, e pennis linearibus, saepe ad 5″. elongatis, fere ut in Upupa arriguis, quae junioribus vix ulla. *Remigum*, tectricumque rhaches supra nigrae, subtus fuscae; in junioribus primores duae exteriore parte et apice, proximae 2. tantum apice nigrae, reliquae litura

versus basin fusca. *Rectrices* 12. aequales, constanter niveae. *Pedes* longi, nigri; *digiti* membrana basi connexi, exterior latiore; *ungues* falcati. *Pondus* junioribus quadrilibri minus; annosis saepe selibre, praesertim sibiricis. *Mensura* istis ab apice rostri ad uropygium 1′. 10″. 6‴. rostri 5″. 11‴. (at senioribus 8″. 7‴.); caudae 4″. 3‴. ulnae alarum 1′. 1″. 3‴. colli ultra 7″. femorum quousque nuda 2″. 6‴. tibiarum 4″. 6‴. digiti medii (c. u. 5½‴.) 3″. 1‴. posterioris 1″. 7‴. Bulbus *oesophagi* spatiosi ovi columbini capax, glandulis insignibus intus papillosus et parenchymatosus. *Ventriculus* ovo anatino major, panniculosus. *Intestina* longitudine 16 pedum; *coeca* duo aliquot linearum distantia quadripollicari ab ano, et quin pedali fere ab ano distantia intestinum contortum instructumque *coeco azygo* lineari 5″. longo. *Trachea* in sinu sterni brevi sinu flexuosa.

XLVI. NUMENII.

Arquatam auctorum a *Falcinello* et affinibus, *Linnaeo* Tantalis dictis, nullo charactere, nisi longiore lingua et digitis pedum unquibusque brevioribus distinctum obtinere potui; hique characteres, aeque ac habitus, in quibusdam Tantalis, praesertim *rubro*, adeo parum recedunt, ut *Brissonium* omnino sequi maluerim *Tantalos Lin.* dictos, cum *Numeniis*, a Scolopaceo genere segregatis, junctos recensentem, quam *Linnaeo* duce posteriores cum Scolopacibus, magis, ni fallor, alienis recensere et novum Tantali nomen admittere. Interim indoles Arquatae et affinium, vere differt a Tantalis dictis, piscivoris et aquas amantibus, eo quod in sicco versari

et victum quaerere praeferant; unde et pedum diversam structuram explicaveris.

280. NUMENIUS *Ibis.*

N. corpore candido, remigibus nigris, facie nuda rubra, rostro luteo.

Ibis candida, *Brisson. orn. V. p.* 349. *sp.* 14. certe exclussis plurimis synonymis. *Marsil. danub. V. tab.*

Tantalus Ibis, *Lin. syst. XII. p.* 241. *sp.* 4. excluo synoymo *Hasselquist.*

Ibis blanc, *Buffon. orn. VIII. p.* 14. *tab.* 1. *D'aubent. pict. n.* 389.

Egyptian Ibis, *Latham. av. V. p.* 111. *n.* 10.

In australioribus circa Pontum Euxinum, ad Tyrae fl. ostia, ut et ad mare caspium, non tamen ad Volgae ostia usque occurrit, ubique rarior. Ad lacus Sarpae fl. in deserto caspio eminus mihi visa fuit, sed venatores ejus compoten, me facere non potuere.

Not. Falcinello major. Ibidem antiquorum e genere Numeniorum fuisse, non eam quam *Hasselquist* descripsit, quaeque est Ardea, Egrettae affinis, jampridem didici e rostris Ibidum ex ipsis Aegyptiorum urnis depromptis, quarum complures asservabat *Museum Serenissimi Principis Auriaci*, Hagae-comitum quondam splendens, nunc a Gallis spoliatum. *Forma* illa rostra Falcinelli rostrum ad amussim referunt. Tales etiam delineavit *Edwards* (*av. II. tab.* 105.)

281. NUMENIUS *Falcinellus.*

N. facie pedibusque virescenti-nigris, corpore fusco, sericeo splendescente.

Falcinellus *Aldrovandi* et *Gesneri* (*)

Gallinago sylvestris aquatica, *Mus. Besler. p.* 31. *tab.* 8. *n.* 2.

Falcinellus puniceo-viridis, *Marsil. danub. V. p.* 14. *tab.* 20.

Numenius rostro arcuato, corpore castaneo, pedibus obscure virentibus, *Cram. austr. n.* 350.

Numenius castaneus, *Brisson. orn. V. p.* 329.

Numenius igneus, *Gmelin. jun. Nov. Com. Petr. XII. p.* 460. *tab.* 13. *Gmelin. syst. Lin. II. p.* 649.

Tantalus Falcinellus, *Lin. syst. XII. I. p.* 241. *sp.* 2. *Gmel. syst. Lin. II. p.* 648. *sp.* 2.

Courly d'Italie, *D'aubent. pict. tab.* 819.

Glossy Ibis, *Latham. av. V. p.* 115. *sp.* 14.

Bay Ibis, *Latham. av. V. p.* 113. *sp.* 12.

β. *Junior:* Falcinellus colore furvo, *Marsil. danub. V. p.* 42. *tab.* 19.

Trynga autumnalis, *Hasselq. it. p.* 306. *n.* 27.

Numenius viridis, *Brisson. orn. V. p.* 326. *tab.* 27. *fig.* 2. *Gmelin. jun. Nov. Com. Petr. XV. p.* 462. *tab.* 19. *Gmelin. syst. Lin. II. p.* 648. *sp.* 8.

Green Ibis, *Latham. av. V. p.* 114. *sp.* 13.

Rossice in australioribus *Karawaika.*

Calmuccis *Schigitschi.*

Circa Lacum Caspium et Pontum Euxinum, itemque in australi tractu fluviorum illuc defluentium, Tyrae, Borysthenis, Tanaïs, Volgae, Rhymni-Laris fere copiosior avis. Tardissime migratoriarum, cum Nycticorace, Majo demum ex austro advolat, tumque gregatim in vadis et stagnis non profundis obambulat, adtracto collo, conti-

(*) Forte et *Ibis nigra Bellonii.*

moque clamitans, voce fere-gallopavonis; exterrita nil nisi rauca voce *Kàa!* clamitat. Pisciculis aliisque aquaticis vescitur et tamen carnes sapidissimae; sed citissime putrescit. *Nidulatur* in arundinetis. *Ova* gryseo-cinerascente-pallida, maculis et litnris variis magnis fuscis et obsoletioribus totum conspurcatum; axi 2″. 1‴. diametro 1″. 6⅔‴. Post incubationem parentes cum adultis pullis turmatim vagantur, et Augusti fine abeunt. In Aegypto autumnalibus mensibus apparent (*Hasselq.*). In Belgio rarissimo exemplo erraticae, praesertim juniores, apparent. *Varietates* ab aetate pro speciebus diversis posuerunt auctores, et triplicarunt unicam.

Descr. Junioris primi anni:

Magnitudo supra Arquatam. *Rostrum* nigro-livescens, sulco supra nares, alioque a naribus orto, obsoletiore maxillae inferioris, exaratum. *Lingua* in faucibus parvula, triangularis. *Membrana* nuda inter ramos maxillae et circa rostri basin, *lora*que late nuda (seu prima facies) fusco-nigra. *Palpebrae* fusco-lutescentes. *Irides* cinereo-fuscae. *Caput* cum *collo* fusco-nigra, collum saepe subtus notis transversis albis varium; aliis fuscum, nigro-punctatum. *Corpus supra* nigrum, *alis cauda*que nitore obscure viridi-aeneo, violaceo variante nitidum. *Alae* compositae primariae secundariaeque pennae caudam aequant. *Cauda* aequalis. *Pedes* nigri, digitis longis, plica exteriorem adnectente latiore; *ungues* longi, acuminati, *medius* interiore acie aliquoties crenatus.

Adulti perfecti: *Collum* et *corpus subtus* totum saturatissime sanguineo-ferruginea. *Vertex*, *dorsum* et *alae* fulgidissimae, violaceo viridique variante nitore; rostrum et pedes e virescenti atra. Linea coerulescens *lori* nudi in maribus. *Irides* virescente-cinereae. *Pondus* sesquilibrae vel ultra, minusve in junioribus 1′. 5″. 5‴. rostri 4″. 2‴. caudae 4″. expansarum alarum tripedale, ulnae 10″. 1‴.

femorum 5''. parte nudata 2''. 6'''. tibiarum 4''. digiti medii (cum u. 7'''.) 3''. 2'''. postici (c. u. 5½'''.) 1''. 7'''. *Oesophagus* et *ventriculus* ut in Platelea; *intestina* laxiora 3¼ pedum. *Coecum* parvulum azygon sesquipedis distantia ab ano.

282. NUMENIUS *Arquata*.

N. corpore scolopaceo, alis nigris albo maculatis.

Numenius seu Arquata *Auctorum; Albin. av. I. tab.* 79. *Marsil danub. V. tab.* 17.

Rusticula arquata, *Frisch. av. tab.* 224.

Numenius, *Brisson. orn. V. p.* 311.

Scolopax Arquata, *Lin. syst. XII. I. p.* 242. *sp.* 3.

Courly, *D'aubent. pict tab.* 818. *Latham. av. V. p.* 119.

Rossice *Stepnoi Kulik* (Scolopax campestris) vel *Kotruss* (*).

Tataris *Kongaralà;* aliis *Külgaadse.* Baschkiris *Kügıldé;* Barabensibus *Zabàn-Kulik.*

Mongolis *Todocholzi.*

Ostiacis *Chaïp.* Camaschinzis *Kuiguldéi.*

Tungusis *Dingnjakun;* Lamutis *Touwitsch.*

Coraecis *Tschejéja.*

Camtschadalis a voce *Tuguik;* item *Schéuschu;* occidentalibus *Saakulutsch.*

Curilis *Etschkamamuë.*

Per omnem Rossiam et Sibiriam vulgaris avis, aprica pascua, amans et in siccis campis versatur, viciniam tamen aquarum amans. Raro solae, plerumque per paria, autumno cum prole volant. Insectis,

---

(*) Nomen *Kulik* Slavonicum Scolopacibus generale, a voce derivandum videtur, pluribus Scolopacibus subanaloga.

praesertim Gryllis et Coleopteris, item Lacertis victitat. *Volatus* difficilis, tardior, collo adtracto, porrecto rostro et extensis retro pedibus. Clamosissima inter volandum, voce duplici, altera fistulatum productum, altera hinnitum pulli equini referente. Adpropinquantem nido hominem diu vociferans circumvolat, saepe quasi in faciem irruitura. *Nidus* humi, ex herbis congestis. *Ova* 5. ad 6. mole anatinis paria (unciar. 2¼) conica, olivaceo-virescentia, maculis raris fuscis; Vanelli ovis similia.

Not. *Color* Alaudae. *Rostrum* ut in Tantalis *Linn.* sulco obsoletiore, nec usque in apicem producto. *Lingua* paulo longior, parva tamen ad rostrum, pollicaris, acuminata. *Remiges* 32. *Digiti* breves, *unguibus* parvis acutiusculis, medio basi veluti quassato; *plica* exterioris digiti latior. *Pondus* subbilibre; femina mare ponderosior, contra morem avium. *Coeca* longiuscula; *cystis* magna.

283. NUMENIUS *Phaeopus.*

N. pedibus coerulescentibus, corpore scolopaceo, alis albo punctatis.

Phaeopus s. Arquata minor *Auctorum.*
Numenius minor, *Brisson. orn. V. p.* 317. *tab.* 27. *fig.* 1.
Arquata minor, *Edward. glean. II. p.* 204. *tab.* 307.
Dwarf Curlew, *Pennant. Gen. av. p. tab.* 40.
Corlieu, *D'aubent. pict tab.* 842.
Whimbrel, *Latham. av. V. p.* 123. *sp.* 6.

Licet Arquata major in apricis totius Asiae borealis frequentissima sit, haec tamen minor, vix ab ista distinguenda nisi magnitudine, nonnisi rarius observatur. Attamen Petropoli et in australioribus Rossiae circa Volgam aliqua specimina observavi. — *Gmelinus sen.* in regione transbaïcalensi vidit. *Stellero* non observata prius

quam in Camtschatcam veniret; ibi vero autumno, quum baccae palustres maturescunt, copiose advolant et in ericetis circa mare versantur ubi praesertim Empetri baccis vehementer delectantur, unde excrementa violacea. Nive circa medium Octobris decidente migrant, vero simillime versus Insulas et Americam. Hinc autumno pinguissimae, maximamque apud gentiles laudem meruere, ut de industria quoque positis laqueis frequentes capiant. Mores Arquatae.

Descr. Adeo similis Arquatae, ut ovum ovo, et fere diceres varietatem staturae; est enim tertia parte minor: *rostro*que tantundem breviore; sed pedum *digitis* majorem vix non aequat, proportione itaque majoribus. *Alae spuriae* minus exsoletae, pennae que earum non detritae apice (:ut semper Arquatae:) sed integerrimae, molliores, utroque margine maculis e gryseo magis lutescentibus pectinatae. *Unguis* medius basi introrsum vix contritus. Reliqua simillima. Rostri longitudo ad 5 poll. cum in Arquata saepe 7 poll. superet.

Not. Avem Camtschaticam non vidi, sed *Stellero* fides esse debet, eandem cum *Willugbeana* esse. *Frischii* icon (*av. tab.* 225.) minus cum nostra convenit, magis variegata; rostroque arcuatissimo.

XLVII. SCOLOPACES.

E partialibus methodi regulis apud *Ill. Linnaeum* in Grallarum affinibus generibus mira orta est confusio. Jam supra indicavimus plures Charadrios, propter postici digiti vestigium, ad Tryngas ab illo relatas, quibus rostris et habitu sunt dissimillimi. Videbimus postea veras Tryngas ob defectum digiti postici ad Charadrios

ab illo relatas. Inter ejus *Tryngas* et *Scolopaces* vero, neque Charactere, nec habitu, limites inveniri possunt, propterea, quod intermedium genus *Limosae*, a *Brissonio* recte adoptatum, distinguere noluit. In hoc igitur *Brissonium* sequi malui: quamvis enim haec tria genera perquam inter se affinia sint, tamen aliquos characteres proprios in proportione et forma rostri agnoscunt, quibus numerosae earum et non sine molestia distinguendae species facilius digeri possunt. Distinguo etiam cum *Brissonio* Phalaropos, a *Linnaeo* leviori etiam fundamento Tryngis adjectos. E duobus igitur generibus *Linnaei*, Scolopacum et Tryngarum, praeter relatas ad Charadrios species, enata sunt quatuor: *Scolopacis*, *Limosae*, *Tryngae* et *Phalaropi*, a *Brissonio* recte determinata.

284. SCOLOPAX *Rusticola.*

S. facie pallida loris fuscis, corpore supra ferrugineo, subtus pallido, transversim fasciato striatoque.

Scolopax seu Rusticola auctorum, *Brisson. orn. V. p.* 292. *sp.* 1. *Albin. av. I. p.* 67. *tab.* 70.

Rusticola seu Scolopax maxima, *Frisch. av. tab.* 226. mas. 227. femina; pulchre.

Scolopax Rusticola, *Lin. syst. XII. I. p.* 243. *sp.* 6.

Woodcock, *Penn. Zool. brit. II. n.* 178. *Latham. av. V. p.* 129. *sp.* 1.

Rosso-Slavonico *lomka;* venatoribus Rossis *Sluka* in Sibiria *Krechtun.*

Tataris *Tschüldi;* in Sibiria *Chategatsch* et *Chategitau;* Teleutis *Charagatau.*

Ostiacis ad Ket fl. *Káwi.*

In australibus Rossiae vere et autumno transmigrans, Martio et

Aprili, Septembri et Octobri, in Sibiria praesertim in borealibus observata, ubi prolificat. Petropoli adventat tempore gemmationis primae, plerumque vento occiduo flante, licet pluvioso. In Tauria autumno diu moratur, primum in apricis, humidis, dein frigidiore versus Novembrin tempestate, in convallibus sylvosis, vineis et hortis orae meridionalis, unde, confirmata tandem hyeme, in Anatoliam trajicit. Moderatis vero annis etiam per totam hyemem residet, et gelu per transennam incidens non timet. (Hybernat sic etiam saepe in Anglia et insulis inter Europam et Americam sparsis. Sedet in tuberibus terrae muscosis adtracto capite, quasi stupida. Inter frutices cum exigua strepera voce volat. Migrat praesertim vesperi.

Descr. *Moles* Perdicis. *Rostrum* tibia cum digito longius, subattenuatum, extremo crassiusculum, subrugoso-scabrum, apice superiore conico, (quod omnibus fere Scolopacibus), basi flavum. *Oculi* a rostro remotissimi. *Frons* ultra oculos, totaque facies pallida, fusco undulata, *loro* nigro utrinque divisa. *Lineolae* sub collo transversae nigrae praesertim quatuor insigniores, reliquis, quibus corpus totum subtus transversim virgatum. *Dorsum* et *alae* pulchre variegato fulvo, fasciis nigris fuscisque, aliquot item albis supra alas, plumarum terminalibus. *Remiges rectrices*que exterius ferrugineo-dentatae, posteriores apice albidae, et atrae intra apicem. *Pedes* inter omnes Scolopaces brevissimi, flavescentes; *femora* vix denudata; *digiti* longiusculi, membranis uullis; *posticus* sine ungue muticus! *Mensura* rostri 2″. 7‴. tibiarum 1″. 3‴. digiti medii 1″. 7‴. ulnae alarum 7″. 2‴.

285. SCOLOPAX *palustris.*

S. loris fasciisque frontalibus fuscis, corpore supra ferrugineo striato, subtus transversim fasciato, tectricibus apice albis.

Rusticola seu Scolopax media, *Frisch. av. tab.* 228 !

Great Snipe, *Latham. av. V. p.* 133. *sp.* 4.

Rossis venatoribus *Leshenok* (humicuba).

Tungusis *Dshinnekun.*

Jucagiris *Kuldrik.*

Cum praecedente in borealibus Rossiae et Sibiriae palustribus observatur, a nullo auctorum, praeter *Frischium*, distincte tradita, licet venatoribus germanis, sub nomine *Wald-bruch-Schnepf*, satis nota. Venatu difficilis est, quippe in densissimis sylvarum palustrium versari amans. In australioribus tantum migrationis tempore apparet.

Descr. Magnitudine secunda a Rusticola seu media inter eandem et Gallinaginem. *Rostri* forma, ut in Rusticola. *Lora* fusca et *fasciae* duae frontales, per verticem dilatatae, ut Gallinagini. *Variegatio* colli dorsique similis, sed elegantior; *subtus* autem corpus *fasciis* transversis nigris, gryseo-adumbratis, inordinatioribus quam in Rusticola. Alarum et *tectrices* omnes et *vestitrices* apice albae, quo maxime distinguentur a Gallinagine. *Cauda* lateribus oblique alba, magis quam in Gallinagine. *Pedes* proceriores quam Rusticolae, femoraque ad semipollicem denudata; *digiti* paulo breviores quam Gallinagini posticus uuguiculatus. Et haec omnia in plurimis speciminibus, inter se et cum affinibus comparatis. *Mensura* rostri 2″. 3½‴. ulnae alarum 5″. 7‴. tibiae 1″. 3‴. digiti medii (cum u. 2⅔‴.) 1″. 5‴.

286. SCOLOPAX *Gallinago.*

S. loris fasciisque frontalibus fuscis, corpore supra ferrugineo, pallido nigroque vario, subtus albo, hypochondriis doliatis, remige extima margine alba.

Gallinago auctorum, *Brisson. orn. V. p.* 298. *sp.* 2. *tab.* 26. *fig.* 1. *Albin. av. I. p.* 68. *tab.* 71.

Rusticola seu Scolopax Capella coelestis dicta, *Frisch. av. tab.* 229! varietas *alba tab.* 230.

Scolopax Gallinago, *Lin. syst. XII. I. p.* 244. *sp.* 7.

Becassine, *D'aubent. pict. tab.* 883.

Common Snipe, *Penn. Zool. arct. II. p.* 463. *n.* 366. *Latham. av. V. p.* 134.

Rossis venatoribus *Bekàs* et *Doppelschnepf.*

Germanis etiam *Heerschnepfe* et *Himmelsziege.*

Tataris *Tschaetirtenn*: Kirgisis *Kyr-tekae* i. e. Caper ferus.

Laak-Ostiacis Samojedicae stirpis *Chamme.*

Deng-Ostiacis *Kojind.*

In paludosis Rossiae totiusque Sibiriae frequentissima, etiam in temperatioribus nidificans. In aquosis camporum Ischimensium et Barabensium crebro exauditur crepusculo alte in aëre volitans et vocem hoedi seu capellae protractiorem, quam alias subvolans brevem et simplicem edit, imitata, quem e venatorum opinione alis efficit, dum ex alto in circulum circumacta teli instar descendit. Insecta praesertim aquatica et palustria legit unde sub vesperam aquas stagnantes petit, noctu potius quam interdiu quaerendo pabulo intenta. Stultior praecedentibus ictuque facilior. Hybernat in Anglia aliisque in insulis et locis maritimis, ubi mitis hyems.

Descr. Magnitudo Turdi. *Rostrum* proportione longissimum in

hoc genere, basi carnei coloris, extremo nigrum, apice depresso crassiusculo, punctis insigniter impresso, longitudinaliter sulcatum. *Facies* pallida, *lora* fusca, ad oculos non perducta; *fasciolae* 2 frontales, a rostro parallelae, per verticem dilatatae, nigro gryseoque variae. *Corpus* supra fuscum, ferrugineo nigroque transversim varium, plumis scapularibus exteriore margine longitudinaliter pallidis. *Subtus* avis alba, hypochondriis solis nigricante transversim fasciatis. *Remex* prima exterius longitudinaliter *alba;* intimae ferrugineo fasciatae. *Rectrices* ferrugineae, apice albae, laterales totae albidae, omnes fusco-fasciatae, ut et pinnae subalares. *Uropygium* luteo, fuscoque fasciolatum. *Pedes* proceriores, quam sequenti et praecedentibus, digitique longiores et tenuiores. *Pondus* 3½ ad 4 unciarum. *Mensura* rostri 2″. 6½‴. ulnae alarum 4″. 10‴. femorum denudata parte 7‴. tibiarum 1″. 2‴. digiti medii (c. u. 3‴.) 1″. 5¼‴. *Cystis* nulla. *Ventriculus* tenuiter carnosus, limo plenus. *Intestinum* longitudine 1′. 9″. 0. *Coeca* duo longitudine 3 linearum, sesquipollicari ab ano distantia. *Testes* cylindracei.

287. SCOLOPAX *Gallinula.*

S. linea frontali simplici nigra, dorso luteo nigroque vario, strigis luteis viridique sericeis longitudinalibus.

Gallinago minor, *Brisson. orn. V. p.* 303. *tab.* 26. *fig.* 2. *Albin. av. III. p.* 36. *tab.* 86. pessima.

Rusticula seu Scolopax minima, *Frisch. av. tab.* 231!

Scolopax Gallinula, *Lin. syst. XII. I. p.* 244. *sp.* 8.

Petite Becassine, *D'aubent. pict. tab.* 884.

Jack-Snipe, *Penn. Zool. arct. II. p.* 464. *Latham. av. V. p.* 136. *sp.* 8.

Rossis exotico nomine *Bekassin;* venatorio nomine *Stutschik.*
Gallis *la Sourde.*
Baschkiris *Saraldshin.* Jacutis *Barách.*
Ostiacis ad Narym, *Sapri.*

In Rossiae et Sibiriae paludosis et borealibus aeque frequens ac praecedens; in temperatis et australibus rarissima, nisi migrationis tempore.

Descr. Magnitudo vix Sturni. Crassitie capitis, brevitate colli et oculorum situ a rostro admodum remoto, Rusticolam aemulatur. *Rostrum* brevius, crassiusque, quam praecedentibus cunctis, a crassa basi valde compressum, extremo depressum, rugulis obliquis et apice punctis impressis, at sulco obsoleto. *Lora* usque ad oculum late fusca; per frontem lineola simplex, angusta, per verticem latescens, nigra. *Litura* fusca utrinque in genis longitudinalis. *Gula* et pectus alba; *collum* et *hypochondria* lutescunt, fusco striata *longitudinaliter. Dorsum* inter alas atrum, circulis plumarum fulvis varium, tractibus tribus longitudinalibus, viridi-aeneis, interjectisque duabus strigis luteis. *Cauda* brevissima; *rectrices* fuscae, luteo-marginatae, mediae longiores, acuminatae. *Pedes* cum digitis breviores, tenuioresque, quam praecedentis, *plicis* inter digitos (ut Scolopacibus omnibus) plane nullis, ut recte *Brissonius. Unguis* medii digiti interiore margine undulatus! *Mensura* rostri 1″. 6‴. ulnae alarum 3″. 11‴. tibiarum 10‴. digiti medii (c. u. 2½‴.) 1″. 1‴. femora denudata ad 5½‴.

288. SCOLOPAX *alpina.*

S. rostro breviore, dorso fusco luteoque maculato, pectore nigro.

Dunlin anglorum, *Willughb. orn. p.* 226. *Zool. brit. p.* 126. *sp.* 11. *tab. E* 1. *fig.* 2.

Cinclus torquatus, *Brisson. orn. V. p.* 216. *tab.* 19. *fig.* 2.

Gallinago anglicana, *Brisson. orn. V. p.* 309. *sp.* 5! (*e Willughbaeo* duplicata).

Lin. syst. XII. I. p. - - sp. - -

Rusticula minima, *Frisch. av. tab.* 241!

Le Cincle, *D'aubent. pict. tab.* 852.

Brunette, *Buffon. orn. VII. p.* 493.

Rossice *Tschernosobik* (jugulum nigrum); venatoribus *Kuïm.*

Transvola vere in australibus Rossiae aquosis, praesertim circa mare caspium, tempore prolificationis vero in septentrionalibus fere tantum observatur. Solitaria, nec usquam frequens, sed inter rariores Rossiae Sibiriaeque Grallas referenda, attamen usque in Camtschatcam et insulas orientalis Oceani occurrit. *Sexus* alter, et juniores autumno migrantes; pectore immaculato, vel vix uno alterove naevo nigro notantur, quos cave ne pro distincta specie habeas.

Descr. Magnitudine circiter Gallinulae. *Rostri*, licet brevioris forma evidenter Scolopacibus adnumeranda. *Vertex* et *dorsum* plumis disco nigris, margine gryseo-luteis, quibusdam margine albidis. Latera capitis, cervix, collum cinereo-albida, fusco liturata. *Subtus jugulum* albo-squamatum, disco plumarum nigro; *pectus* atrum, ambitu albo maculatum. *Hypochondria*, crissum alba, lineolis nigris. *Alarum* remiges fuscae, tegetes et bases exsoletissimae fereque cinereae, tectricum apicibus albis. *Uropygium* dorso concolor. *Cauda* subaequalis, fusca, lateribus exalbida. *Rostrum* adtenuatum, apice levissime descendente, depressiusculo, scabriusculo, superiore paulo longiore. *Pedes* mediocres, membranis inter digitos vix ullis,

nisi exterioris. *Mensura* ad uropygium fere 6″. rostri 1″. 3‴. tibiae 10½‴. digiti medii 10‴. postici 2‴. caudae 1″. 9‴.

XLVIII. LIMOSAE.

Limosas a Scolopacibus distinguit *rostrum* apice laeve et acutiusculum, *plicae* inter digitos, praesertim exteriorem insignes; a Tryngis *rostrum* multo longius, tibiarum longitudinem aequans, imo superans. Graviores characteres non constant, sunt enim ista genera, ut supra dixi, inter se quam maxime affinia. *Oculorum situs* in nulla Limosa adeo a rostro remotus est, ut in Scolopacibus, et capitis forma minus insolita. Sunt etiam plerumque diurnae aves, non tenebrarum amantes, uti Scolopaces. Caeterum moribus et vitae genere vix differunt; nec pro culina multo pejores.

289. LIMOSA *Aegocephala.*

L. pedibus virescentibus, capite colloque rufis, pectore uropygioque albo, hypochondriis doliatis.

Barge seu Aegocephala Auctorum, *Albin. av. II. p.* 64. *tab.* 70.
Gallinago major cinerea, *Marsil. danub. V. tab.* 13. 14?
Limosa rufa major, *Brisson. orn. V. p.* 284.
Godwit, *Penn. Zool. brit. p.* 120. *sp.* 2. *tab. B.* 2. *Zool. arct. II. p.* 466. *n.* 373. *Latham. av. V. p.* 144. *n.* 14.
Scolopax Aegocephala, *Lin. syst. XII. I. p.* 246. *sp.* 16.
Grande Barge rousse, *D'aubent. pict. tab.* 916. *Buffon. orn. VII. p.* 501.

Rossis *Sukalén;* in Sibiria *Awdotka* et *Awdotia* itemque *Abduschka;* ad Jeniseam *Sherebetschik* (Equulus).

Tungusis *Legläkun.* Jacutis *Tschoktschongò.*

In omni Rossia et Sibiria admodum vulgaris in pascuis et circa aquas, in temperatis pariter et frigidis prolificans. Omnium copiosissima in campis Isetensibus et Barabensibus, lacuum abundantia eminentibus et ubique in apricis ab oriente Jugi uralensis. A primo vere, quum per paria conjugantur, toto incubationis tempore clamosissimae, ante adpropinquantem hominem inepto volatu et taediosissimo fistulatu (quasi hinnitum pulli equini referente) circumvagantes et incommodi. Volantis fascia alarum alba, cum albedine proni corporis crucem refert, unde Germanis *Kreuzschnepf. Ova,* praeter molem, ut et *nidus,* simillima nido et ovis Vanelli.

Not. Variat collo gryseo, albidoque subundulato vel nebuloso. Maxime procera fere in suo genere.

290. LIMOSA *Glottis.*

L. rostro adscendente subrubro, pedibus lividis, corpore gryseo fusco liturato.

Pluvialis major, *Albin. av. II. p.* 43. *tab.* 69.

Limosa gryseo major, *Brisson. orn. V. p.* 272. *tab.* 24. *fig.* 2. *Marsil. dan. V. tab.* 22.

Lesser Godwit, *Zool. brit. p.* 120. sp. 3. *tab. B.*

Scolopax Glottis, *Lin. syst. XII. I. p.* 245. *sp.* 10.

Greenshank, *Penn. Zool. arct. II. p.* 469. *n.* 379. *Latham. av. V. p.* 147. *n.* 18.

In australibus Rossiae, circa majores fluvios, autumno turmatim apparet: Per Sibiriam mihi non visa. Sapidissima avis in patina.

Descr. Aegocephala minor, *magnitudine* Totani. *Colore* arquatae simillimo facile dignoscenda. *Rostrum* longum, adscendens, rubicundo-fuscum. *Supercilia* ab oculis ad tempora, cum palpebris alba. *Caput collum*que gryseo-albida, fusco-striata. *Gula* alba. *Dorsi* alaeque spuriae pennae fuscae, margine gryseo maculatae. *Remiges* primariae nigrae, rhachi alba; *secundariae* pallido-marginatae, praeter intimas dorso concolores. *Uropygium* album. *Cauda* longiuscula, cum tectricibus alba, fusco-taeniolata. *Subcaudales* albae, guttatae.

291. LIMOSA *ferruginea.*

L. rostro subadscendente flavo, pedibus nigris, corpore subtus toto ferrugineo.

Fedoa americana, pectore rufo, *Edward. av. III. p. tab.* 138.
Limosa rufa, *Brisson. orn. V. p.* 281. *tab.* 25. *fig.* 1.
Scolopax testacea, *Catal. Vroeg. adumbr. n.* 301.
Scolopax lapponica, *Lin. syst. XII. I. p.* 246. *sp.* 15.
Barge rousse, *D'aubent. pict. tab.* 900.
Red Godwit, *Penn. Zool. arct. II. p.* 466. *n.* 372. *Zool. brit.* (4to.) *II. tab.* 77. *Latham. av. V. p.* 142. *n.* 13.

In squalidis et inundatis circa mare caspium vere non infrequens, et videtur nidos in septemtrione repetere. Per Sibiriam mihi nunquam oblata. Est e pulcherrimis sui generis, neque magnitudine Aegocephalae inferior.

292. LIMOSA *Barge.*

L. rostro adscendente, basi rubro, pedibus fuscis, corpore cinerascente, subtus, remigibusque basi albis.

Gallinago cinerea major, *Marsil. danub. V. p.* 30. *tab.* 13. 14.

Limosa, *Brisson. orn. V. p.* 262. *sp.* 1.

Scolopax Limosa, *Lin. syst. XII. I. p.* 245. *sp.* 13.

Barge, *D'aubent. pict. tab.* 874. *Buffon. orn. VII. p.* 500. *tab.* 27.

Baschkiris *Kisgittau.*

Tataris *Talletuit.*

Camtschadalis *Tschekustawato.*

Per omnem passim Rossiam et Sibiriam, *Stellero*que teste, etiam in Camtschatca et insulis, tam Curilis, quam versus Americam sitis, observatur, per quas quidem vere et autumno maxime migrat.

Descr. Magnitudo paulo supra Vanellum. *Rostrum* nigricans, rectum, teres, extremo subadscendens, apice laevi, acuto, subinflexo, *basi* maxime inferioris maxillae rubrum. *Lora* albo inscripta fusca. *Caput* et *cervix* albo fuscoque striata; *collum* subtus album, punctis lineolisque nigris usque ad jugulum. Reliqua *subtus uropygium*que alba. *Dorsum* cinereum, nigro striatum maculatumque, limbis etiam subinde pallidis. *Remiges* fuscae, primores rhachi albae, secundariae albo-marginatae, intimae virescenti-nitidae, canodentatae. *Cauda* aequalis, alba, fasciolis transversis fuscis. *Pedes* virescentes, *plica* extimi lata. *Pondus* ultra 6 uncias. *Mensura* ad uropygium 10″. rostri 2″. 3½‴. caudae 2″. 10‴. femorum quo nuda 1″. 2‴. ulnae alarum 7″. 3‴. expansarum alarum 1′. 11″. 0. tibiarum 2″. 4‴. digiti medii 1″. 5‴.

293. LIMOSA *recurvirostra.*

L. rostro subrecurvo, dorso cinereo, fascia humerali obliqua aeneo nigra.

Trynga Morodunka Samojedis, media fusca, ductu per scapularum longidinem nigro, ochropus, nutanorhynchos seu rectius: Limosa recurvirostra minor, *Messerschmid. ornith. MS. VII. p.* 1066.

Trynga recurvirostra minor, *Gmelin. obs. MS. Güldenst. Nov. Com. Petr. XIX. tab.* 18.

Terek-Avocet, *Penn. Zool. arct. II. p.* 502. *A.*

Terek-Snipe, *Latham. av. V. p.* 155. *n.* 31.

Scolopax cinerea, *Gmelin. syst. III. p.* 657. *n.* 24.

Tawginzis Samojedicae stirpis ad Jeniseam, *Morudúnka.* Dengostiacis *Báa.*

Tungusis *Nokáki.*

Passim per Sibiriam, praesertim in borealibus et arcticis sporadica; ad Kovymam fl. usque observata a D. D. *Merk.* In australioribus tantum tempore migrationis apparet. Littora frequentat, strepere clamosa avis. *Nidus* in depressis, ex herbis; *ova* quaterna, columbinis minora, lutescente-pallida, maculis spadiceo-fuscis et obsoletioribus sparsa, conica; pondere circiter 3¼ drachmarum.

Descr. Magnitudo Turdi. *Rostrum* levi arcu adscendens, basi livido flavescens, vel fulvescens, apice superiore convexo, longiore. *Area* ante oculos tenerrime pilosa. *Corpus* subtus totum album, supra cinereum rhachibus fuscis. Caput et collum magis canescunt. *Alae spuriae* pennae quaedam nigro-aeneo maculatae, unde compositis alis tractus in dorso lambdoideus, nigro-aeneus. Alae secundariae *remiges* apicibus albo marginatae vel toto apice albae; prima rhachi alba. *Cauda* cinerascens. *Pedes* livido-lutescentes. *Uropygium* albo cinereoque undulatum. *Plicae* latae inter digitos, omnes perque digitos decurrentes, unde, et ob rostrum recurvum, avis haec jure Recurvirostrae affinis censenda. *Pedes* livido-lutescentes.

Mensurae: a summo rostro ad uropygium 7″. 3‴. rostri 1″. 9‴. expansarum alarum 1′. 2″. 7″. Ulnae 4″. 10‴. caudae 1″. 11‴. tibiae 1″. digiti medii (cum ungue 3/4) 10‴. postici fere 4‴. *Pondus* plus minus biunciale, imo ad 2¼ unc. Intestinum longitudine 16 poll. coeca bipollicaria, apice crassiuscula.

294. LIMOSA *Totanus*.

L. pedibus virescentibus, dorso cinereo, pectore abdomine uropygioque albis, cauda subalaribusque doliatis.

Glareola ex fusco et albo varia, *Frisch. av. tab.* 237.
Limosa grysea, *Brisson. orn. V. p.* 267. *tab.* 32. *fig.* 1.
Greenshank, (Chloropus) *Zool. brit. p.* 121. *sp.* 4. *tab. C.* 1.
Scolopax Totanus, *Lin. syst. XII. I. p.* 245. *sp.* 12.
Maubêche grise, *D'aubent. pict. tab.* 365.
Spotted Snipe, *Latham. av. V. p.* 148. *n.* 19.

Rossice *Sui* et *Sujok*, nomine ad varias etiam Tryngas applicabili. Permaecis *Sajas*; Siraenis *Wjetal.* Vogulis *Schuldschi*; Ostiacis *Sulsi*; ad Narym *Sdse* (sed haec nomina vaga, aliis quoque Limosis et Tryngis minoribus adplicantur).

Per Rossiam et Sibiriam in aquosis ubique frequens, ad ripas et in ipsa aqua cursitans, imo homine accedente per medias quoque stagnorum minorum aquas expedite natans. Subvolat cum fistulatu insigni et saepe inter volandum fistulat. In medias subinde aquas se demittit. *Ovum* virescente album, punctis maculisque fusco-nigris.

Descr. *Magnitudo* Turturis. *Rostrum* lineari adtenuatum, subadscendens, nigrum, basi livida. *Supercilia* ab ipso rostro late alba. *Caput, cervix* cana, fusco striata. *Subtus* avis alba, collo striis, jugulo guttulis fuscis. *Dorsum* cinereum, plumis disco nigro, quaedam aeneo maculatae, margine albidae. *Uropygium* late album.

Rectrices strigis transversis fuscis, lateralium obsolescentibus: mediae paulo longiores. *Alae* subtus circulis, hypochondria et subcaudales notis sagittatis fuscis. *Remiges* fuscae, *secundariae* albo marginatae, intimae albo pinnatae. *Pedes* virescentes, proceri. *Mensura* totius ad uropygium 9″. 11‴. rostri 2″. 1‴. caudae 2″. 11‴. rostri 2′. 1″. alarum expansarum 1′. 10″. 5‴. ulnae 7″. 4‴. partis nudae femorum 1″. 5‴. tibiarum 2″. 4‴. digiti medii 1″. 6‴. — Dantur mares simillimi, omnibus his mensuris fere tertia parte minoribus, alis subtus albis.

295. LIMOSA *Calidris.*

L. rostro basi pedibusque rubris, dorso cinereo, remigibus secundariis albis.

Gallinola erythropus major, *Marsil. danub. V. tab.* 23.
Glareola minor, rostro pedibusque rubris, *Frisch. av. tab.* 240?
Trynga Totanus, *Brisson. orn. V. p.* 188. *tab.* 17. *fig.* 1.
Scolopax Calidris, *Lin. syst. XII. I. p.* 245. *sp.* 1.
Gambette, *D'aubent. pict. tab.* 845.
Redshank, *Latham. av. V. p.* 150. *n.* 20.

Rossice ni fallor huic adplicatur nomen *Trawnik.*
Siraenis *Tscholtscha.*

Rossia et Sibiriae citerioris praesertim temperata et australiora aprica frequentat, littoralis, sed et in sicco passim, sub lapidibus, insecta legens. *Vox* fistularis.

Descr. Magnitudo Totani. *Rostrum* apice lineare, laeve, superiore acutiusculo, subincurvo, utraque maxilla basi rubrum. *Caput*, *collum*que cinerascunt, subtus albida fusco striata. *Dorsum* cinereum, taeniolis aliquot transversis, undulatis, fuscis. *Remiges* primariae nigricantes, *secundariae*, praeter intimas dorso concolores,

niveae, vix fusco inquinatae. *Corpus* subtus totum niveum. *Uropygium caudaqua* alba; strigis transversis nigris, crisso rarioribus. *Rectrices* mediae 2 gryseae. *Pedes* proceri, pulcre coccinei, unguibus fuscis; *plica* exteriorem digitum adnectens lata posticus terram non attingit. *Mensura* integrae ad uropygium 8″. 9‴. rostri 1″. 7‴. caudae 2″. 5‴. ulnae alarum 6″. partis nudae femorum 10‴. tibiarum 1″. 10‴. digiti medii 1″. 2½‴. *Ventriculus* ut Scolopacibus omnibus carnoso panniculosus. *Coeca* subbipollicaria

β. E. borealibus ad Ob fluv. habui specimina avis Calidri valde affinia, forte a boreali climate mutata. (Semper enim aves ad ea loca, ubi exclusae sunt, ad prolificandum revertuntur, ideoque climatis effectu perplures generationes continuato, etiam colores mutare possunt, ut exemplo in Alauda nivali demonstravi). Haec borealis varietas: mole media inter Totanum et Tryngam Pugnacem. *Rostrum* basi rubrum, et forma, ut in vulgari Calidri, et *pedes* item ruberrimi. *Vertex* cum cervice fusco-canescit; *tractus* albus a rostro supraciliaris; *lorum* latum fuscum, ad oculos subtiliter pilosum, *gula* alba. *Collum* cinereo lituratum album; *jugulum* et *pectus* fusco transversim subundulata. *Hypochondria*, crissum, *subcaudales* et latera uropygii fasciis transversis nigrioribus eleganter picta. *Uropygium* supra album. *Dorsum* cinerascente fuscum, plumis margine albo-variis. Alarum *secundariae* tectricesque albo dentatae vel fasciatae; *primariae* fuscae. *Cauda* subaequalis, alas excedens, fasciis transversis creberrimis albis nigrisque variegata. *Mensura* tota ad uropygium 10″. 4‴. rostri 2″. 1‴. ulnae alarum 6″. 2″. partis nudae femorum 1″. tibiarum 2″. 1½‴. digiti medii (c. u. 2½‴.) 1″. 3½‴. caudae 2″. 8″. Pinguissimae solent esse.

296. LIMOSA *Himantopus.*

L. pedibus tridactylis longissimis, iridibusque ruberrimis, corpore albo, dorso alisque nigris.

Himantopus, *Plinii hist. nat. lib. X. cap.* 47. *Marsil. danub. V. tab.* 21.

Himantopus auctorum, *Brisson. orn. V. p.* 23. *tab.* 3. *fig.* 1.

Pluvialis lonigcruris, *Zool. brit. p.* 128. *sp.* 4. *tab. C.*

Charadrius Himantopus, *Lin. syst. XII. I. p.* 255. *sp.* 11. *Gmelin. jun. itin. I. p.* 151. *tab.* 32. bona.

Echasse, *Daubent. pict. n.* 878.

Longlegged Plover, *Latham. av. V. p.* 195. *n.* 3. *Lightfoot flor. scot. I. p.* 35. *tab.* 4.

Rossis versus mare caspium habitantibus *Morskoi Kulik* (Scolopax marina) et *Dolgonogoi Kulik* (Scol. longicruris).

Calmuccis *Gocho.*

In deserto tatarico australi usque ad Irtin fluv. circa lacus salsos subamaros, inque vadis maris caspii praesertim frequens. Vere inter ultimas aves, parvis turmis ex austro advolat; aestate per paria subsolitarius. Praelongis suis cruribus in aqua graditur et ubi profundior fit aqua optime natat. Saepe plures simul in vadis vel littore quasi choreas agunt, uno semper loco subsultantes expansis alis, simul vocales. *Vox* crepera inter volandum, Sternae vel Recurvirostrae subaemula.

Descr. Avis ipsa mole Totano fere minor, at pedibus et collo longe procerior. *Rostrum* dupla longitudine capitis, nigrum, apice attenuato, acuto, superiore curvulo. *Lingua* rostro brevior, extremo setacea. *Oculi* majusculi; *irides* corallini ruboris; *palpebra* inferior alba. *Vertex* postice, genae, et cervix longitudinalrter nigricant in

mare, in *foemina* coerulescenti-fusco nebulosa. *Dorsum alaeque* totae mari nigerrima, *feminae* obsoletius, *junioribus* fusco nebulosa. *Uropygium* et subtus tota avis nivea. *Cauda* majuscula, aequalis, cana, lateraliter albidior; *rectrices* latiusculae, duodenae. *Pedes* e roseo corallini ruboris, tota ave longiores, tenuissimi; *digitus posticus* plane nullus; *exterior* plica lata; *ungues* nigri. *Alae* compositae cauda multo longiores, acutissimae, plane nigrae; *remiges* 27. *Pondus* a 5¼ ad 6 uncias. *Mensura* a rostri apice ad uropygium 10″. 8‴. rostri 2″. 4‴. caudae 2″. 10‴. expansarum alarum 2′. 1″. 3‴. ulnae 8″. 7‴. femorum quousque nuda 3″. 1‴. tibiarum 4″. 1‴. digiti medii (c. ung. 2¼‴.) 1″. 6‴.

297. LIMOSA *fusca*.

L. rostro subarcuato basi rubro, corpore nigricante, cano undulato, uropygio albido.

Glareola e cinereo et albo variegata, mandibula inf. ad basin rubra, pedibus e fusco-croceis, *Frisch. av. tab.* 236.

Limosa fusca, *Brisson. orn. V. p.* 276. *tab.* 23. *fig.* 2. *D'aubent. pict. tab.* 875.

Scolopax fusca, *Lin. syst. XII. I. p.* 243. *sp.* 5. *Latham. av. V. V. p.* 155. *n.* 30. *Gmelin. syst. III. p.* 657. *n.* 5.

Scolopax nigra, *Latham. av. V. p.* 153. *n.* 26. *Gmel. syst. III. p.* 659. *n.* 29.

In australibus Rossiae, praesertim circa mare caspium vere transmigrans, nec tamen copiosa, observatur. Adlata mihi quoque fuit e maxime borealibus Sibiriae, circa Ob et Jenisei fluvios. *Gmelinus sen.* ad Lenam observavit, ubi *tschernii Sujok* (Limosam nigram) appellabant. *Stellerus* et *D. D. Merk.* in insulis versus Americam habuerunt eandem; sed ubique rarior avis.

Descr. Magnitudo Glottidis. *Rostrum* longum, extremo lineare, obsoletissime arcuatum, acutiusculum, nigrum, maxilla inferiore basi fulva. *Caput*, praeter albas palpebras, collumque totum exsolete nigri seu fusco-fuliginosi coloris. *Pectus* exsoletius fuliginosum, albo passim varium. *Abdomen* et *crissum* taeniolis albis, transversis, crebris. *Dorsum* fusco-nigricans, plumis albo marginatis. *Alae spuriae* aeneo-nitentes, pennis margine albo-dentatis, ut et *remiges secundariae; primariae* fuscae. *Cauda* aequalis, albo nigroque fasciata, media fusca. *Pedes* livido-fuscescentes, *digitis* rostro brevioribus; plica extertoris lata, interioris nulla. *Pondus* triunciale. *Mensurae* 2″. 2‴. ulnae alarum 6″. caudae 2″. 6‴. tibiarum 2″. 1‴. digiti medii 1″. 4‴.

XLIX. TRYNGAE.

Inter *Tryngas Linnaei* jam supra expunxi species, quae habitu et forma rostri, capitisque mole majore Charadriis sunt simillimae et ad eosdem jure referuntur. Reliquum genus apud eundem eas fere omnes species continet, quas hic sub Tryngarum nomine trado, baevitate rostri tantum a Limosis distinguendas et pedibus a *Phalaropis Brissonii* adhuc magis diversas.

α. Rostro arcuato:

298. TRYNGA *Falcinella.*

T. rostro subarcuato, corpore testaceo-ferrugineo, dorso virescente atro, maculato.

Trynga ferruginea, *Brünnich. ornith. n.* 180.

An Trynga islandica? *Lin. syst. addend. ad. Vol. I. part.* 2. *Edit. XII.*

An Scolopax borealis? *Forster. act. angl. LXII. p.* 411. 431.

Trynga subarquata, *Güldenst. Nov. Com. Petr. vol. XIX. tab.* 19. *p.* 471.

In salsuginosis deserti tatarici et circa mare caspium verno tempore turmatim apparet; et denuo in apricis Dauuriae, circa lacunas salsas frequens mihi observata. Usque ad Maji finem ibi gregaria vagatur deinde vix apparet, unde non nisi in borealibus prolificare videtur, et specimina mihi e plaga arctica omnino adlata fuere. Carnem sapidissimam mensis praebet, nulli congenerum laude cessuram.

Descr. Magnitudo Sturni, proportiones Tryngae, sed forma rostri subarcuata, ut in Limosa fusca, et a basi crassa valde adtenuata, apice superiore longiore, acutiusculo. Membrana inter ramos maxillae usque ad oris rictum nuda, nigra. Halo albus rostri basin cingit, fusco-punctatus. *Vertex* fuscus, apicibus canis; supercilia et cervix ferruginea, rhachibus nigris, apice plumularum cano. *Palpebrae* albae. Collum, pectus, abdomen saturate ferruginea, pectus et abdomen limbis plumarum albidis. *Dorsum* virescente-nigrum, maculis alternis, alaeque spuriae fasciis ferrugineis, apice albae. *Uropygium* fusco, alboque varium. *Alae* basi cinerascente-fuscae, albido subsquamatae, subtus albae. *Tectrices* fuscae (praeter extimas) apice albae, strigam per alas efficiunt. *Remiges* fuscae, omnes rhachi albida, 6 ad 20. exteriore ora, interiusque latius oblique albae, intimae elongatae, linea ferruginea marginatae. *Cauda* aequalis fusca, laterales limbo albae. *Pondus* 2½ unciis plerumque paulo minus. *Mensurae* ad uropygium 6″. 3‴. rostri 1″. 4‴. caudae 1″. 9‴.

expansarum alarum 1'. 2''. 6'''. femorum parte nuda 8'''. tibiae 1''. Digiti medii (cum ungue 2''.) 10½'''. *Glandula* crassa, lunata, supra orbitas, quod non in omnibus congeneribus.

299. TRYNGA *arquatella.*

T. rostro subarcuato, corpore supra fusco gryseoque vario, subtus albido, remigibus secundariis quibusdam albis.

Alouette de Mer? *D'aubent. pict. tab.* 851.

Inter minus frequentes Grallas numeranda, quae tamen in magna regionum distantia observata est, in Ingria et ad Volgam a me ipso, in deserto barabensi ab *Amiciss. R. Falk*, ex insulis Curilis missa a D. D. *Merk*, et in Beringii insula a *Stellero* visa.

Descr. Magnitudo infra Sturnum. *Rostrum* proportione et forma arcuata, ut in T. falcinella, nisi paulo brevius. Corpus *supra* plumis fuscis, margine pallidis (in Curilica ave ferrugineo-luteis); *vertex* fuscidior. *Supercilia* albida. *Gula* alba; *collum jugulum*que cum *pectore* cinerascens (in curilica var. lutescens), fusco striata et guttata. *Remiges* primariae nigrae, rhachibus albis; *secundariae* margine undique albae; *interiores* aliquae albae, saepe cum macula disci fusca. *Uropygium* supra colore dorsi. *Rectrices* fuscae, margine lutescentes, intermediae longiores, subacutae.

β. *Rostro recto.*

300. TRYNGA *pugnax.*

T. pedibus rubris, facie papillosa, rectricibus tribus lateralibus immaculatis.

Avis pugnax Auctorum, *Albin. av. I. tab.* 72. 73.

Rusticola seu Glareola pugnax, *Frisch. av. tab.* 232 *ad* 235. varietates. *tab.* 238. foemina. *Marsil. danub. V. tab.* 24.

Trynga pugnax, *Brisson. orn. V. p.* 240. *tab.* 22. *fig.* 1. Mas; *fig.* 2. femina. *Lin. syst. XII. I. p.* 247. *sp.* 1.

Ruffe, *Penn. Zool. brit. p.* 123. *sp.* 3. *tab. E. Latham. av. V. p.* 159. *n.* 1.

Pa on de mer, *D'aubent. pict. tab.* 305. mas, 306. foemina.

Rossice *Turuchtàn* vel *Truchtàn* vel *Kurochtan*, in Sibiria *Morskoi Petuschok* (marinus Gallus).

Vogulis et Ostiacis *Tuloch;* ad Narym *Koos-Sose* (i. e. dives Trynga).

Samojedis *Noi-pitta* (i. e. ruficucullus).

Tungusis *Nokáky;* Lamutis *Tschekik.*

Coraecis *Tschejéja.*

Camtschadalis *Tschekustawatsch.*

Per omnem Rossiam et Sibiriam in aquosis, maxime borealibus, immo usque ad arcticam plagam, perquam vulgaris est, migrationis tempore etiam in temperatioribus occurrit, sed ibi non prolificat. In Camtschatca raro apparent. Etiam Petropoli tantum vere adsunt, transvolae versus borealiores paludes. Mares tempore oestri pugnantes cucullum arrigunt plumaceum, quem autumno fere amittunt.

Not. Femina colore sordido, haud variabili, defectuque jubae plumaceae circa collum a *mare* differt, ut recte *Brissonius* et alii. Mares coloribus ita ludunt, ut difficile sit duos similes invenire. Praecipuae *Varietates* sunt: quibus cucullus sericeus, violaceo-ater, luteo, albove vel gryseo magis minusve maculatus; quibusve plane niger, vel tandem quibus plane et cum capite albus, vel nullis maculis, vel sparsis; et his quoque corpus gryseo, pallido, nigroque

varium. *Facies* carnosis caruncis papillosa tantum senioribus. *Ventriculus* huic speciei carnosus, majusculus; *oesophagus* aequabilis, carnosus, sed bulbo destitutus.

301. TRYNGA *naevia.*

T. supra fusco nigroque maculata, collo pectoreque cinereo-fusco, luteoque transversim variis.

Cinclus aegocephaloides, brachypterus, *Gmelin. sen* - - *MS.*
Calidris naevia, *Brisson. orn. V. p.* 229. *tab.* 21. *fig.* 1.
Maubêche tachetée, *D'aubent. pict. tab.* 365.

Observatur tantum in borealibus Rossiae et Sibiriae, nec infrequens.

Descr. Foeminae T. pugnacis licet valde similis, distinctissima tamen species et constanter minor; coloribus autem pariter inconstans. *Caput* gryseo-pallidum, fusco-punctatum. *Gula* cinereo-albet. *Collum* subtus, jugulumque transversim subfasciato-varia cinereo, fusco, luteoque; aliis cinerea, fusco luteoque transversim maculata. *Pectus*, *latera* fusco grysea, nigro maculata. *Abdomen, crissum* alba. *Dorsum* plumis intermixtis fuscis, nigrisque, omnibus margine gryseis albidisve. *Remiges* fuscae, primorum extima et interiores rhachi albicantes; *tectrices* secundariae nigrae, apice albae. *Rectrices* subaequales fuscae, laterales albido-marginatae, mediae longiores, apice transversim nigro maculatae. *Rostrum pedesque* proportione, ut in T. pugnace.

302. TRYNGA *ochropus.*

T. pedibus virescentibus, dorso viridante-fusco, albo punctato, abdomine rectricibusque lateralibus albis.

Trynga et Gallinula ochropus vel rhodopus *Auctorum.* 3

Glareola castanea, albo punctata, *Frisch. av. tab.* 239?
Trynga, *Brisson. orn. V. p.* 177. *tab.* 16. *fig.* 1. aucta.
Trynga ocrophus, *Lin. syst. XII. I. p.* 250. *sp.* 13.
Green Sandpiper, *Penn. Zool. brit. p.* 125. *sp.* 9. *tab. E* 2. *fig.* 3. *Zool. arct. II. p.* 475. *n.* 389. *Latham. av. V. p.* 170. *n.* 12.
Becasseau ou Culblanc, *Buffon. orn. VII. p.* 534. *D'aubent. pict. n.* 843.

Rossis *Sujetschik*, nomine generalius pro congeneribus minoribus usitato.

Ostiacis a voce *Polnari* (*).

Per totam Rossiam et Sibiriam circa aquas admodum vulgaris avis, in borealibus praesertim copiosa. Per paria volant; in herbosis praesertim et fruticosis ripis discurrere amant, latitantes et saepe iterantes vocem quae cum rossico, verbo *Potirael!* (amisi) summam lepidamque habet similitudinem. *Stellero* observante etiam in Camtschatca crebra circa mare et flumina versatur.

Descr. Colore et *facie* admodum similis *Limosae Glottidi. Magnitudo* Merulae. *Rostrum* capite longius, tenue, nigrum, basi virescens, apice superiore lineari, subarcuato, paulo longiore. *Lora* in albo spatio fusca; *palpebrae*, *supercilia*, *gula* alba. *Irides* luteo-fuscescentes. *Vertex*, *cervix* fuscescunt, albo striata. *Dorsum* cinerascente-fuscum, punctis albis, plumarum marginalibus. *Subtus* avis alba, collum fusco-striatum, pectoris latera subdoliata. *Alae subtus* exsolete nigrae, strigis transversis albis. *Uropygium* candi-

(*) Tryngae generatim, Lamutis: majores, *Tschoktschongo*, mediae *Tschuika*, minores *Kingaba*; Coraecis *Kai-Tschcjlja*; Camtschadalis *Etschengulgutsch*, occidentalibus *Tschilil*.

dum; *cauda* alba: *rectrices* 4. mediae fascia triplici, proximae duplici, sequentes simplici, extimae immaculatae. *Pedes* cinereo-virescentes. *Pondus* a 3½ ad 4 uncias. *Mensurae* ad uropygium 7″. caudae 2″. 6‴. rostri 1″. 4‴. expansarum alarum 1′. 4″. 0. femorum quatenus nuda 10‴. tibiarum 1″. 3‴. digiti medii 1″. 2‴.

303. TRYNGA *Glareola*. *TAB. LX.*

T. supra caudaque cinerea immaculata, subtus alba, lateribus doliatis, remige prima rhachi nivea.

An Trynga cinerea? *Brünich. orn. n.* 179. *Latham. av. V. p.* 177. *n.* 22.

? Wood-Sandpiper, *Latham. av. V. p.* 172. *n.* 13.

In borealibus Sibiriae et deserto Barabae rarius observatur. Accepi quoque e Camtschatca et insulis versus Americam sitis, a D. D. *Merk.*

Descr. Magnitudo et facies T. ochropodis; *supra* tota cano-cinerea, immaculata. *Lora* fusca, linea alba a vertice distincta. *Subtus* alba, gula immaculata, *collo* punctato, *jugulo lateribus*que nigricante transverse fasciolatis. *Cauda* longiuscula, aequalis, tota cano-cinerea. *Remiges* fuscae, *rhachi* primae *nivea.* (Orientalis varietas subtus latioribus fasciis, ut praesertim ad latera plus nigri, quam albi appareat. *Gula* etiam punctata). — *Pedes* lividi. *Mensura* a basi rostri, ad urop. 6″. rostri 1″. 6‴. caudae 2″. 7‴. ulnae alarum caudam paulo excedentis 6″. 5‴.

Not. Synonymum *Lathami* incertum an huc, vel ad sequentem speciem pertinet.



Trynga Glareola. P.

304. TRYNGA *Guinetta.*

T. pedibus virescentibus, collo punctato, dorso cinereo fusco-maculato, pectore uropygioque albis.

? Trynga Guinetta, *Brisson. orn. V. p.* 183. *tab.* 16. *fig.* 2.

Petité Alouette de mer, *D'aubent. pict. tab.* 850.

? Trynga hypoleucos, *Lin. syst. XII. I. p.* 250. *sp.* 14.

In aquosis Rossiae et Sibiriae citerioris apricis passim observabilis, sed partior praecedente.

Descr. Magnitudo fere praecedentis, sed pedes proportione, ut in Calidri. *Rostrum* nigrum, extremo tenuissimum, apice superiore subulato, subcurvulo. *Caput* et *cervix* cana, lineolis fuscis; *gula* alba; *collum* usque ad pectus punctis nigris guttatum; *latera* notis sagittatis, medium *pectus* et *abdomen*, *uropygium*que usque ad scapulas candida. *Dorsum* cinereum, maculis disci plumarum nigris; *alae spuriae* fasciis sagittatis. *Remiges* fuscae, interius canescentes, *rhachi* primae *nivea;* secundariae albo marginatae. *Rectrices* utrinque tres laterales albae, exterius linea margini parallela fusca, reliquae nigro fasciatae, mediae cinerascentes. *Pondus* unciae sesquitertiae. *Mensura* ad urop. 7″. 3‴. rostri 1″. 7‴. caudae 2″. 1‴. alarum expansarum 1′. 4″. 4‴. ulnae 5″. 4‴. femorum quousque nuda 1″. 4‴. tibiarum 2″. 1‴. digiti medii 1″. 2‴.

305. TRYNGA *littorea.*

T. pedibus virescentibus, dorso fusco, luteo punctato, pectore, superciliis uropygioque albo.

Totanus cinereus, *Brisson. orn. V. p.* 203. *tab.* 17. *fig.* 2.

Trynga littorea, *Lin. syst. XII. p.* 251. *sp.* 17. *Faun. su. II.* 185.

In montanis Sibiriae, praesertim ad Jeniseam, circa lacus et aquas stagnantes frequens; ad Obum quoque circa Beresovam lecta, at in Rossia australiore non observata, licet inter Ingricas aves subinde occurrit, ubi et prolificat; adpropinquante vero autumno pro abitu congregantur. Mane et vesperi praesertim insecta legit, media die dormitat.

Descr. Moles Sturni. *Rostrum* basi livido-cinereum, extremo nigrum, capite parum longius, rectum, apice laevi, subdeclivi. *Lora* fusca in area punctata alba. *Supercilia*, *gula*que alba; *collum* cinereo-nebulosum. *Dorsum* fusco-nigrum, punctis plumarum marginalibus ferrugineo-luteis, per alas pallidis; postice dorsum albo undulatum, *uropygium* album. *Rectrices* nigro-fasciatae albae. *Subtus* avis alba, praeter collum. *Alae* subtus fusco undulatae; *remiges* nigrae, primae *rhachi alba*, *tectrices* secundariae apice albae, intimae pallido dentatae. *Pedes* proceri, virescentes, plica exterioris insigni. *Pondus* biunciali minus vel subaequale. *Mensura* ad uropygium 6''. rostri 1''. 1'''. caudae 1''. 9'''. alarum expansarum 1'. 1''. 6'''. ulnae 4''. 6'''. femorum quousque nuda 1''. 11'''. tibiarum 1''. 4'''. digiti medii 1''. 2'''.

Not. Perperam *Varietatem* Tr. ochropodis facit *Latham. av. V. p.* 171.

306. TRYNGA *leucoptera.*

T. pedibus lividis, dorso cinereo, lituris sagittatis fuscis, remigibus secundariis plerisque albis.

?Totanus striatus, *Brisson. orn. V. p.* 196. *tab.* 18. *fig.* 1.

?Trynga striata, *Lin. syst. XII. I. p.* 248. *sp.* 5.

Trynga ralloides, *Catal. Vroeg. ad. umbr.* 311.

In Rossia pariter totaque Sibiria temperatiore circa aquas pas-

sim, sed rarior et subsolitaria, per totam aestatem occurrit; eandem ex insula Kadiak Americae vicina misit *D. D. Merk.* In Belgio rarissime observatur. Parvula, sed ex elegantissimis hujus generis.

Descr. Magnitudo Calandrae. *Rostrum* capite vix longius, apice lineari, acutiusculo, basi livescens. *Nares* leviter lunulatae, lamella supera. *Caput* et *cervix* cinerascunt, rhachibus fuscis; *lora* albo inscripta fusca; *gula*, palpebrae anterius, et avicula *subtus* tota nivea; *latera* et *collum* lineolis tenuissimis fuscescentibus; *Jugulum* utrinque fuscescit. *Dorsum* fusco-cinerascens, rhachibus et transversis undulis, plumarum fere terminalibus fuscis; *Humeri* supra dorsi colore, subtus albi, linea nigra longitudinali. *Remiges* 2 ad 10. interius medio albae, sensim latius, 11—20. praeter apicem, imo pleraeque totae albae; intimae 4. dorso concolores: Hinc fascia expansis alis lata alba. *Cauda* rotundata; *rectrices* mediae 4. fusco-cinereae, virescente nitore, gryseo-subdentatae, proximae fusco-fasciatae, extimae utrinque 2. immaculatae albae. *Pedes* breves, virescente-cinerei; *tibiae* rostro, *digiti*que tibiis breviores; exterioris *plica* lata, interioris nulla. *Pondus* unciali paulo majus, rarius ultra sescunciam. *Mensura* ad uropygium 5″. 6‴. rostri 1″. caudae 2″. alarum expansarum 12″. ulnae 4″. tibiarum 10½‴. digiti medii 10″.

307. TRYNGA *canutus*.

T. supra fusca, subtus superciliisque alba, collo guttato, pectore undulato.

Regis Canuti avis *Edward. glean. II. tab.* 276.

Knot, *Willughb. orn. p.* 302. *tab.* 56. *Lightfoot Flor. scot. p.* 34. *tab.* 3. *Latham. av. V. p.* 187.

Le Canut, *Buffon. orn. VIII. p.* 141.

In ripis glareosis Baicalis lacus crebra, alias per Rossiam Sibiriamque mihi vix unquam visa.

Descr. Magnitudo Turdi. *Rostrum* basi lividum, capite paulo longius, crassiusculum, rectum, extremo lineare, convexiusculum, apice superiore longiore subacuto. *Vertex* et *cervix* cinerea; tractus supraciliaris albus, *lora* fusco cinerascentia. *Subtus* alba, et *gula*, reliquum collum fusco-punctatum. *Jugulum*, *lateraque* taeniolis fuscis eleganter undulata, lineolaeque transversae tenuissimae per pectus sparsae. *Dorsum* fuscescenti-cinereum sublucidum. *Alae* fuscidiores; *remiges* primariae nigricantes, *prima rhachi nivea*; subtus vestitrices alae albo-fimbriatae. *Uropygium* cum *cauda* cinereo-canescit; *rectrices* subaequales, longiusculae, uniformes. *Pedes* mediocres, lividi, *plica* exterioris digiti insigni, interioris nulla. *Mensura* rostri 1″. $4\frac{2}{3}$‴. ulnae alarum 6″. caudae 2″. 8‴. femorum partis nudae 6‴. tibiarum 1″. 1‴. digiti medii (cum u. $1\frac{3}{4}$‴.) 1″. 1‴. Haec a Canuto Auctorum aliquantulum differunt.

308. TRYNGA *tridactyla.*

T. pedibus tridactylis, corpore supra fusco, pallido punctato, subtus albo.

Sanderling Cornubiensium, *Albin. av. II. tab.* 74. mala.

Trynga Calidris grysea minor, *Brisson. orn. V. p.* 236. *tab.* 20. *fig.* 2.

Charadrius Calidris, *Lin. syst. XII. I. p.* 255. *sp.* 9.

Sanderling, *Zool. brit. p.* 129. *sp.* 7. *additamenta ad Zool. brit.* 8:*vo tab.* 83. supra *Latham. av. V. p.* 197.

Rossice *Pestschanka.*

Maritima avis, mihi fere solum circa Lacum Baïcal, in ripis

meridionalibus glareosis, visa; ubi, post prolificationem, subgregaria discurrit. Etiam occurrit in littoribus Orientalis Oceani.

Descr. *Magnitudo* fere Sturni, pedesque vix magis proceri. *Rostrum* (veré Tryngae) capite longius, nigrum, apice crassiusculo, convexo, acutiusculo, aliquam cum Charadriis affinitatem subindicans; sed habitus et caput non Charadrii. *Subtus* tota, lateraque *uropygii* alba; *jugulum* cinerascit. *Frons* alba, *lora* cinerea, *vertex* fusco, pallidoque lituratus; cervix albescens, lituris cinereis. *Dorsum* alarumque bases nigricant, pallido punctata. *Uropygium*, *cauda* fusco-nigra. *Remiges primariae* nigricantes, rhachi praesertim primae albicante, interiorique margine omnium; 5 ad 10. basi etiam exterius albescunt; *secundariae* albae, extremitate nigra, albo-marginata; *tectrices* secundariarum apice albae. *Cauda* subaequalis, rectricibus lateralibus albis, fusco-nebulosis. *Pedes* nigri, tridactyli, digitis utrinque *ruga* longitudinali submarginatis, *plica* intermedia nulla; *ungues* acuti, longiusculi, ut Tryngis, non Charadriis. *Mensura* rostri $10\frac{1}{2}'''$. ulnae ularum $4''$. $8'''$. caudae $1''$. $11'''$. femorum partis denudatae $5\frac{1}{2}'''$. tibiarum $10'''$. digiti medii (cum u. $2'''$.) $8'''$.

Not. Quam hic descripsi, et quam ad Cimbriae quoque littora vidi, differt ab ave Belgica, etiam in Ingria observata, quae capite colloque supra cano-albet, supra canescens limbis albis, subtus late candidissima, unde nomine Tryngae albae a me descripta in *Catal. Vroegiani append. ad umbr.* et hanc proprie icones *Brissonii* et *Pennanti* exprimunt. An aetate vel specie differant? alii determinent.

309. TRYNGA *salina.* *TAB. LXI.*

T. corpore supra scolopaceo, subtus albo, collo ferrugineo.

Trynga salina, *Pall. itin. III. append. p.* 700. *n.* 31.

Trynga ruficollis, *Latham. av. V. p.* 183. *n.* 31. *Gmelin. syst. lin. II. p.* 680. *sp.* 22.

Nusquam nisi circa lacus salsos et lacunas sale efflorescentes Dauuriae et deserti Mongolici, parciusque ad Jeniseam mihi observata, ubi per paria in ripis discurrit. Misit illam quoque e Camtschatca et insulis versus Americam sitis *D. D. Merk. Tryngae pusillae* affinis (*Brisson. ornith. V. p.* 222. *tab.* 25. *fig.* 2.), et forte eadem.

Descr. Magnitudo Alaudae seu Cincli, facieque et colore supra eidem simillima. Sed collum a gula ad pectus totum ferrugineum, intensius in masculis. In Camtschaticis, jugulum punctis sagittatis nigris sparsum. *Pondus* unciali paulo majus. *Rostrum* nigrum, capite brevius, e basi crassa adtenuato-lineare, obsolete sulcatum. *Vertex* et cervix ferrugineo nigroque striata; tractus supraciliaris ferrugineo-pallidus. *Jugulum* ferrugineo-nebulosum album, punctis fuscis, in masculo crebrioribus; reliqua subtus alba. Supra color scolopaceus, marginibus plumarum partim gryseis, partim ferrugineis. *Uropygium* fusco-nigrum, limbis plumarum albidis. *Alae* fuscae; *tectrices* apice albae; *remiges* praeter 2—4. rhachibus albae, 6 ad 20. ora exteriore et interiore margine albae. *Cauda* rectricibus 2 mediis longioribus nigris, lateralibus albidis, tessetibus albis. *Pedes* nigri, plica nulla. *Pondus* unciae, interdum cum una alterave drachma. *Coeca* duo semipollicaria. *Mensurae*: ad uropygium 4′. 5‴. caudae 1″. 7¾‴. rostri 8‴. alarum expansarum 11″. ulnae 3″. 8‴. femoris parte nuda 5¼‴. totum 1″. 2½‴. tibiae 8½‴. digiti medii 9¼‴. *Ventriculus* semicarnosus, glaream continens. *Intestinum* 10 pollicum.

310. TRYNGA *Cinclus.* TAB.

T. rostro pedibusque fuscis, corpore supra scolopaceo, subtus albo.

Pluvialis minor, *Marsil. danub. V. tab.* 31.

Cinclus *auctorum* et *Brisson. orn. V. p.* 211. *tab.* 19. *fig.* 1. *D'aubent. pict. n.* 851.

Trynga Cinclus, *Lin. syst. XII. I. p.* 251. *sp.* 18.

Purre, *Pennant. Zool. arct. II. p.* 390. *Latham. av. V. p.* 182.

Rossice *Pessoschnitschek.*

Permecis *Is-tal.* Tungusis *Tokolilly.*

Ubique in Rossia et Sibiria etiam maxime boreali, ad Lenam usque frequens, copiosior autumno, migrationis tempore apparet; attamen prolificat etiam in temperatis.

Descr. Omnium nostratium minima, magnitudine Alaudae. *Rostrum* capite fere brevius, apice crassiusculo, nigrum, basi livido-pallescens. *Nares* lineares, margine tumidulo, in sulco rostri. *Frons* albida, *lora* albo inscripta fusca; *palpebrae* albae. *Corpus* supra fuscum, plumis gryseo-lutescente marginatis. *Uropygium* fuscum, lateribus album. *Subtus* tota alba, collo cinerascente, in quibusdam fusco-punctato. *Alae* nigricantes, remige *prima rhachi alba*: 5 ad 10. margine et interius basi, secundariae apicis sinuati margine albae. *Tectrices* apice albae. *Cauda* longiuscula, rectricibus mediis fuscis, lateralibus tribus albis. *Pedes* livido-flavescentes, plicis inter digitos plane nullis.

311. TRYNGA *Calidris.*

T. pedibus nigris, supra cinerea subtus uropygioque alba, remigibus omnibus rhachi et margine albis.

Calidris grysea? *Brisson. orn: V. p.* 233. *tab.* 21. *fig.* 2.

In Ingriae aquosis non infrequens, rarius in Sibiria observata.

Descr. Magnitudo vix supra T. tridactylam, cui similis. *Rostrum* nigrum, breve, apice crassiusculo. *Vertex* fuscus, cumque cervice cinerea albido-striatus. *Gula* alba. *Dorsum* alarumque *bases* cinerea, plumis lineola fusca, limboque albido marginatis. *Uropygium* et tectrices caudae albo fuscoque fasciatae. *Rectrices* aequales fuscae, albo-marginatae. *Remiges* omnes rhachi et margine, interiusque latius albae. *Pinnae* subalares praelongae albae, basi, humerique nigro punctati. *Pedes* humiles, nigri, postico digito insigni.

L. PHALAROPI.

Genus non admodum numerosum, *rostro* quidem Tryngis simillimum, sed *pedum* digitis lobatis Fulicas referens et optime circumscriptum, constituunt *Phalaropi*, a *Brissonio* recte distincti. *Plumagine* densa, fere anatina, aeque ac pedibus natatui plane destinatae sunt hac aviculae, unde non ripas frequentare, sed vastis lacubus et fluminibus, immo mari innatare solent instar paleae, et admiranda dexteritate in mediis fluctibus, etiam agitatis, ludunt. Omnes sunt arcticae aves, nec ullam hucusque speciem antarcticam novimus.

---

312. PHALAROPUS *ruficollis*. *TAB. LXII.*

P. colli lateribus ferrugineis, corpore subtus albo.

Trynga fusca canadensis, *Edward. av. III. pag. tab.* 143. icon natura paulo major.

Phalaropus cinereus, *Brisson. orn. VI. p.* 16. *D'aubent. pict. tab.* 766.

Trynga hyperborea, *Lin. syst. XII. I. p.* 249. *sp.* 9.

Red Phalarope, *Latham. av. V. in tit. p.* 270. *Pennant. Zool. arct. II. p.* 494. *n.* 413.

Rossice *Plawustschei Kulik* (Trynga natans).

Vere in mari caspio, majoribusque fluviis et lacubus deserti adjacentis, praesertim stagnis Sarpensibus et Kamysch-Samar, copiose apparent, gregatim natantes; Majo ad boream migrant. In Sibiria itidem lacus Barabensium camporum frequentant. Prolificationis tempore per paria natant; exeunte aestate congregantur magnis saepe gregibus et inter natandum capite saepe nictant et pipitum quasi pullorum gallinaceorum edunt. Ad Kovymam fluvium et in Camtschatca observarunt acutiss. *Steller* et *D. D. Merk*, ad Obensem sinum p. m. *Sujef.*

Descr. Magnitudo Tryngae leucopterae. Icon magnitudine naturali *Caput* ut in Tryngis huic generi parvulum; *glandulae* tamen supraciliares adsunt, quae Scolopacibus solemnes. *Rostrum* tenuissimum, acutum, nigrum. *Irides* fuscae (non, ut *Edwardsi* icon habet, rubrae). *Vertex* et *genae* fusco-nigrent. *Gula* et *palpebra* alba. *Colli* latera, inde a temporibus, saturate ferruginea, in femellis fusco-alboque variegata. *Dorsum* nigricans, lituris longitudinalibus lutescentibus. *Alae* nigrae, tectricibus apice albis; unde *strigae* albae per alas; *remiges* rhachi, basique albae, intimae elongatae, al-

bo-marginatae. *Uropygium* longitudinaliter nigret. *Cauda* fusco-cinerascens. *Subtus* avis nivea, plumis consistentiae, ut avibus aquaticis, densis et lanugine suffarctis. *Hypochondria* fusco-liturata. *Pedes* tenelli, coerulescente nigri, non elongati, digitis elegantius fere, quam in Fulica, lobatis. *Pondus* vulgo unciale. *Mensura* ad uropygium 5″. 6‴. rostri 10‴. caudae 1″. 11‴. alarum expansarum 12″. 9‴. ulnae 3″. 11‴. femora quousque nuda 5‴. tibiarum 9‴. digiti medii 9‴.

313. PHALAROPUS *cinerascens.*

P. rostro lineari, collo cinerascente, corpore subtus albo.

Trynga grysea, *Edward. av. I. p. tab.* 46.

Phalaropus, *Brisson. orn. VI. p.* 18. *sp.* 3.

Scolloptoe Sandpiper, *Zool. brit. p.* 126. *sp.* 13. *tab.* E 1. *fig.* 3.

Trynga inferne alba, supra nigra, lituris longitudinalibus flavescentibus, fascia alarum alba, pedibus lobatis, *Lepech. Nov. Com. Petr. XIV. part. I. p.* 501. *tab.* 13. *fig.* 3.

Trynga fusca, *Gmelin. syst. Lin. II. p.* 675. *sp.* 33.

Brown Phalarope, *Penn. Zool. arct. II. p.* 495. *n.* 414. *Latham. av. V. p.* 274. *n.* 4.

Per omnem Sibiriam in fluminibus lacubusque, etiam salsis, tota aestate observatur subsolitaria; autumno in mediis undis gregatim natat, vel certe plures simul, praesertim procellosa tempestate. In Rossia, ubi praecedens abundat, rarius observatur.

Descr. Praecedente vix minor, facie simillima. *Caput* fronte, superciliis, palpebris, gulaque album, vertice opaco nigro, areaque nigra lanceolata per oculum usque ad aurem extensa. *Collum* cinerascens, cervice longitudinaliter nigricante. *Subtus* tota avis al-

ba. *Dorsum* nigrum, marginibus plumarum luteis. *Alae* fascia alba; nempe *remiges* omnes, praeter 5 primores, basi, tectricesque apice albae; remigum rhaches albae, nisi intimarum, quae dorso concolores, elongatae. *Cauda* rotundata, medio nigra, *rectricibus* lateralibus canescentibus, omnibus margine albis. *Pedes* cinerascentes, geniculis et alis digitorum flaventibus; *digiti* semipalmati, laterales interius biloba, exterius angustiore quadriloba, medius tantum interius biloba membrana alatus. *Pondus* plus minus unciale. *Mensura* ad uropygium 4″. 10‴. rostri 10‴. caudae 1″. 9‴. alarum expansarum 12″. ulnae 4″. femorum denudatae partis 4‴. tibiarum 9½‴. digiti medii (cum ung. 1″.) 9‴.

Not. Synonyma hujus et alterius speciei, rostro depresso latiusculo distinctissimae, quam descripsit *Edwards* (*glean. II. tab.* 308.) ad Tryngam lobatam confundit, neque *Brissonium* recte citavit *Linnaeus*.

314. PHALAROPUS *rufus*. *TAB. LXIII.*

P. rostro flavescente, corpore gryseo, subtus rufo.

Gallinula subtus rufa, digitis utrinque pinnatis, *Steller. obs. orn. MS.*

Trynga fulicipeda rubra, *Edward. av. III. p. tab.* 142.

Phalaropus rufescens, *Brisson. orn. VI. p.* 20. *sp.* 4.

Trynga fulicaria, *Lin. syst. XII. I. p.* 249. *sp.* 10.

Red Phalarope, *Latham. av. V. p.* 271. *n.* 1.

In mari glaciali extra Covymae fl. ostia, et circa Camtschatcam, insulasque versus Americam sitas et Curilas frequentem observavit D. D. *Merk*; nec non a *Stellero* memorato. In mediterraneis Sibiriae mihi nunquam visa. Tranquillo mari innatant.

Descr. *Magnitudo* supra praecedentes. *Rostrum* digitale, pallidum, apice ad 1‴. nigro, superiore paulo longiore. *Caput* supra nigrum, ad aures utrinque macula lata candida. *Collum* totum rufum, *cervix* fuscescente admixto. *Dorsum* et *alae spuriae* nigricantia, spadiceo varia. *Subtus* tota avis intense rufa, etiam latera sub alis. *Alae* cauda longiores: *Remiges* rhachibus albis, interiusque versus basin, sensim latescente albedine, ut 17ma tota tandem alba sit; *tectrices* apice albae, strigam per alas efficiunt. *Subtus* alae cinereae, anteriore margine fusco alboque variae. *Cauda* rotundata, fusca. *Pedes* sordide lutescunt: *digiti* lobati, ut praecedentibus sed magis connexi. Mensura a summo rostro ad extremum caudae 9″. 3‴. ulnae alarum 5″. 4″.

β. Inter specimina a D. *Merk* missa duplicem accepi varietatem, *alteram* subtus rufescentem, albo (praesertim in toto pectore) doliatam; *alteram* subtus fere albam, rufo transverse variam: differentia forte sexus vel aetatis.

LI. PHOENICOPTERUS.

Vix ulla avis statura, proportione, inversione et figura rostri, colore et ambigua inter duos ordines naturales natura magis eminet, quam Phoenicopterus, cujus forte unica in omni terrarum orbe exsistit species. Quum calidorum regionum sit progenies, vix usque ad Imperii Rossici confinia perveniunt hae aves, et nobis fere tantum e Caspio mari veniunt.

---

315. PHOENICOPTERUS *roseus.*

P. alis roseis, remigibus nigris.

Phoenicopterus omnium auctorum, *Willughb. orn. p.* 360. *tab.* 60. mala. *Raj. av. p.* 119 *et* 117? *Albin. av. II. tab.* 77. *Seb. thesaur. I. tab.* 67. *fig.* 1. *Catesb. carol. I. tab.* 73. 74. *Brisson. orn. VI. p.* 532. *tab.* 47. *fig.* 1. *D'aubent. pict. tab.* 63. minus bona, proportionibus peccans. *Latham. av. V. p.* 299. *tab.* 93.

Rossice *Krasnaja Gus*;
Kirgisis *Kysil-Kas*; } i. e. Anser ruber.
Calmuccis *Ulàn-Galù*;

Vere et autumno interdum transvolae ad ostia Volgae et Rhymni adpellunt, raro ibi commorantes. Contra vero omni aestate circa Jembae fl. ostium inque vadis et brevibus circa sinus quos ad orientem aestivum format mare Caspium, insulis crebros et desertos, versantur, ibi prolificant, et plumationis tempore impennes obambulant. Dicuntur etiam in maximis lacubus deserti Kirgisici, Araliensi, praesertim et Tscholkanensi copiosi esse. Mihi a Jemba vivi adlati fuerunt, ubi a Cosaccis laqueis capi solent, et copiosos inde sibi adferri curabat *Nobil.* quondam *Paschkof* in cujus Ornithotrophaeo Moscuae cicurati plurimi alebantur. Turmatim humili volatu feruntur, et media aestate amissis plerisque remigibus vix volant. Vocem *Go-go*, simplicem, anserinae subsimilem iterant, etiam volantes. In aqua ambulant, et profundioribus locis natant. Collum in sigmoideos et serpentinos fere flexus contorquent, et rostro instar anatum in aqua ludunt et escam cribrant, sed inverso, ita ut superior maxilla planior sit inferior. *Gressus* lentus, grallatorius, optime vero natant, Cygni fere positura. Vesperi aut aestuante sole sponte aquam

ingrediuntur et immobiles supernatant. Etiam in ripis saepe longa serie stant immoti diu. Vera est *Dampieri* observatio, eos in stagnis marinis vadosis corradere colles sesquipedali altitudine, quorum summitati cavatae imponunt ova vulgo bina, quae colli adstantes pectore fovent. Plumationis tempore etiam epidermis pedum, instar vernationis anguinae, secedit. Calmuccis Phoenicopterus maxime ominosa et detestabilis habetur avis, quandocumque ab iis conspicitur.

Descr. Rostrum extremo nigrum, caeterum, uti pedes, corallino pallidiore rubore tinctum. *Palpebrarum* margines citrini. *Seniores* magis et magis ex albo rubri evadunt; *juniores* corpore albo, levissime rubicundo, alis roseis. *Pulli* vero primo anno gryseo-albidi, fuscescente liturati, fere instar Numenii Arquatae. In iis, quos a Jemba habui, alarum brachia magis rubra corpore, extremis plumarum dilute cinnabarinis. *Tectrices* primariae et *alula* albidiora. *Remiges* primariae 11. secundariae 25. pleraeque, tectricesque subtus, aterrimae; at intimae 8. alam secundariam subaequantes, albae, acutae. *Ala secundaria* majoribus pennis albis, elongatis, subjubata, ut Ardeis, caudam aequat. *Rectrices* latae, subacutae, mediae sensim longiores, omnes amoene rubicundae. *Pondus* descripti erat novem librarum, sed erat aliquot dierum inedia emaciatus.

HYDROPHILAE.

Ultimus et fere numerosissimus Alitum Ordo, et Naturae apprime consentaneus, ideoque unanimo fere Ornithologorum consensu confirmatus est *Avium aquaticarum* seu Hydrophilarum, quae *structura pedum* magis natatui, quam ingressui in sicco solo aptorum conveniunt omnes, pleraeque *palmipedes*, digitis vel tribus, vel omnibus integra membrana cônnexis, paucae lobipedes, ut e Grallarum ordine Fulicae et Phalaropi, diversa tamen aliquantum conformatione. *Rostra* in hoc ordine admodum variant, ut nullus ordinis character inde desumi possit, et quasi reliquos ordines aemulari videntur, ut *Diomedeae* et *Catarractae* Rapaces, *Lari*, *Sternae*, Alcae, *Cepphi* et *Colymbi* Oscines, *Uriae* Pulveratrices, *Lundae* Passeres, et tandem *serratirostria genera* Phoenicopterum et Plateleam inter Grallas referant. Contra in habitu corporis et vitae genere eo magis conveniunt inter se *Hydrophilae*; *habitu*: *collo* longiusculo; *corpore* lato, pingui, subtus pro natatione instar navis convexo, *plumis* densissimis oleosis, humiditatem omnem arcentibus, elasticis, larga lanugine suffarctis, operto; *pedibus* in posticam partem corporis remotioribus, ut gubernaculi instar subremigent; *Cauda* brevi plerisque. *Vitae genus* aquaticum, unde et alimentum fere omnibus, et fere tantum nidos et cubilia in sicco quaerunt; *nuptiae* monogamae; *ova* magna omnibus; *pulli* statim ab ovo natant, lanugine ad eum finem oleosa operti. In polaribus regionibus, ubi maria et aquae dulces hyeme conglaciantur, *migratoriae* omnes, loca petunt ubi temperies mitior et aquae mediterraneae, vel maris sinus non glaciantur, et nutrimentum offerunt, simul corpora lavare permittunt: humido enim gaudent. *Vox* tandem omnibus clamor inconditus, cantus omnino

nullus; indoles mitis, neque in pugnas prona, nisi in statu domestico, ubi angusto spatio mares inclusi plures. — *Anatomice* tandem conveniunt Hydrophilae, *ventriculo* et ingluvie seu oesophago amplissimo, *intestino* amplo, *coecis* duobus insignibus instructo, *cute* crassa, pinguissima, *cranii* et *cerebri* magnitudine multo infra Rapaces, Oscines, Passeres, et omnes fere avium familias.

LII. CYGNI.

Platyrostres aquaticae palmipedes, rostro dentibus lamellosis serrato instructae, simul cum *Mergis* naturalem quidem subdivisionem Hydrophilarum constituunt, sed in unum genus non bene conjunguntur. Nescio quid repugnat etiam ignaro, si *Cygnum* Anatem generico nomine appellaveris, vel *Querquedulam* Anserem cognominare velis. Magis Naturae et rationi consentaneum videbitur, si naturales generis hujus partitiones secutus, nomina cuivis tribui antiqua, consuetudine sancita servaveris, quicquid servilia ingenia in lege methodi, quem unus homo condidit, haesitent.

Cygni, *Anseres*, *Anates*, *Mergi* conveniunt quidem *ore* et *lingua* serratis, *pedibus* palmatis, magis minusve retrorsum remotis, corporis *circum caesura* et *habitu* cuivis obvio, *plumagine* densa elastica, multa lanugine farcta, *moribus*que et toto vitae genere. Est tamen in eorum *rostris*, quoad figuram praesertim, diversitas, est in *habitu*. *Cygnis rostrum* productius, angustum, depressiusculum, basi tantum gibbum; longitudo *colli* insignis, *corpus* grave, *incessus* difficilis, *trachea* in sinu sterni anfractibus flexuosa, victus vegetabilis ex aquae fundo petendus. — *Anseribus*: *rostrum* conoïdeum, robu-

stissimum, praesertim ungue; *pedes* proceriores et gradiendo aptiores in gravi licet corpore, adeoque pro vitae genere inter aquaticum et terrestre ambiguo habitiores; *trachea* simplex nec anfractu, nec labyrintho instructa. — *Anatibus: rostrum* depressum, latiusculum, debile; *pedes* caudae vicini, unde gressus vacillans, ineptus, imo quibusdam plane impeditus; *trachea* in maribus *labyrintho* osseo instructa. — *Mergis* tandem: *rostrum* cylindraceum, lanians, dentibus subulatis instructum, *pedes*, incessus et labyrinthus, ut Anatibus, quibus et vita aquatica et urinatione similes. — Qui hos characteres aequo judicio perpendat, rationem non inveniet, quare *Linnaeus* Mergos peculiare genus fecerit, et conjunxerit in unum Cygnos, Anseres et Anates?

Cygni plerique etiam in temperatis aquosis prolificant et aestatem transigunt, hybernant circa maria australiora, v. gr. Euxinum, Caspium, Araliense et magnos Tatariae magnae meridionalioris lacus. Hyeme et migrationis tempore turmatim congregantur, aestate per paria sporadici vivunt.

316. CYGNUS *Olor.*

C. collo recto, rostro basi flavo, subangulato.

Cygnus ferus *Auctorum, Zool. brit. p.* 149. *sp.* 1. *tab. Q. Edward. av. II. p. et tab.* 150. *fig.* integra.

Whistling Swan, *Pennant. Zool. arct. II. p.* 541. *n.* 469. *Latham. VI. p.* 433. *n.* 1.

Anas Cygnus, *Gmelin. syst. Lin. II. p.* 501. *sp.* 1.

Rossice *Lébed* et a voce cognominatur *Klykuun.*

Tataris *Akosch;* Baschkiris *Jus;* Kirgisis *Ku;* Chivinzis *Kuju;* Bocharo-Persis *Dshuina;* Jacutis *Kubà.*

Morduanis *Loksti;* Permaecis *Dshodscheg;* Votiacis *Jus;* Tsche-

remissis *Joktschu;* Tschuwaschis *Agysch;* Vogulis quibusdam *Joschwoi;* Sosvensibus *Koddü* vel *Kottoen;* Ostiacis ad Ket et Parabel *Tschingi*, Beresoviensibus *Choteng*, Wassuganis *Kytink*, Surgutensibus *Kuttunk.*

Calmuccis et Mongolis *Chong*, femella *Zaeng*, quique capite fulvescit *Schar-tologoitu-chong.*

Tungusis *Gag*, *Uugsch*, *Bagdawki;* Lamutis *Usi.*

Samojedis *Chdroi*; Coibalis *Leje;* Arinzis *Tige.*

Armenis *Kui;* Tangutis *Wschamgo.*

Indis *Ssàraes;* Japonensibus *Figushú.*

Coraecis *Kaitschan.* Jukagiris *Jonútschóra.*

Camtschadalis occidentalibus *Mascham*, aliis *Bischuhysch*, Ukinzis *Kok.*

Aléutis *Koolkik.*

In universa Rossia et Sibiria, in Camtschatcam usque, praesertim in aquosis desertorum Tatariae magnae atque Barabensium camporum, nec non per tranquillos et arundinosos sinus maris Caspii, circa Jembae fluvii praesertim ostium, Olorum maxima est copia. Vere primo, quando ex australioribus versus boream migrant, circa Volgam aliosque majores fluvios et in Bosphoro cimmerio ostiisque fluv. Cuban abundant. Hyemant in Ponto Euxino, australi parte maris Caspii, maritimis maris albi et Archipelagi et irriguis Graeciae, ut et in magnis lacubus Asiae minoris et Tatariae australioris; partim etiam trans Oceanum migrant, praesertim in orientali Sibiria. Imo fere crediderim Rossiae Olores omnes circa mare nigrum et Caspium, Sibiriam ulteriorem autem frequentantes, circa sinus Americae hybernare. *Stellerus* certe, quum in insula Beringii naufragus viveret, trans Oceanum orientalem copiose migrantes vidit. Perhibet idem, dum adventant, illos Camtschatcam tanquam

primum portum salutare et autumno abituros ibidem diu et copiose subsistere; inde vero aestate per omnem orientalem Sibiriam distribuuntur ad educandam prolem, adusque Sinus magnorum fluviorum in arcticum Oceanum effluentium (v. gr. Obensem), non vero ad ipsam maris glacialis oram. Adventant in Camtschatca Majo, abeunt inde sub finem mensis; post medium Augusti redeunt et ad finem Octobris usque commorantur. In Curilis insulis non apparent. — Ad Volgam inferiorem adventant Martio vel Aprili, quamprimum glacies soluta est, redeunt autumno et ad Novembrin usque passim commorantur. Circa meridionalem oram Chersonesi tauricae per totam hyemem gregarii versantur. Etiam in Camtschatca non omnia abeunt sed circa loca Vulcania, calidis aquis scaturientia subsistunt, praesertim circa fluv. Bolschaja, Lacum Curilicum, rivosque Avatscha, Jelofka, Tolpatscha, ubi Potamogeta et Calthae radices pabulum subpeditant. Ubi ex austro veniunt parvis quoque turmis advolant, dein per paria ad nidos disperguntur, fidissimi conjugii exemplum praebentes, in tantum, ut non solum inseparabiles semper vivant, sed conjuge occisa mas, vel foemina superstes, per multos annos circa solitos lacus in viduitate continuare observetur. Lacus praesertim amant multa Ulva et plantis inundatis et submersis squalidos, etiam subamaricantes et foetidulos, quales deserti campi circa Ischimum et Barabenses, habent plurimos. In genere Hippuridis vel Elatines, Potamogetonum, Alismatis et Calthae radicibus pascuntur, quam ultimam ideo Rossi *Lebaeshiekoren* (Cygneam radicem) appellarunt. In Rossia cicurati Olores praesertim vocis causa domestici aluntur, neglecta altera specie, caroque curiosis venduntur, sicubi levi vulnere tactos, vel ala fracta, venatores vivos capiunt. Etenim adulti quoque facile mansuescunt et veré Olor *voce* amoenissime clanga, argento resonanti comparanda, etiam inter volandum saepe

edita, longeque exaudienda poëtarum laudes jure meruit et apud vulgus Rossorum et barbarorum nomine inde distinguitur. Etiam quae de morientis Cygni carmine traduntur, non omni fundamento carent, quandoquidem mortali vulnere tactus Olor, ultimum reddens halitum, similem sonum, aëre e trachea exspirante, profert et

Sic, ubi fata vocant, udis abjectus in herbis,
Ad vada Maeandri concinit albus Olor.

Not. 1. *Varietas* duplex Oloris in Sibiria observatur:

α. *Major*, qualis Europae et Rossiae maritimis esse solet, qui pondere plerumque libras triginta, vel triginta-quinque, rarius quadraginta medicas aequat. Juniores a 26 ad 30 libras pendent. Huic *remiges* 36. *rectrices* 20. *Irides* subfulvae. *Cutis* toto corpore fusca. *Trachea* usque in sterni sinum recta, compressa, hinc teres facta et celebri anfractu flexuosa thoracem demum ingreditur. *Intestinum* 14. pedes fere aequat; *coeca* pedalia. *Vertebrae* colli 23. Hi plerumque candidissimi.

β. *Minor* altera, quinta fere parte longitudinis priori cedens, pondere circiter 16 librarum. *Irides* huic cinerascentes vel pallidae. *Rostrum* forma praecedentis, basi fulvum. *Rectrices* 18. vel 20. *remiges* 34. saepe 32. *Cutis* livido-rubet, quasi frigore exusta. Frontis, verticis, collique plumae apice *fulvescente-aureolae;* latera capitis obsoletius. *Palpebrarum* margines nudi, flavi. (In ejusmodi varietate ad Selengam descripta mensuravi longitudinem a summo rostro ad uropygium 3′. 10″. 0. ad humeros 2′. 5″. 8‴. ad nucham 7″. 5‴. rostri ad frontem 4″. ad angulos oris 3″. 9‴. altitudinem baseos rostri 1″. 9‴. latitudinem extremi 1″. 3½‴. expansas alas 6′. 7″. 0. ulnam alarum 1′. 11″. 3‴. long. caudae 8″. 3‴. tibiae 4″. 1½‴. digiti medii 5″. 6‴.) *Collum* fere longius, rostrumque paulo majus quam in priore. *Tracheae* rami non, ut illius, ampullacei. *Intestini*

longitudo eadem, licet avis minor. Generat *pullos* primo anno cinereos. — *Stellerus* prodidit ad inferiorem Lenam Oloris dari varietatem vix Ansere erythropode majorem, quae multa habeat peculiaria, sed cujus descriptio nusquam in *MS:tis* ejus exstat, et forte de *Ansere hyperboreo* relatio intelligenda, quem Ostiaci quoque *Cygnum mutum* appellant.

Not. 2. Ob magnam Cygnorum copiam lanugo eorum in omni Sibiria, Rossiaque australiore, parum populosa, copiosissime colligi posset. Sed plerumque negligitur et barbari praesertim Cygnos propter carnes tantum occidunt et plumas igne amburunt, ne longius facessant negotium. Capiuntur autem variis laqueis retibusque, ut anseres; magna vero copia in locis desertis, ubi solitudine et victus abundantia securi pennas mutant et abjectis remigibus volare nescii sunt, perticis fustibusque caeduntur. Jacuti dicuntur noctu in lacubus, quos Cygni frequentant, accenso subitaneo igne allectos occidere. In genere Cygni spontanei pinguissimi, et juniores praesertim delicatas pro mensis carnes praebent.

317. CYGNUS *sibilus*.

C. collo flexuoso, rostro coccineo, baseos tubere lorisque nigris.

Cygnus mansuetus Auctorum, *Zool. brit. pag.* 149. *sp.* 2. *tab.* Q.

Cygnus, *Frisch. av. tab.* 152. *Edward. av. II. p. et tab.* 150. Caput.

Mute Swan, *Penn. Zool. arct. II. p.* 543. *n.* 470. *Latham. av. VI. p.* 436. *n.* 2.

Anas Olor, *Gmelin. syst. Lin. II. p.* 501. *sp.* 2.

Rossice a stridore, quem pro voce edit *Schipûn.*

Calmuccis *Surkurà.*

In Rossia frequentius, in Sibiria rarius occurrit, in genere minus copiosus praecedente, et tardius adventans, unde videtur australiores regiones praeferre, neque boream petere. Saltim in arcticis Sibiriae plagis ignoratur. Caeterum mores et vitae genus omnino Oloris.

Not. Mirum in tam tritis hodienum laborare Zoologiam et de Cygni specie duplici europaea diu dubitatum fuisse. *Cygnus mansuetus* dictus seu *sibilus*, non minus spontaneus vivit, nec quisquam, qui vel eminus natantem illum cum *Olore* comparaverit, illum pro varietate habebit. Olores maximos aequat; natat pulcherrime flexo (in sigmoidem formam) collo, nutante capite quasi superbiens; quum contra *Olor* collo recto, caput ad angulum rectum horizontale sustineat. *Cygnus* sibilum pro *voce* edit. *Trachea* illi non adeo anfractuosa, ut Olori. Cygnus semper candidissimus, solo vertice pallescente, canoque subargentato, capite paulo breviore. Plumae verticis illi rigidiusculae, elongatae, extremis quasi setosis, rudiusculis, nitidis; at in *Olore* molles brevesque plumulae. Maximum discrimen in conformatione et colore *rostri*: in *Olore* rostrum depressum, extremo latius, ungue latiore, acie crenulato, dorso inter nares angusto jugo subangulato, basi nuda, flavissima, ad frontem plana, tuberculoque utrinque subangulata; *loro* nudo, usque ad palpebras flavas, flavescente. In *Cygno* contra *rostrum* paulo latius, coccineo-rubrum, ungue et membrana nares perficiente, mandibulae item basi et membrana inter ramos nigris; *tuber* magnum, carnosum, ovatum, nigrum, rostri basi a fronte imminet. *Cera*, vel area nuda inter oculos et rostrum, magna, triangularis, cum palpebris nigra. Maxilla superior in Olore mobilior, totaque rostri basis debilior: *nares* apice propiores. *Mensurae* rostri, imo capitis, tantum inter se diffe-

runt, ut ex iis solis nemo conjungendas species suaserit; quas hic referre longum foret: *Pulli* Cygnei primo anno gryseo-albidi.

LIII. ANSERES.

Genus Anserinum a Cygnis et Anatibus vitae genere differt, et licet aquas frequentet et natatione delectetur, praecipuum tamen alimentum in sicco, ex herbis et graminibus tenerioribus quaerit. Ideo, et rostro robustissimo, ad morsum exacuato, et pedibus gradiendo aptioribus, magis in aequilibrio positis, instructae sunt Anseres. Amant ideo loca herbis luxuriantia et simul aquosa, et maxime regiones boreales, ubi herbae teneriores et succulentae per totam aestatem suppetunt, et ubi simul in vastis paludibus et ericetis solitudinem exoptatam, pro educanda securius prole, et permutandis plumis inveniunt, minore simul numero avium rapacium periculum minitante. Quandoquidem vero regiones illae boreales hyeme sunt inhospitae, omnes Anserum species quotannis secundum strictam legem migrant, non, uti Grues, Ciconiae, Ardeae et Scolopaces atque Anates plures, versus meridiem, ubi pabulum vegetabile illis gratum non suppetere videtur, sed verosimillime versus Americae septentrionalis situs temperatiores, magnis lacubus et maris sinubus occupatos et hyeme mitiore gaudentes. Constanti enim observatione confirmatum est, Anseres feros abeuntes e Rossia et citeriore Sibiria versus occidentem aestivum, e Sibiria vero ulteriore, versus orientem aestivum et hybernum tendere; et licet vere in australibus prius appareant, id tamen fit propter hanc solummodo rationem, quod aquae ibi citius a glacie solutae, et vegetatio promptior est, unde ex trans-

marinis sitibus primum adventantes ad illas regiones statim iter continuant, ubi aquas fluidas et viridantem terram ex alto speculantur, indeque calefacto etiam borealiore climate, illuc sensim recedunt, et fallacia quadam, ab austro ad septentrionem migrare videntur. Et licet autumno, post educatam progeniem et refectas plumas, frigescente jam arcto, iterum versus meridionaliores latitudines sensim concedant aliquae, tamen, immo pleraeque, et ultimo omnes, ingruente hyeme, solita, licet longa via, trans mare tendunt. Aliquae vero species, ut A. nivalis, *hyperboreus*, *Bernicla*, *Canadensis*, regiones temperatiores plane non salutare solent, sed eadem via, qua vere ex America veniunt, autumno eodem revertuntur; et hac quidem Americae ita sunt propriae, ut tantum in orientali Sibiria aestiva propter vicinitatem ejus terrae quaerant, in Europa vero, ob majora maris intervalla vix unquam sponte apparent. Unica forte exceptio ab illa migrationis lege est *Anser cygnoides*, qui videtur hyberna in australibus orientalis Asiae habere, neque ad septentrionem ita longe excurrit, ac reliquae species omnes, nec observatur gregarius, ut illae, tempore adventus et post educatam prolem, esse solent.

318. ANSER *cygnoides*. *TAB. LXIV.*

A. rostro basi elato nigro, annulo albo plumaceo cincto, fascia cervicali ferrugineo - fusca.

Anser cygnoides macro melanorhynchos, ruga rostri cutacea transversali nigra, fimbria frontis alba, ductu cervicali spadiceo fusco, *Messerschm. Hodeget. MS. et X:en Isid. Sibir. MS.*

Anser melano - platyrhynchos fuscus, collo fasciato, *Steller. obs. MS.*



Anser cygnoides ferus. P.

F. Lehmann sc.

β. Domesticus: Anser chinensis *Frisch. av. t.* 153. rostro nigro et *t.* 154. rostro rubro. *Albin. av. II. p.* 83. *tab.* 91. 92.
Anser guineensis, *Buffon. orn. IX. p.* 72. *tab.* 3. *D'aubent. pict. n.* 374.

Rossis transbaïcalensibus *Suchonos* (macri-rostra); domestica ubique dicitur *Kitaiskoi Gus* (Anser chinensis)

Mongolis *Chongór-Gàlun* (Cygneus anser), domesticus *Mangut-Galù* (daemonius anser vel Anser Spectrum.)

In Sibiria praesertim circa Lacum Baicales, et in regionibus ultra eum sitis, interdum etiam lacu Telezkoi et parvis versus Obum defluentibus fluviis montium Altaïcarum, v. gr. *Tscharysch* et *Kokusun*, observatur.. Specimina sub oculis habui e Curilis insulis et e Camtschatca missa. Julio in Baïcale lacu cum pullis natantem observavi. Primo vere ex austro advolat, inque lacubus istis tota aestate occurrit, ubi cum pullis, tempestuosis licet undis innatare gaudet. Videtur in China vel circa Japoniam hybernare et sine dubio Anseri Cygnoidi domestico per omnem australiorem Asiam, usque in Persiam vulgari et inde Rossiam quoque introducto, originem dedit, non tamen sine suspicione hybridae generationis cum Cygno forte mansueto seu sibilo.

Descr. Spontaneae, quam Icone expressi: magnitudo infra domesticas. *Rostrum* nigrum, Cygneo simile, extremitate minus lata, ungue latius convexo, politissimo, margine crenulato. Basis rostri versus frontem adscendens, convexe biangulata, planiuscula, nec in gibbum protuberans, cute subrugosa vestitur; struma gulae nulla. *Margo* plumaceus circa basin maxillae superioris ferrugineo-albus; hinc umbra usque versus oculos et per parotides diffusa testaceo-grysea. Vertex cum *fascia* per cervicem longitudinali testaceo fusca; *collum* album. *Dorsum* cinereo-fuscescens, plumarum limbis

gryseo-albidis squamatum. *Subtus* corpus sordidius album, cinerascente nebulosum; *hypochondria* dorso concoloria, variegata; *crissum*, latera uropygii, tectricesque caudae albissima. *Alae* caudam non aequantes, subtus fuscescente canae: *remiges* 26. fuscae, rhachibus albis, tres extremo angustatae, extima toto exteriore vexillo angusto; *Tectrices* fuscescenti-canae, secundariae margine terminali albido. *Rectrices* 18. subacutae in cauda rotundata, fuscescentes, mediae apice albae. *Pedes* coccineo rubri, vel e fusco-rufescentes. *Pondus* librar. rossic. octo vel ultra. *Mensurae* ab apice rostri ad uropygium 2 ped. 1 poll. a summo rostro ad humeros 1'. 2". 3‴. caudae 5". 6‴. rostri ad plumas frontis 2". 9‴. alarum expansio 4'. 4". 9‴. ulna 1'. 8". 9‴. femorum 4". 4‴. pars nuda 9‴. tibiarum 2". 11. digiti medii (cum ungue 5‴.) 3".

β. Varietas domestica, saepe decem libras superans, colore saepe spontaneae, saepius niveo, in Rossiae australibus e Persia advena, et in Sibiriae transbaïcalensibus regionibus e China adlata, copiose nunc colitur. Major et ponderosior semper spontaneo et Ansere vulgari, quocum sponte copulatur et prolem hybridam grandem gignit, matri similiorem, gressu tardam, rostro subtuberoso rubro vel seminigro, ipsam quoque foecundam generosam, pugnacem, quae Rossis, praesertim Tulensibus in certamina ludicra adhibetur, singulo mari addita foemina, quae pone pugnantem adstans, collum dorso maris imponere et voce illum excitare solet. Cygnoides verus domesticus, praesertim seniores mares, admodum difformes *tubere* rostri subfrontali subglobosa, *paleari* gulae pendulo cutaceo, *plica* saepe alvi pendula, *cauda* surrecta. Qui albo sunt colore rostrum pedesque fulvo rubra habent, qui colore spontanei, nigra. In Gilano Persiae dicuntur plus una vice per aestatem pullos educare.

Not. Anserem ferum fuscum, collo binis albis fasciis ab auribus ad humeros exornata, Rossornm *Bjeloscheiek* (albicollem) distinguit *Stellerus*, magnitudine Ansere vulgari aequalem et facile (ut ait) dignoscendam. Datur tantum in Camtschatca secundum sinus Penshinensis littus, in lacubus Curilico et Bolscherezkiensi, ubi quotannis prolem educant, raro circa fluvium Camtschatca, in borealioribus visuntur. Antumat *Stellerus* hos anseres e Japonensibus insulis adventare. Sed nescio annon cum Ansere cygnoide sit conconjungenda species, quam circa Baïcalem vulgarem, tantum brevibus verbis indicat idem et a Chinensi domestico distinguit.

319. ANSER *grandis.*

A. rostro nigro basi fulvo, pedibus coccineis, corpore fusco, subtus albido.

Anser ferus maximus, *Gmelin. obs. MS.*

Anser ferus fuscus maximus, *Steller. obs. MS.*

Anas grandis, *Gmelin. syst. III. p.* 504. *n.* 53. *Latham. av. VI. p.* 446. *Penn. Zool. arct. II. p.* 570.

Rossis in Sibiria *Gummenik bolschoi*, *Dolgosheiek* (i. e. longicollis).

Camtschadalis *Hyeschuhysch* vel *Hyet.*

Mihi nunquam visam speciem e fide et posthumis adnotationibus *Gmelini senioris* et *Stelleri* propono. Tantum ad Lenam et, e posterioris observatione, per Camtschatcam et circa Anadyr fluv. quotannis adventat et proli educandae per aestatem vacat. Est haec cautissima omnium.

Descr. „*Pondere* et mole plus quam dupla est Anseris vulga„ris, (a quo distinctissimus) libras 25. imo 30 saepe aequans. *Ro„strum* quatuor fere uncias longum, nigrum, latitudine pollicis, un-

„gue valde incurvo, et tota extremitate deorsum simum, basi fascia „aurantia cinctum, caetera nigrum. *Caput* anterius ad oculos usque „diluti, *cervix* intensioris fusci coloris. *Gula* et *genae* plerumque „albido-cinerascentes, aliis pallido-flavescentes. *Collum* valde elon„gatum. quibusdam totum, aliis tantum superius album. *Dorsum* „fuscum; *uropygium* fusco-cinerascens, *tectrices* caudae laterales „albae. *Subtus* avis vel lutescente-albida, vel vinaceo-cinerascens. „*Abdomen* candidum. *Remiges* externae quibusdam fuscae, aliis e „nigro-canescentes vel nigrae. *Tectrices* fuscae, sub alis cinereae, „apice albae. *Cauda* interdum tota cinerea, aliis extremo alba. „*Pedes* miniacei, unguibus nigris.„ *Gmelin.*

320. ANSER *vulgaris.*

A. rostro pedibus palpebrisque rubicundis, corpore fusco, subtus cinerascente, fusco doliato.

Anser ferus vulgaris *Auctorum, Marsil. dan. V. p.* 100. *tab.* 48. *Frisch. av. tab.* 155? 157.

Grey-lag-goose, *Pennant. Zool. brit. II. n.* 266. *Zool. arct. p.* 546. *n.* 473. *Latham. av. VI. p.* 459.

Oye sauvage, *Buffon. orn. IX. p* 30. *tab.* 2. *D'aubent. pict. n.* 985.

β. Anser domesticus albus, *Frisch. av. tab.* 157.

Rossice *Gûs*, spontanea *Dikii Gûs*; Malorossis *Guska.* Varietas major, rostro pedibusque intensius rubris, ungue albido, palpebrarum margine rubro, saturatius colorata, in Sibiria *Gummenik* i. e. horrea frequentans; (Vogulis *Aslunt*, Ostiacis *Aslont*, Samojedis *Jeptu.*); altera vulgaris *Reschnik*, (fluviatilis) Vogulis *Jach* vel *Jalunt*, Ostiacis *Jugan-Lont*, Samojedis *Tschuik.*

Tataris *Kâs*. Tschuvaschis *Chor*, *Chur*.

Morduanis *Mazi*; Tscheremissis *Kamba*; Votiacis *Sschadschek*; Vogulis *Lunda*; Ostiacis *Lont*, Pumpocolieusibus *Cham*; Inbazkiensibus *Tem*.

Assanis et Kotovzis *Schâme*; Arinzis *Sam*.

Mongolis *Galù*. Calmuccis *Galùn*.

Samojedis ad Jeniseam *Jettu* vel *Djotto*, ad Ketam *Toeku*; Camaschinzis *Taschu*; Caragassis *Ghai*; Coibalis *Taose*

Tungusis *Nungnáki*; Lamutis *Arbas*. Jukagiris *Landzcha*.

Coraecis *Heitoait*. Camtschadalis *Ksúde*.

Curilis *Kuitup*. Japonensibus *Gan*.

Per omnem Rossiam, praecipue vero Sibiriam trans-uralensem totam copiosissimi, primo vere gregibus saepe centenariis advolant ab occidente aestivo, in Rossia, ab oriente in Sibiria orientali, aciem in cuneum seu lambdoideam figuram instruentes; Primum in temperatiores latitudines descendunt, ubi caespes jam viret donec ve in borealibus consistat. Dein aliqui in temperatis, minus populosis, aquosis consistunt, maxima vero turba septentrionales plagas petunt, unde prole et plumatione perfecta autumno redeunt, australiora prata et arva depascuntur, in cultioribus regionibus magnum saepe damnum agris inferentes et tandem, ingruente hyeme, collectis agminibus abeunt. *Vere* antequam per paria sparguntur, mares pro foeminio pugnant. Plerumque mane in pascua evolant, circa meridiem aquas petunt; hinc denuo redeunt ad pascua, pernoctant in lacubus et paludibus. Pleraeque, dum plumas mutant, remigibus fere omnibus simul amissis, impennes fere fiunt, ita ut fustibus occidi possint; unde tunc solitudinem maxime quaerunt, nec ab aquis longe recedunt. Pascuntur Equisetis, Hippuride, Caltha, Polygonis, multisque aliis herbis et graminibus molliqribus. Hybernant aliquae

circa mare caspium et nigrum, inque arundinetis et lacubus australioribus deserti tatarici. Plurimae vero et Europa et citeriore Sibiria versus occidentem, ex orientali Sibiria versus orientem Americae temperatioris magnos lacus et sinus repetunt; inter Insulas versus Americam sitas saepe a Camtschatca magno agmine migrantes et Americae littora legentes a navigatoribus visae. — *Domestici* per omne Imperium Ruthenum copiose et sine magna cura aluntur et variant colore albo, saepe guttis fuscis adsperso, et topho interdum plumaceo nuchae. Hyeme tamen in borealibus, ob rigidum gelu, loco tepido foveri debent. Celeberrimi Anseres et maximi e regione urbis Arsamàs, ubi mole nobilissimi, praesertim e stirpe *hybrida* (A. cygnoidis cum vulgari capitolina ave) aluntur. Hae incessu, pugnacitate, sono vocis et magnitudine Cygnoidi domesticae proximi, sed articulatione vocis interrupta, rostro basi crasso, nec tamen gibbo, colore plerumpue (nisi in junioribus) albo ad domesticos vulgares accedunt. Tales Tulae, Moscuae et Petropoli ad edendas in spectaculum pugnas praecipue deferuntur. Seliguntur ad hoc animosissimi mares et robustissimi et associantur singuli foeminis duabus, quas sibi amatas ipsi selegerunt. Curiosis horum certaminum caro valde pretio tales emuntur et venduntur. Pugnas marium instituunt admissis ab utraque parte foeminis, quae mares excident in pugnam gannitu et adulatione, imo incensa pugna pone marem adstant, colloque dorso ejus imposito voce pugnantem instigant. Anserum ferorum pulli facile cicurantur, passimque inter domesticos aluntur. Capiuntur feri in Sibiriae aquosis autumno, retibus magnis inter lacus et pascua ab arboribus suspensis, locis praesertim ubi transvolare consuerunt (vid. *Itinerar* nostri *vol. II. p.* - -). Pondus eorum vulgo ab 8. ad 10 libras med. aequare solet. In depressis inundationi obnoxiis circa inferiorem Volgam Anseres non humi, ut ple-

rumque alibi, sed instinctu quodam supra salices et populos humiles condunt nidos, ne exundante postea fluminis aqua submergantur.

Not. Anser ferus a *Frischio* (*tab.* 155.) delineatus, convenit cum specie, quam *amiciss. Pennant* sub nomine *Bean-goose*, a majori vulgari distinguit; cui rostrum nigrum, macula versus unguem transversa coccinea, irides pedesque rubri, quaeque in Anglia non nidulatur. Eandem delineavit *D'aubenton* (pictur. n. 985.). Hanc inter nostrates nec ego, nec praecessores observarunt. Vulgaris spontanei Anseris mares distinguuntur maculis doliatis nigris pectoris, et magnitudine eminentiore.

321. ANSER *erythropus.*

A. rostro pedibusque rubris, corpore fusco, fronte alba.

Anser ridibundus, *Edward. av. II. p. et tab.* 153.

Anser albifrons, *Penn. Zool. brit. p.* 150. *tab.* Q1. *Zool. arct. II. p.* 548. *n.* 476. *n.* 22.

Anas erythropus, *Lin. syst. XII. I. p.* 197. *sp.* 11.

Rossice *Kasarka*, in Sibiria remotiore *Tschugaika*. Malorossis *Garkavyi Gus* batbus Anser.

Jacutis a voce inter volandum exaudienda *Lüglüja*, itemque *Chan-chalàs.* Baschkiris *Kara-kas.*

Mongolis *Atschin.* Calmuccis *Schoschinar-Galim.* Tungusis *Ilaegli;* Lamutis *Karkalu.*

Vogulis *Laek.* Ostiacis ad Surgut et Irtin *Kirri-sem* (i. e. oculus acipenserinus) et *Ai-Lont* (i. e. parvus Anser).

Samojedis *Singeree.*


Camtschadalis *Keiresch* vel *Kèresid.*

Martio mense secundum Septentrionem advolantes versus tepidas regiones australiores primum declinant, fluviorum maxime tra-

ctus secutae, tumque der omnem australiorem Rossiam et Sibiriam ad Majum usque copiosae et gregariae vagantur, sensim versus frigidiores situs migrantes. Astrachaniae jam fine Februarii transmigrant, in Persia tamen nunquam observatae (*Gmelin. jun. itiner. III. p.* 37.). Adulto vere, rupta ubique glacie, omnes in maxima borealia loca secundum majora flumina abeunt, ubi clima et solitudo frigidarum paludum proli educandae favent. Septembri redeunt cum prole et ad hyemem usque in temperatioribus pastae, tandem in transmarina loca fugiunt, via, ut frequens observatio docuit, per Rossiam ad Occidentem aestivum directa, in Sibiria ad Orientem. In Ingria vix unquam capitur, quia non considet, licet copiose transmigrans audiatur. Sunt in cibo deliciosae.

Descr. Ansere vulgari plus dimidio minor. *Rostrum* pallide rubicundum, ungue albidiore. *Frons* late alba, ora fusca. *Caput, collum,* fusco-cinerea, supra obscurius. *Jugulum* cinereum plumarum margine exsoleto nitidoque subsquamatnm. *Pectus* albidum, maculis transversis nigris. *Latera* fusco-cinerea, subsqamata. *Uropygium* nigricat, *crissum* album. *Dorsum* fuscum, gryseoque squamatum. *Alae* extus coerulescenti-cinereae; *tectrices* secundariae margine terminali albo; *remiges* secundariae atrae quasi speculum efficiunt. *Cauda* fusca, albo marginata, rectricum 16. *Pedes* rubri. *Pondus* 4 librarum. *Mensura* a summo rostro ad uropygium 12″. expansarum alarum quadripedalis; ulnae alarum 15″. caudae 4″. 5‴.

β. *Varietas* vel junior, ni fallor, proles autumno simul adventat: simillima, *rostri* ungue et carina nigra; *capite* colloque magis fuscis; *ventre* immaculato, tantum cinereo-nebuloso; *fronte concolore* vel exiguo tantum margine albido rostrum cingente; *pedibus* obsoletissime sordideque e fusco-rubris, diversa. *Alae* huic tantillo longiores, licet ipsa fere minor.



Anser hyperboreus.

Not. Stellerus in *observ. MS^tis* germanico idiomate scriptis distinguit: *Anserem* ferum fuscum *minorem*, pedibus luteis, et *Anserem* ferum fuscum *minorem*, ventre squamatim variegato. Anne supra memoratam varietatem voluit? Mihi semper apud nos unica species visa est. Posteriorem dicit praesertim a Lena usque in Camtschatcam frequentem esse, priorem in Rossia aeque ac Sibiria vulgarem.

322. ANSER *hyperboreus. TAB. LXV.*

A. rostro pedibusque rubris, corpore albo, rectricibus primoribus nigris.

Anser grandinis, *Schwenkfeld. siles. p.* 213. *Klein. av. p.* 130. *n.* 11. *Brisson. orn. V. p.* 288. *n.* 10.

Anser ferus albus, *Gmelin. sen. obs. MS.*

Anser ferus candidus Lenensis, *Steller. obs. MS.*

Anser hyperporeus, *Pall. Spicil. Zool. VI. p.* 20.

Anas nivalis, *Forster. act. angl. LXII. p.* 413. 433. *Latham. av. VI. p.* 445. *n.* 10. *Penn. Zool. arct. II. p.* 549.

Rossice ad Lenam *Bjeloi Gús* (albus Anser).

Jacutis *Yurgung - Kás* (eodem significatu).

Ostiacis beresoviensibus *Ungulá - choteng* (i. e. Cygnus elinguis, quia sine ulla voce transvolant, et nunquam ibi consident, sed ultima arctica promontana et Novam terram petunt.

Lamutis *Giltáli.* Juraco - Samojedis *Waràk.*

Camtschadalis *Hynkà;* Ukinzis *Kéischuasch.*

Americanis ad fretum Hudsonis *Wae - wae Forst.*

Cum Brenta ab oriente migrantes in tractu Lenae fluvii copiose apparent vere, indeque soluta glacie, versus arcticas terras, verosimillime illi continentis parti oppositas, nondum exploratas, abeunt.

Circa Janam fluvium maxime abundant, ita ut ibi homines et canes per totam hyemem iis alantur. Rariores dicuntur ad Covymam et Indigirkam esse. Rarissimi apparent in Camtschatca ad Juracorum littus et circa Obensem sinum, ubi extrema promontoria in mare glaciale protensa, ut et Taimurense, colunt. Migrantes sine voce volant. Ad Obum interiorem nunquam fere consident. Ostiaci Cygnum pygmaeum reputant et sic appellant.

Descr. *Magnitudo* infra A. vulgarem. *Rostrum* anserinum ruberrimum, margiuibus maxillarum et macula saepe supra nares utriusque eburneo, crenulato, quibusdam extremo niger. *Palatum* novem denticulorum ordinibus asperatum. *Fraenum* oris e violaceo-rubens. *Irides* fuscae. *Corpus* totum nive candidius, praeter alarum pennas, et frontem lutescentem. *Remiges* viginti octo, primariae nigrae, rhachibus albis; *tectrices* earundem canae ut et rectrices mediae. *Pedes* lateritio-rubri, unguibus nigris quibnsdam cum membranis inter digitos, violaceo rubri, digitis fuscis. *Rectrices* sexdecim. *Pondus* varium, sed ad quinque libras non adscendens in vernalibus. *Mensura* ab extremo rostri ad uropygium 21 pollicum, expansarum alarum 50 pollicum. In junioribus *caput* usque ad oculos fulvescente tinctum, *malae* leviter cinerascunt, *vertex* antice candidus, *occiput* et *cervix* lutescunt. *Gula* quibusdam quasi conspurcata. Pedum *unguis* medius obtusior, rotundatus, interiore margine dilatatus. *Mensurae* a summo rostro ad uropygium 2′. 3′. 6‴. ulnae alarum 1′. 5″. 6‴. rostri ad frontem 2″. 4‴. ad oris angulos 2″. 3‴. caudae 5″. 7‴. tibiae 3″. 1‴. digiti medii (cum uug. 5‴.) 2″. 9‴. externi (c. u. 3½‴.) 2″. 6‴. interioris (c. u. 4½‴.) 2″. 2‴. postici (c. u. 3½‴.) 9‴.

Not. Juniores, si *Forstero* fides, coerulescenti-cinerei, post annum denique nivei evadunt. In terris Hudsoniis, ad Severa fluv.

medio Maji adventant boream versus migrantes, redeunt medio Septembris cum prole, et singulis vicibus duarum Septimanarum moram faciunt. — In Carolina sub nomine: *white Brand*, hybernat et graminum radicibus vivit, maxime ubi adusta prata; teste *Brickel* (*nat. hist. of Carolina*).

323. ANSER *Brenta.*

A corpore fusco, capite colloque nigris, torque maculoso-alba.

Brenthus colymboides, *Gmelin. sen. obs. MS.*

Brenta Auctorum, *Brisson. orn. VI. p.* 304. *tab.* 31. *Albin. av. III. tab.* 93. *Zool. britan. p.* 151. *sp.* 5. *tab. Q. Latham. av. VI. p.* 467. *n.* 27. *Penn. Zool. arct. II. p.* 551. *n.* 478.

Glaucius, *Frisch. av. tab.* 156.

Cravant, *Buffon. orn. IX. p.* 87. *D'aubent. pict. n.* 342.

Rossice ad Lenam et in Camtschatca *Nemok* vel *Nemka* (extranea); Petropoli *Morskoi Gûs* (marinus Anser).

Jacutis *Chardyr-chås* (niger anser).

Lamutis *Karkallù.* Coraecis *Wetschópoal.*

Camtschadalis *Terad.* Curilis *Núkespu.*

In Sibiria ad occidentem Lenae fl. nusquam occurrit, ibi vero quotannis ab oriente ex America advolat, Majo mense, post ruptam in fluvio glaciem, ultra Jacutiam in magis borealia loca demigrans. Frequens circa Oceanum glacialem inter Lenam et Covymam. Videtur iisdem cum A. hyperboreo in regionibus hybernare. In Camtschatca rarius circa boreale promontorium Cronotskoi apparet. Erratica interdum circa mare balthicum et semel Petropoli Julio mense in foro prostantem vidi, in Ingriae maritimis captam.

Not. Nostrates et Sibiriae mihi adlatae ichnographiis auctorum perfecte similes. *Dorsum* aeneo-nigricans. *Torques* alba, in cervice interrupta, versus gulam in ramos subdivisa. *Unguis* medii digiti latiusculus. *Pondus* 3¼ librarum. *Mensura* ad uropygium 1′. 7″. 0. expansarum alarum 3′. 4″. 0. caudae 4″. 2‴. Carnes subinde pisculentae. — Vidi hunc Anserem e Belgio adlatum domesticum in Vivario quondam *Nobiliss. Procopii a Demidof*, ubi sponte propagabatur, quod non ibi faciebat *Bernicla.*

324. ANSER *Bernicla.*

A. corpore coerulescente, capite colloque nigris, facie alba.

Bernicla, *Brisson. orn. VI. p.* 300. *sp.* 14. (exclusis quibusdam synonymis). *Frisch. av. tab.* 189. *Zool. britan. p.* 150. *sp.* 4. *tab. Q. D'aubenton. pict. tab.* 855. *Penn. Zool. arct. II. p.* 552. *Latham. av. VI. p.* 466. *n.* 26.

Rossis borealibus *Tschernaja Kasarka* (nigra Casarca).

In maritimis borealibus circa mare album et ad oram Oceani septentrionalis observata et specimina relata fuerunt a *Cel. Lepechin;* in Sibiria nunquam oblata et plane iguota est.

Not. Berniclam cum Brenta perperam confudit *Linnaeus*, recte specie distinguit *Brissonius.* Forma rostri et habitu nulla magis ad Ans. pulchricollem accedit.

325. ANSER *canadensis.*

A. capite, collo uropygioque atris, macula utrinque parotica alba.

A. canadensis, *Brisson. orn. VI. p.* 272. *Lin. syst. XII. I. p.* 198. *Latham. av. VI. p.* 450. *n.* 14. *Catssb. carol.* 1. *tab.* 92. *Penn. Zool. arct. II. p.* 544. *n.* 471. *D'aubent. pict. n.* 346.

Oye a cravate, *Buffon. orn. IX. p.* 82.

Aleutis *Kamghang*.

In insulis nostris versus Americam sitis, praesertim Unalaschka, non infrequens, unde effarctas adtulit *D. D. Merk*. Nidulatur ibi in scopulis, inter Alcas et Pelecanos; plures transvolae. Quaedam hyemant.

Descr. Magnitudo Ans. pulchricollis. *Rostrum* paulo longius, sed minor quam in A. vulgari coerulescente-nigrum. *Caput* totum et *collum* aterrima; colli nigredo infra linea alba terminatur. *Palpebra* inferior alba. *Macula* utrinque *parotica*, ovalis, angulata, versus tempora extensa, alba. *Dorsum* fuscum, marginibus gryseis; *latera* fusco-cinerascentia. *Jugulum* et *pectus* gryseo-albida, oris plumarum albidis. *Venter* et *crissum* nivea; *uropygium* atrum, sed tectrices caudae albae. *Alae*, caudam subaequantes, extus dorso concolores. *Remiges* primariae nigrae, priores 2. longissimae, secundariae exterius cinerascentes. *Cauda* rotundata, rectricibus 16. atris. *Pedes* nigri. *Pondus* librarum ross. 4 cum dimidia. *Mensura* ab apice rostri ad uropygium 1'. 7". 0. rostri 1". 6'''. caudae 4". 9'''. ulnae alarum 1'. 3". 6'''.

326. ANSER *rufi-collis*. *TAB. LXVII.*

A. niger, ventre genisque albis, collo subtus juguloque et area temporali ferrugineis, albo marginatis.

Anser peregrinus, Meppelgans, *Frisch. av. suppl. tab.* 157. *b.*
Anser rufi-collis, *Pall. Spicil. Zool. VI. p.* 21. *tab.* 4.
Casarka minor, *Lepechin. itin. II. append. p.* 298. *tab.* 5.
Anas torquata, *Gmelin. jun. itin. II. p.* 180. *tab. XIV.*
Redbreasted Goose, *Penn. Zool. arct. II. p.* 571. *Latham. av. VI. p.* 455. *n.* 17.

Rossis ad Obum *Tschakwoi*, ut et Ostiacis a voce hoc nomen exacte exprimente; etiam Morskaja - Casarca, quod in paludibus Oceano vicinis praesertim versatur.

Calmuccis *Sunksur*.

Samojedis *Tschagu*.

In maxime borealibus ad Obum fluvium, versus mare glaciale, quotannis copiose nidificat. In reliqua Sibiria rarior nisi tempore migrationis vernalis, ex Oriente vel occasu hyberno advolans. Astrachaniae, sub finem Februarii et initio Martii, cum *Ans. erythropode* copiose adventat, cito transvolans; Majo mense, quum in septentrione aquae solvuntur, revertitur et versus arcton abit. Cautissima. Volat magnis gregibus, nunquam solitaria, phalange in cuneum instructa, vel obliquo ordine ut Ans. erythropus et vulgaris. Inter volandum garriunt, ut A. *Erythropus*, sed propria ipsis voce (*Tschakwoi*), a qua Ostiacis appellantur. A Russis etiam, propterea quod tantum in paludibus mari vicinis prolificat, *Morskaja Kasarka* (Bernicla maritima) vocari solet. Quamprimum ver incalescit, e regione sylvosa vel temperatiore ubi tantisper refugium quaesitant, ad paludosas planities arcticae plagae abeunt, ubi per brevem aestatem proli dant operam, plumas reficinnt, unde sub finem Augusti, primo gelu, denuo in sylvestria redire coguntur, non ultra 58$^{\underline{um}}$ latitudinis gradum, tandemque, nemine observante, quippe diluculo praesertim et noctu migrantes, valedicunt ante confirmatam hyemem. Turmae Anserum ruficollium nunquam nisi apricis locis consident, mirum in modum concordes, ut una circumspectante, omnes capita illuc vertant, unde ictui difficiles. Retibus in aëre suspensis, quas in itinerario descripsi crepusculo, ut aliae Anseres capiuntur et propter pulcritudinem in oppida mittuntur suntque etiam in cibo gratae. Captae intra paucos dies privae fiunt et avena humectata nutriuntur,



2. Anser pictus. P.

E. Lehmann

sed raro ultra primam hyemem vivunt et adpropinquante vere pereunt, unde domesticam speciem reddere nondum successit. Forsan pabuli expetiti defectus, forsan et insitus calor vitam adimunt. Calorem enim sanguinis in vivis thermometro ad 107. gradus Farenh. deprehendi.

Descr. Omnium Anserum minimus et elegantissimus, ni sequentem excipere velis. *Rostrum* proportione et forma fere ut in Brenta, fuscum, unguibus rotundatis, integris. *Nares* oblongae perviae. *Lingua* supra laevis, apice rotundato integra, hinc marginibus retrorsum serratis, spinis sensim majoribus, non usque ad basin, ubi reliquum spatium explet series denticulorum minorum, aequalium; supra basin callus transversus, continuus, dentibus conicis confertis obsitus, pone quem utrinque adstat callus parvus, item echinatus, et demum ante glottidem arcus, dentibus retrorsum sensim minoribus. *Irides* fuscae. Coloris descriptionem dedi in *Spicilegiis*. *Pondus* masculis fere bilibre, foeminis paulo minus. *Mensurae* (e recentibus accuratiores) ab apice rostri ad uropygium 1'. 3". 2'''. caudae 3". 11'''. rostri ad frontem $10\frac{3}{4}$'''. ad oris angulos $11\frac{1}{2}$'''. *Intestinum* quinque pedale cum sesqui pollice; a pyloro 2 ped. 8 poll. distantia sinus, seu *tuber glandulosum* in conduplicatura intestini. Hinc 3". 3'''. ab ano distantia inseruntur *coeca* sexpollicaria, initio tenui, filiformi, extremo sensim fusiformi-dilatata, apice inflexa. *Bilis* insignis, obscure viridissima. *Ventriculus* mole ovi gallinacei.

327. ANSER *pictus*. *TAB. LXVII.*

A. cinereus, albo nigroque doliatus; capite continuaque cervice caudaque albis, pedibus fulvis.

Painted Duck, *Latham. av. VI. p.* 443. *n.* 9. *Cook. it. I. p.* 96. *Gmelin. syst. III. p.* 504. *sp.* 55.

Anas Canagica, *Nov. Act. Petrop. XIII. tab.* 10.

Aleutis *Kamghang*.

In insulis versus Americam extensis frequens, maritima, etiam laqueis capitur. Specimina plurima, elegantissime effarcta, ex orientali navigatione retulit p. m. D. D. *Merck*, e quibus quaedam in Museum Academiae Petropolitanae pervenerunt.

Descr. Magnitudo A. erythropodis et fere habitus. *Rostrum* anserinum, ad frontem livido-pallidum, inter nares nigras rubens, lateribus pallidum, marginibus et maxilla inferiore nigris, ungue albido, nigro marginato. *Irides* saturate coeruleae. *Caput* (praeter gulam fusco lituratam) cum continua cervice candidum. *Collum* subtus fuscum. *Jugulum, dorsum*que et latera cano-coerulescunt, transversis arcubus plumas terminantibus nigro-albis doliata. *Venter* albus obsoletius cinereo undulatus. *Crissum* cum cauda niveum. *Remiges* primores fuscae, rhachi alba reliquae nigrescentes, disco canescente, alboque marginatae, ut et tectrices. *Pedes* fulvi, unguibus nigris. *Pondus* 6 libras excedit. Longitudo a rostro ad sternum 7″. 6‴. ad uropygium 1′. 2″. 0‴.

LIV. ANATES.

Anates, inter serratirostres Aves, quasi levis armaturae milites, imbelles, mites, agiles, lepidae, garrulae, voraces, in venerem pronae, foecundae, omni pleraeque climate contentae, dum aquae non desint; a Cygnis et Anseribus, uti *mole* corporis, ita *habitu*, *rostro* imbelli, depresso, *gressu* vacillante, *plumarum* ornatu

in maribus eminente, *foeminarum* colore ignobili (ut tutius in aprico incubent) solo speculo alari et rostro maribus simili, tandemque anatomice: laxitate et brevitate *tractus intestinalis*, osseo in masculis secessu seu *labyrintho* tracheae et *genitali* singulari conformatione in trochleam contorto, insigni se distinguunt. Aliquae marinae sunt constanter; aliae aquas dulces et mediterraneos lacus praeferunt et hyeme tantum, necessitate coactae maria frequentant; aliae denique in sicco multum versantur, imo nidos in cavernis condunt quare earum foeminae coloribus aeque conspicuae sunt ac mares, quippe in tuto incubantes. Hae ambulant pedibus in aequilibrio positis, gressu elegantiore; istae vacillanti et aliquae, quibus in aqua urinare mos est, postice remotis pedibus plane nequeunt in sicco procedere. Migratio Anatum legibus minus adstricta est, quam Anserum. Hybernant pleraeque, ubi aquae non gelantur, ideoque e borealibus regionibus, saepe non longe, ad australiores recedunt, redeuntque primo vere. Marinae tamen etiam versus Americam migrare videntur, et omnes munitae sunt nobili et mire elastica sub plumis lanugine. Urinantur omnes hae, at minus reliquae, et plane non A. Tadorna, rutila, Querquedulae.

328. ANAS *Cutberti.*

A. rostro nigro, angulis nudis frontalibus productis.

Anser lanuginosus, *Brisson. orn. VI. p.* 494. *tab.* 19. 20.

Eiderduk et Eiderdrake, *Zool. brit. pag.* 152. *sp.* 6. *tab.* Q. opt.

Anas magna nigro-alba, *Edward. av. I. tab.* 98. Mas.

Anas mollissima, *Lin. syst. XII. I. p.* 198. *sp.* 15.

Eiderduck, *Penn. Zool. arct. p.* 553. *n.* 480. *Latham. av. VI. p.* 470.

Rossis ad mare Norvagicum et Album habitantibus *Gagka* et *Gaſka*: in Sibiria boreali *Normóta* (communi cum sequente appellatione).

Datur secundum omnem oram glacialis Oceani arctici, ubicunque littora rupestria et scopulosa; circa Jeniseae et Lenae ostia dicitur insigni numero occurrere. Rarior in mari circa Camtschatcam, cum A. spectabili. Hyeme subinde in glacie fluitante, cum Lutris marinis, ex America advena observatur. In littoribus boreis et maris albi vere advolat et tarde autumno abit. Flumina nunquam subit, sed in scopulis marinis inaccessis nidulatur, inque insularum juniperetis. *Ova* quinque vel sex, sature viridia, anserinis fere paria, quae ab incolis sine lege, simul cum lanugine rapiuntur. Matres orbae usque ad tertios nidos condunt et lanugine sua operiunt. Magis abundat in desertis rupibus Spitsbergae et Terrae novae (*Novaja Semlja*). In Sibiriae ora lanugo nusquam colligitur.

329. ANAS *spectabilis*. *TAB. LXVII.*

A. rostro basi gibbo linea plumosa bipartito, capite versicolore.

Anas capite cano, *Edward. av. II. tab.* 154.

Anas spectabilis, *Lin. syst. XII. I. p.* 195. *sp.* 5.

King-duck, *Penn. Zool. arct. II. p.* 554. *Latham. av. VI. p.* 473. *n.* 30.

Bering Goose, *Penn. arct. Zool. p.* 548. *n.* 475. *Latham. av. VI. p.* 465. *n.* 24. *Gmel. syst. III. p.* 508. *n.* 63.

Rossis circa Mangaseam viventibus *Grebenuschka* (cristatella), ad Ob fl. *Normóta*, ut praecedens.

Samojedis a voce *Worák* vel *Warák*.

Curilis et Camtschadalis *Mitù*.

Littora Oceani glacialis totius frequentat, praesertim copiosa circa promontoria rupestria Jalmal ad ostium sinus Obensis, unde e gulis versicoloribus hujus anatis consutam pelliceam vestem adferri vidi; item circa Lenae ostia. Vere turmatim per Camtschatcam migrant, paucae resides. Tunc pinguissimae, pondere 5 librar. In mari Camtschatico imprimis frequentat Promontoria Olutora, Caraga, Lopatka et insulas Curilas, ubi tantum vere apparent, tumque pinguissimae. Cum glacie fluitante, ut Lutrae marinae, ex America adventat. *Ova* in scopulis, insulisque ponit, et item lanugine operit, cujus teneritudine et elasticitate non inferior praecedenti; imo similem bonitate lanuginem praeberent Anates marinae omnes, praesertim A. nigra, Marila, acuta, Stelleri, glacialis. In mari natantes A. *spectabiles* aegre subvolant, licet insequentibus in scapha jaculatoribus, sed celerrime natant. Si tamen semel e mari se sustulerunt, optime et alte volant. Victitant conchis praesertim marinis.

Descr. Camtschatica *mole* superat Anserem erythropodem. *Rostrum* cygneo simile, ungue intus evidenter striato, ut in Ansere. *Tuber* supra basin rostri compressum, cartilagineum, cum toto rostro coccineum, supra divisum *crista* plumacea nigra, a fronte procurrente. *Fasciola* nigra basin maxillae superioris cingit. *Frons* cana itemque vertex fusco-lituratus; *genae* sub oculis late aeruginosae; at *gula* subtus longitudinaliter albida, *fasciola* bicruri, linguam avis forma referente, atra. *Collum* subtus *jugulum*que flavescunt, *cervix* fusco alboque varia. Reliqua *nigra*, praeter maculam utrinque in uropygio, aream humeralem, humeros subtus, et pinnas subalares *albas*. *Alae* pro mole corporis minusculae: *remiges* 5. interiores deorsum falcatae. *Cauda* acuta; *rectrices* 14. acutae, apice canescentes. *Pedes* lutei, membranis fuscis; *posticus* digitus membrana alatus, ut in Fuligula. *Mensura* avis circiter 1'. 9". 0. Ulnae alarum

10″. caudae 3″. *Foemina* tubere rostri obsoleto, scolopaceo variegata, ut A. Cutberti.

330. ANAS *Stelleri. TAB. LXVIII.*

A. nigra, pectore rufo, capite colloque albis lituris ad frontem et nucham virescente-sericeis, speculo alarum chalybeato.

Anas Stelleri, *Pall. Spicil. VI. p.* 35. (edit. latinae) *tab.* 5! *Latham. syn. VI. p.* 564. *n.* 497.

Western Duck, *Pennant. Zool. arct. II. p.* 564. *n.* 497. *tab.* 23! *Latham. av. V. p.* 532. *n.* 74. *Gmelin. syst. III. p.* 518. *sp.* 80.

Anas Beringii, *Latham. syn. VI. p.* 465. *n.* 24. *Penn. Zool. arct. II. p.* 548. *n.* 475. *Gmelin. syst. II. p.* 508.

In insulis nostris versus Americam sitis, praesertim circa Unalaschka frequens, unde specimina retulit *D. D. Merk.* Vere et autumno solitaria ad Camtschatcae littora, circa Avatscha adpellit-caro dura. Marina, praecedenti affinis et subsimilis colore; praesertim vero foeminae cum praecedentibus duabus magnam habent similitudinem.

Descr. Magnitudo paulo supra Penelopen. *Rostrum* supra coerulescens, ungue nigro, semicylindricum, versus apicem edentulum, utroque laterali margine superioris maxillae prolixo, intus lamellato. *Irides* flavae. *Caput* in adultis, cum *initio colli* album; litura frontis utrinque virescens; oculorum *areola* sericeo-atra, isthmo cohaerens cum *inferiore* parte *colli* chalybeato-atra. *Dorsum* totum, usque ad caudam atrum; *abdomen* et *crissum* atra. *Jugulum* dilute, *pectus* intensius ferrugineum, medio ferrugineo-fuscum. Juguli et corporis *latera* alba, albedine disterminante nigredinem colli et dorsi, a ferrugineo colore. *Macula* orbicularis atra pectoris, ad ipsam alam.

Basis alarum candida: *remiges* primariae fuscae, *secundariae* extus chalybeato-atrae apice albo-marginatae, *speculum* alae efficiunt; *intimae* quatuor deorsum falcatae, longitudinaliter, dimidiato albae et chalybeatae, ut et *alae spuriae* pennae omnes. *Cauda* cuneiformis; *rectrices* 14. nigrae, extima utrinque apice albido notata. *Pedes* coerulescente cinerei, membrana fusca, digito postico alato.

Varietatem, ut puto juniorem, accepi, in qua albedo capitis lateraliter punctis cinerascentibus crebris variegata. *Aliam*, cui caput et collum totum gryseo-fuscoque nebulosum, vertice solo albovariegato, lituris viridibus nullis adhuc conspicuis. — *Foemina* simillima foeminae A. Cutberti. *Corpus supra* totum, cum collo et capite fuscum, plumis omnibus margine gryseis; *subtus* nigricans, ferrugineo squamatum. *Alarum* basis fusca, *speculum* chalybeato-atrum, antice et postice albo-marginatum, et quidem antice a tectricibus albis. *Intimae remiges* minus falcatae quam in masculo, speculi colore, longitudinaliter albo-lituratae. *Mensurae* a summo rostro ad uropygium 1′. 2″. 7‴. rostri 1″. 8‴. ad frontem 1″. 7½‴. ulnae alarum 8′. caudae 3″. 4‴. tibiae 1″. 6‴. digiti antici (cum ung. 3‴.) 2″. postici (cum ung. 2‴.) 8‴.

Not. In *Spicilegiis Zoologicis* absente me impressis, pro *Anate Stelleri* errore inserta fuit Icon Mergi albelli. Unde in versione germanica postea Descriptionem et Iconem *Anatis rufinae* posui; quod hic erat monendum, ne propagaretur error commissus.

331. ANAS *Tadorna.*

A. rostro basi gibbo compresso, corpore albo, ferrugineo nigroque vario.

Tadorna seu Vulpanser Auctorum, *Albin. av. III. tab.* 94. *Marsil. Danub. V. tab.* 51. (cornu contra naturam).

Brisson. orn. VI. p. 344. *tab.* 33. *fig.* 2. foemina. *D'aubent. pict. tab.* 53.

Anas strepera, die Krachtente, *Frisch. av. tab.* 166. (sed perperam rostro nigro).

Shelldrake or Burrough-duk, *Zool. brit. p.* 154. *sp.* 12. *tab.* Q. *Latham. av. VI. p.* 504. *n.* 51.

Anas Tadorna, *Lin. syst. XII. I. p.* 195. *sp.* 4. *Gmelin. itin. II. p.* 185. *tab.* 19.

Rossice ad Volgam et m. Caspium *Pegganka* (variegata) vel *Utka pegganaja*; in Sibiria *Ataika.*

Tataris *It-alla-Khas* (caninus varius Anser), vel *It-Kås* (caninus Anser).

Calmuccis *Chonchotu-alak-nogossün.*

Mongolis *Angatù* et *Alaktù* (maculosus) vel *Zoochor-galù* (varius Anser).

Tungusis *Buntal.*

Frequens circa mare Caspium, lacus salsos et amaros deserti tatarici, camporum Isetensium, Barabensium et Dauuriae apricae. In borealiores regiones non adscendit, nisi casu. Jacutio adlatam vidi tanquam avem ibi rarissimam. Vere ex austro advenit et in temperatis subsistit, lacus dulces haud frequentans, sed maxime Cancro salino et Oniscis natatoriis frequentes. *Nidum* facit in cuniculis deserti aridioris antiquis, vel quos ipsa adaptat, itemque in cavis arborum truncis, unde *pullos* exclusos statim ad lacum vicinum deducit, nec agitata illos deserit, subvolans non prius quam illos in tuto viderit. Augusto congregantur in lacubus, mares voce clanga inter volandum notabiles, et sensim versus austrum abeunt. Volant levissime ob magnam alarum proportionem. Elegantissimo corporis situ

et agilissime incedunt. Cicuratae vocem vix edunt, nec speciem miscent.

Descr. Procerior Boschade, collo graciliore, forma elegantiore. *Rostrum* ruberrimum, extremo latiusculum, resimum, basi versus frontem nuda adsurgens in cristam compressam, cartilagineo-pinguedinosam, semiovalem masculis, feminae vix rugae instar prominulam, rostro concolorem. *Mari*: *Caput collum*que ad medium, cum viridi nitore atra; inferior pars colli nivea, jugulum zona latissima rufo-ferruginea. *Corpus* praeter alas candidissimum, abdominis tractu longitudinali nigro-sublilurato, crissoque lutescente. *Alae spuriae* exterius viridante-atrae, interius albae, partim cano pulveratae undulataeque. *Alae* magnae, basi tota, et tectrices secundariae niveae; *remiges primariae* cum tectricibus nigrae; *secundariae* 11. nitidissimae, viridi, violaceoque variantes, interius albae; *intimae* 3. productiores, longitudinaliter rufae, nigrae albae. *Cauda* aequalis, pennarum 16. alba, fascia terminali nigra, in extimis deficiente. *Pedes* pallide rubri. — *Foemina* paulo minor et obsoletior, fronte et genis albicat, reliquo capite colloque sine nitore nigrescente. Zona prorae obsoletius rufa, in pectore interrupta ob aream pectoris nigram, usque ad jugulum continuatam. *Rectrices* tantum 14. *pedes* flaventiores. — *Pulli* jam adulti Julio, a parentibus admodum diversi. *Magnitudine* Penelopis. *Facies* circa rostrum, palpebrae, *gula* alba. *Caput* supra nigret, cum initio cervicis cano undulato; reliquum colli album, cervice longitudinaliter fuscescente. *Dorsum* nigricans, triangulo albo inter alas; *alae* nigricantes, basi albae, speculo viridante, introrsum testacco-fusco, postice albomarginato. Reliquum corpus album, ferrugine nulla. *Rectrices* 14. intermediae sex apice nigrae. *Rostrum* nigrescens, crista adhuc nulla in neutro sexu. — *Pondus* adultis masculis vulgo trilibre. *Mensu-*

ra ad uropygium 1'. 7''. 6'''. rostri 2''. 1'''. caudae 4''. ulnae alarum 1'. 1''. 2'''. rostri altitudo ad cristam 1''. 5'''. ipsius cristae 5'''. in femina alt. rostri 1''. tibiae 1''. 9½'''. digiti medii (c. u. 5'''.) 2''. 3'''.

332. ANAS *rutila.*

A. rufa, capite humerisque albidis, alis caudaque nigris.

Avis Torpoen dicta, mongolica, *Witsen edit. II. p.* 258.

Vulpanser, *Messerschmid. orn. VI.* 893.

Brenthus rufi coloris, *Gmelin. sen. obs. MS.*

Anas aurantia, *Marsil. danub. V. tab.* 54.

Anas persica, *Frisch. av. tab.* 167. (femina exsoleti coloris).

Anas ferruginea, *Catal. Vroeg. adumbr.* 358.

Anas Casarca (perperam) *Lin. Mantiss. I. p.* 224.

? Anas rufa, rostro pedibusque cinereis, *Lin. Faun. suec. II. p.* 134.

Anas rutila, *Pall. Nov. Com. Petr. XIV. Part. I. p.* 579. *tab.* 22. *fig.* 1. mala.

Anas rubra, *Gmelin. jun. itin. II. p.* 182. *tab.* 15. mala.

Anas Casarca, *Gmelin. syst. Nat. Linn. III. p.* 511. *sp.* 46.

Ruddy Duck, *Latham. av. VI. p.* 456. *sp.* 15.

Rossice ad Volgam et Rhymnum *Krasnaja Utka* (rubra Anas); Cosaccis Tanaënsibus *Karagatka*; Malorossis *Kipúna* et *Ogàr*; in Isetensi regione *Warnawa*; in Sibiria orientali *Krasnoi Turpan* et *Norowoi* (cunicularius).

Mongolis et Calmuccis *Aangir* (a voce).

Tataria *It-Kás* (caninus anser), vel *Aat* (Equus) propter vocem hinnitus similem.

Tungusis *Ngangbà*; Coibalis *Angat.*

Chinensibus *Uanjoe.*

In temperatis totius deserti caspici, tatarici et mongolici, adeoque verosimillime per omnem interiorem Asiam vulgatissima in vicinia fluminum et lacuum. Apud nos primo vere ex austro per paria advolant, nec facile ultra 53 gradum latitudinis adscendunt mas et foemina inseparabiles socii. Nidulantur in antris Marmotarum aliorumve animalium desertis, in cavernis rupestribus, arboribusque excavatis, unde dein *pullos* rostro sublatos ad aquas deportant. *Ova* alba. Autumno e primis, cum prole, versus austrum revertitur. In Sibiria praesertim frequentat aprica ad Jeniseam et ultra Baicalem, ubi inter rupes nidificat. In borealibus nunquam apparet. *Volatus* diuturnus et levis, ut praecedentis; *vox* inter volandum, vel cum considens turbatur, clanga, longe exaudienda, tubarum *Clarinette* dictarum subaemula, unde et propter sacerdotalem colorem gentilibus Mongolis et Calmuccis sacra avis. Incessus elegans, fere galli gallinacei, celer et habilis. Cicuratae nunquam prolificant, licet diu vivant et *ova* interdum pariant. Idque eo magis mirum, quum Anas aegyptiaca (*Brisson. orn. VI. p.* 284. *tab.* 27.), huic quammaxime affinis, habitu, incessu, colore, voce, etiam Moscuae et Petropoli in ornithotrophiis incubet et prolem perficiat. In eo autem cum hac consentit, quod, si alas mutilare neglexeris, autumno ex ornithotrophiis saepe abeat in calidiores regiones; idque saepe factum est in hortis imperialibus Saraevillanis (*Sarskoe Selo*), ubi *Diva* CATHARINA II. *Augusta*, clementia ut erat paene divina, erga bruta quoque et volatilia, avibus exoticis mutilare alas permittere haud solebat.

Descr. Mas a foemina differt magnitudine et pulchritudine eminentiore, et torque circa medium collum nigra, quae plane deest foeminis. *Rostrum pedes*que nigra. *Caput* cum initio colli albet, fronte et genis vix lutescentibus. *Irides* fusco-lutescentes. *Collum*

inferius sensim ferruginescit, subtus inde a gula pallidissime. Inferius cingit *torques* insignis atra, tantum mari, posterius paululum descendens. *Jugulum* et *subcaudales* intense fulvo-rufa; *pectus* et *latera* paulo dilutius; venter subtestaceus. *Dorsum* et alae spuriae pallidiora. Postica dorsi cano fuscoque undulata. *Uropygium* atrum, viridi nitidum. *Remiges* 10. *primariae* nigrae; *secundariae* 11—22. exterius sericeae, viridi violaceoque variantes; *interiores* versus basin oblique albae, subpulveratae. *Intimae* 5. exterius ferrugineae, introrsum albidiores. *Tectrices* supra primariae nigrae, *secundariae* cum tota basi alarum albae. *Incumbentes* apice lutescunt. Inferae tectrices primariae albae, apice nigrae, secundariae albae. *Caudae* vix rotundatae rectrices 14, nigrae, exterius viridi nitidae. *Digitus* interior limbo crasso, medio inciso marginatus. *Mensurae* ad uropygium 1′. 5″. 6‴. rostri 1″. 7¾‴. caudae 4″. 9‴. expansis alis 3′. 6″. 6‴. ulnae alarum 1′. 1″. 4‴. femorum partis nudae 1″. 10½‴. tibiae 2″. 2½‴ digiti medii (cum ungue 5‴.) 2″. 4½‴. postici 6½‴. sine ungue incurvo.

333. ANAS *Carbo.*

A. atra, speculo alari palpebrisque albis, rostri disco fulvo, macula alba.

Anas niger, *Willughb. orn. p.* 278. *tab.* 70.

Anas davurica, platyrhynchos, nigra, nasuta, rostro pedibusque tricoloribus pictis, iride oculi lactea, leucobrachyptera, *Messerschm. orn. MS. IX. p.* 1452.

Anas peregrina nigra, *Frisch. av. suplem. tab.* 165. *b.* Mas pulcre.

Velvet Drake, *Zool. brit. p.* 152. *sp.* 7. *tab.*

Anas fusca, *Lin. syst. XII. I. p.* 196. *sp.* 6. *Jaquin. av. p.* 20. *n.* 15. *tab.* 6.

Grande macreuse, *D'aubent. pict. tab.* 956. mas, *tab.* 1107. foemina. *Chappe d' auteroche it. sib. I. p.* 199. 202. *tab.* 10. situ et habitu vitiosis.

Velvet Duck, *Penn. Zool. arct. II. n.* 272. *tab.* 96. *Latham. av. VI.p.* 555. *n.* 482.

Rossis Petropoli *Swirok*, in Sibiria *Tschernoi Turpân*, aliis *Golownà* (Carbo), ad Tunguskam, propter aviditatem qua pisces venatur, *Newodschik* (Piscator). Mangaseensibus *Akléi.*

Jacutis et Lamutis *Andy.* Baschkiris *Yrok.*

Mongolo-Buraetis *Ukir-nogossûn* (Anas vacca), vel *Ukir-Karaschi.*

Tungusis *Nopokéli.* Ostiacis *Tulbuk.*

Ut raro in Europa, ita vulgaris, imo frequentissima est in maritimis Rossiae et Sibiriae borealibus et circa vastos fluvios et lacus; angustas enim aquas fugit, quia inepto volatu minus tuta et pedibus manca, unde semper in alto versatur, urinatrix egregia, imo quum venatorem timet, saepe diu sub aqua latens, solo rostro exserto. In terris arcticis et Camtschatca foeminae longe adscendunt flumina et in mediterraneis lacubus et stagnis incubant, dum mares; ante exclusam prolem ad mare redeunt, insequentibus longe post foeminis cum pullis. *Nidum* inter scirpos et arundines fluitantem texunt, ut aquis levari, non vero ventis circumagi possit. *Ova* virenti sordido alba, maculis fuscis inaequalibus, cinereisque majoribus sparsa. Stulta caeteroquin avis, omniumque frequentissime in laqueos natantes incidit, praesertim cum vere et autumno gregatim natant, et ob libidinem summam mares expositam in aquis farctam pellem foeminae (Russi *Mandschik* vocant) subigunt. Captae *vox* nulla, sed iracundia maxima, ita ut hominem et canes sibilo morsuque appetere audeat,

continuoque hiante rostro strideat. Nonnisi aegerrime et elumbis, per brevissima intervalla incedit, angustoque loco subvolare nescit. In lacu liberis *vox* crocitans, suffocata utrique sexui. Inter volandum gravi cum sibilo alas vibrat, ut e longinquo exaudiri possit. Carnes pisculentae, rancidissimae et in genere vorax et turpis avis, saniem continuo ano excernens excrementitiam. In mari Ochotensi et circa Camtschatcam copiosissimae, dum in expositam farctam avem libidinoso impetu ruunt, telis facile, etiam eminus occiduntur; vel quum pennas abjecerunt, in angustos sinus, vada et ostia fluentum scaphis compulsae recedente aestu caeduntur baculis et manibus capiuntur. Adeo coeca libidine agitantur, ut si inter turbam marium femellam forte natantem occidas, omnes mares, unum post alterum occisae foeminae supervenientem occidere possis. Sunt autem vivacissimi, et vix discusso cranio occidi possunt. *Lanugo* sub plumis mollissima, ut vix A. Cutberti cedat.

Descr. Major et grossior, sed brevior Boschade. *Rostrum* breve, latum, ungue insigniter convexo, basi supra nares fornicatas plano assurgens, angulis plumosis a fronte ad nares excurrentibus. *Color* rostri niger, sed *area* utrinque disci longitudinalis mollior, cum ungue *fulva*, includens medium *discum* longitudinaliter album; *maxilla inferior* extremo fulva, basi sensim albescens. *Irides* cinerascente-albae. *Palpebrae* nigro-ciliatae albae, lunulaque alba sub oculo, retrorsum producta. *Corpus* totum holosericeo-atrum, subtus exsoletius, supra alas cum aliquo nitore viridi violaceoque. *Alae* vix uropygio longiores: *remiges* secundariae 10—16. albae, exteriores apice nigrae. *Cauda* brevissima, triangularis, nigra, pennarum 12. *Pedum* digiti, tibiaeque saturatissime rubri coloris, articuli puniceo nigrescentes, membranae fuscae. — *Foeminae* et *pulli*, dorso toto nigricant, vix areolis lutescentibus, toto corpore e nigri-

cante et fusco subsquamato; caput iis exsoletius fuscum, area magna utrinque ad rostrum, lituraque pone oculos albescentibus: *Irides* fusco-cinereae. *Pedes* fusco rubri. (Has videtur innuisse *Linnaeus* cum A. *fuscae* nomen pro triviali assumeret). *Pondus* 3, quatuorve librarum. *Mensura* ad uropygium 1'. 6''. 3'''. rostri 2''. 5'''. (latitudine 1''.), caudae 3''. 1'''. expansarum alarum 2'. 5''. 7'''. ulnae alarum 10''. 1''. tibiarum 1''. 7'''. digiti medii (c. u. 3½'''.) 3''. 1'''. postici 10'''. — In maribus *trachea* medio colli dilatatur in *cameram osseam*, mole fere juglandis minoris, depressam; intra thoracem labyrinthus tracheae vix notabilis. *Cystis* fellea oblonga, majuscula, viridissimo felle turgida. *Ventriculus* valde crassus et musculosus, interiore tunica aspera et rugosa, lapillis et arena triturans. *Pancreas* a pyloro quadripollicare. *Ductus* bilarius 11 pollicum a pyloro distantia insertus. *Intestinum* septempedale; *coeca* duo quadripollicaria, et *azygon* 6'''.

334. ANAS *atra.*

A. aterrima, rostro basi tuberoso, macula fulva disci inter nares.

Anas niger eboracensis Scoter, *Willughb. orn. p.* 281.

Anas nigra, *Brisson. orn. VI. p.* 420. *tab.* 38. *fig.* 2. pessima. *Lin. syst. XII. I. p.* 196. *sp.* 7.

Scoter, *Pennant. Zool. crit. p.* 153. *tab.* Q6. *Latham. av. VI. p.* 480. *n.* 36.

Macreuse, *D'aubent. pict. tab.* 978. *Buffon. orn. IX. tab* 234.

Rossis ad Obum fl. *Ssynga*, in ulteriore Sibiria *Morskaja Tschernet* (marina Fuligula).

Ostiacis *Ssyng*. Vogulis *Sangi*.

Samojedis *Nármyti*. Jacutis *Queuheul'hach*.

In mari caspio et balthico rarius cum praecedente observatur, frequens in magnis Sibiriae fluviis Oceanum glacialem influentibus, sinubusque maris et lacubus vastioribus. Nec in Lena fl. deest, quem longe a mari adscendit. In Camtschatca vero deest. Priori saepe intermixta natat. In terram vix unquam exit, ut illa.

Descr. Magnitudo circiter A. ferinae. *Rostrum* depressum, apice subdilatatum, nigrum, basi *tubere* gibbo, didymo; *macula* oblonga, intense flava disci inter nares, a qua linea rubra excurrit, tuber dividens. *Irides* flavae. *Corpus* totum aterrimum, quasi holosericeum. *Alae* uropygium paulo exsuperantes, concolores. *Cauda* brevicula, acuta, pennis 16. quarum mediae longiusculae, acutissimae. — *Foemina*: fusco-nigret, marginibus plumarum subgryseis, praesertim in dorso, juguloque; pectore gryseo-fusco: abdomine, crisso, uropygio, cauda alisque atris. *Caput* vertice nigricante, lateribus gulaque gryseo-cinerascente albidis. *Rostrum* basi vix gibbum, stria obsolete didymum. *Pedes*, ut et masculis, nigri. *Pondus* 2¾ circiter librarum. *Mensura* ad uropygium 1'. 3''. 0. caudae 4''. 3'''. rostri 2''. 1'''. ejusdem latitudo 9'''. expansae alae 2'. 8''. 0. ulnae alae 9''. tibiae 1''. 5'''. digiti medii 2''. 10'''.

Not. Hujus, ut et praecedentis et sequentis, icones bonae desunt.

335. ANAS *Marila.*

A. atra, dorso cano undulato, abdomine speculoque alari albis.

Anas dorsata et albifrons, *Vroeg. catal. n.* 244. 245.

Anas Marila, *Lin. syst. XII. I. p.* 196. *sp.* 8. *Pontoppid. atlas dan. tab.* 26. *Gmelin. syst. Nat. Linnaeani III. p.* 509. *sp.* 8.

Millouinan, *D'aubent. pict. tab.* 1002. *Buffon. orn. IX. pag.* 229.

Scaupduck, *Penn. Zool. brit. p.* 153. *sp.* 10. *tab.* Q. mala. *Zool. arct. II. p.* 565. *n.* 498. *Latham. av. p.* 500. *n.* 49.

Rossis beresoviensibus *Sorowaja*.

Ostiacis *Langi-tschentsch* (sciureum tergus).

Samojedis *Tánebu*.

In borealibus maritimis Rossiae, et maxima praesertim copia in inferiore regione Obi fluvii, boream versus observatur. Gregatim natat, ut A. atra, cui et moribus et statura simillima, itemque vasta aquarum spatia et ipsum mare praefert. Circa Belgium hyemat, maritima. *Ova* oblonga, majuscula, olivaceo-virescente-alba, punctis obsoletissimis cinerascentibus.

Descr. Magnitudo vix supra A. ferinam, cui dispositione colorum et statura simillima. *Rostrum* latius, brevius, nigrum usque ad nares, basi coerulescens, elatum, angulis longius frontem intrantibus, nudis. *Irides* flavae. *Caput*, *collum* et *prora* tota usque ad alas aterrima, velut holosericea, *caput* in maribus adultis nitore sericeo violaceo vel virescente. *Pectus*, *venter*, *hypochondria* candida. *Dorsum* supra alas lineolis albis, nigrisque elegantissime undulato-canum, colore pellis sciureae hybernae. *Crissum*, *bases* alarum et *alae spuriae* albo nigroque undulata. *Subcaudales*, *uropygium* atra. *Alae* nigrae, speculo angusto albo, quod efficitur a remigibus secundariis 11—22. nigro terminatis albis, quibus proximae primariae 5—10. medio canae. *Tectrices* secundariae apice albo-undulatae. *Cauda* brevissima, rotundata, exolete fusca; *rectrices* 16. quarum 2 mediae paulo breviores. *Pedes* nigri; *digitus exterior* medium aequat, *postici* unguis aduncus terram non adtingit. *Femina* fusco-nigrescens, ubi mas aterrimus, decolor tota, syncipite circa rostrum albo. *Mensura* ad uropygium 1'. 3''. 9'''. rostri 2''. (latitudine sum-

ma 11'''. altitudine basi 10'''.) caudae 2''. 3'''. ulnae alarum 8''. 9'''. tibiarum 1''. 5'''. digitorum medii et extimi 2''. 5'''.

336. ANAS *ferina.*

A. cano undulata, capite brunneo, prora uropygioque atris, speculo alari cinereo.

Anas fera fusca Auctorum, *Willughb. orn. Albin. av. II. tab.* 98. *p.* 87.

Penelope, *Brisson. orn. VI. p.* 384. *tab.* 35. *fig.* 1. bona.

Anas ferina, *Lin. syst. XII. I. p.* 203. *sp.* 31.

Pochard, *Penn. Zool. brit. p.* 156. *tab. Q.* 5. *Zool. arct. II. p.* 560. *n.* 491.

Millouin, *D'aubent. pict. tab.* 803.

Anas erythrocephala, *Gmelin. jun. Nov. Com. Petr. XV. p.* 465. *tab.* 20. mala.

Rossis *Golubaja Tschernet* (Fuligula coerulescens), in australioribus *Krasno-golowoi Nyrok* (Mergus erythrocephalus).

Jacutis *Toipas* (caput colore theae coctae); Tungusis *Dúrutu.*

Ostiacis Juganicis *Pom-lopte* (i. e. Penelope herbicola); circa Narym *Ytaekung*; circa Surgut *Kaulang.*

Per omnem Rossiam et Sibiriam ad majores fluvios et lacus, nec non circa maris Nigri et Caspii littora frequens est, non solummodo maritima, sed in mediterraneis praesertim nidificans. Vere et autumo imo hyeme, circa maris nigri littora cum A. *Penelope* et *caudacuta* gregatim volant, mari partim innatantes, partim rivos et scaturigines; locaque uda visitantes.

Descr. Magnitudo et facies simillima Penelopes. *Rostrum* itidem coeruleum, ungue et macula ad nares nigris. *Caput*, *collum* testaceo-ferruginea; reliqua prora, ut et basis caudae, atra. *Macu-*

la orbiculata alba in ipso angulo maxillae inferioris. *Pectus*, *hypochondria*, *abdomen* sordide alba, obsolete cinereo undulata, pulverataque. *Dorsum* cano-album, ut in Marila et Penelope undulatum. *Alae* canae pennis fuscis; *speculum* alae latissimum canum. *Cauda* brevis, fusca. *Pedes* livescente-cinerei, articulationibus fuscescentibus. *Digitus* posticus alatus, laterales membrana marginati. *Unguis* medius obtusus, interius dilatatus. *Femina* scolopacea, interdum subsimilis mari, prora tota obsolete testacea.

Not. Anas africana *Frisch. av. tab.* 165. an hujus varietas?

337. ANAS *Penelope.*

A. dorso cano-undulato, capite brunneo vertice albescente, speculo alari viridi, rostro coerulescente.

Penelope auctorum Anglis Widgeon, *Willughb. orn. p.* 375. *tab.* 72. *Albin. av. II. tab.* 99. *Pennant. Zool. brit. II. n.* 286. *Zool. arct. II. p.* 574. *Latham. av. VI. p.* 518. *n.* 63.

Anas fera macula nigra in fronte, *Frisch. av. tab.* 164.

Anas fistularis, *Brisson. orn. VI. p.* 391. *tab.* 35. *fig.* 2. bona. *D'aubent. pict. tab.* 825.

Anas Penelope, *Lin. syst. XII. I. p.* 202. *sp.* 27.

Anas Kogolka, *Gmelin. jun. N. Com. Petr. XV. p.* 468. *tab.* 21. pessima. *Ej. itin. II. p.* 183. *tab.* 17. Junior. —

Rossis a voce fistulari *Swistsch*, *Swijaes* vel *Swistûn*; Malorossis *Siaes*; ad Occam *Glott.*

Vogulis *Wuju*; Ostiacis ad Ob et Irtin *Lopte*, circa Surgut *Lowuti* et *Lopti-wassech*; ad Narym *Puotschoenga*; Siraenis *Wjoes.*

Tungusis *Hiltyver;* Lamutis *Kekolki*; Coraecis *Heitschogatschi.* Camtschadalis *Nguinghum.*

Per Rossiam et Sibiriam omnem, usque in Camtschatcam, in stagnis, fluviis, lacubus copiosa; hyeme gregatim circa marium australiorum littora volitans, tranquillo mari innatans, tempestuosis fluctibus terram petens. *Nidulatur* humi; *ova* alba, mole, ut Fuligulae. Caro ad mensas optima. Est e speciebus vulgatissimis.

Descr. *Rostrum* in utroque sexu pro criterio, coerulescens, maribus, ungue et mandibula inferiore nigris. *Pedes* livido cinerascentes. *Irides* corallino-rubrae mari, fusco-luteae foeminae. *Mas*: *caput* cum parte colli rufum; *gula* fusca; *lora* et *areae* oculorum virescente-fusco punctata; *frons* alba vel pallida, saepe tractu usque ad nucham concolore, in junioribus ad verticem fusco-virescente punctata. *Jugulum* vinacei coloris, punctatum. *Dorsum* totum et *hypochondria* cano-undulata. *Subtus* avis alba; *crissum* atrum, lateribus violascens. *Alae* basi fusco-cinerascentes, area magna, alba usque ad tectrices. *Remiges primariae* canescentes, rhachi alba, *secundariae* 12 — 19. efficiunt *speculum* viridissime splendens, antice et postice nigro marginatum 20. dimidiato alba. *Cauda* acuta, fusca, pennarum 14. Quibusdam vix prima frons albet, vertex punctis fusco-viridantibus crebris. — *Foemina*: scolopacea, speculo alarum nigro, interdum viridi notata, dorsali margine albo. *Subtus* albida crisso fusco. *Pondus* 2 vel 2¼ librarum. *Mensurae* ad uropygium 1′. 1″. 9‴. rostri 1″. 5‴. caudae 4″. alarum expansarum 2′. 6″. 9‴. ulnae 9″. 5‴. tibiarum 1″. 6‴. digiti medii 2″. *Genitale* masculis sesquipollicare, trochleiforme, rugis imbricatum.

338. ANAS *rufina.* *TAB. LXXIX.*

A. fusca, rostro rubro, capite (maris) rufo tumido subcristato, speculo alarum albo.

Anas cristata flavescens, an Colymbis Bellonii, vel avis Marsiliana, *Marsigl. dan. V. tab.* 53.

Anas Sjurakan, *De Bruyn. it. Moscov. p.* 336. *tab. n.* 182. *fig.* D.

Anas rostro coccineo, capite rufo cristato, macula alarum pallide carnea, *Cramer. Austr. p.* 339. *sp.* 8.

Anas fistularis cristata, *Brisson. orn. VI. p.* 398. *sp.* 22. *D'aubent. pict. tab.* 928.

Anas rufina, *Pall. it. II. app. p. - - n.* 28. *Spicil. german. VI. tab.* 5. mas. et foem.

Anas erythrocephala, *Gmelin. jun. Nov. Com. Petr. XV. p.* 465. *tab.* 20.

Anas cinerea, *Gmelin. jun. itin. II. p.* 184. *tab.* 18. femina.

Rossis ad Rhymnum Cosaccis *Schmakovaja Utka.*

Circa mare Caspium non infrequens, subsolitaria marina, rarius Volgam adscendit, et lacus salsos deserti caspici et tatarici frequentat. Observata tamen etiam circa vastiores lacus Isetensium camporum: In Persia circa Ispahaen observavit *De Bruyn.*

Descr. Magnitudo supra Boschadem. *Rostrum* ruberrimum; *irides* fuscae. *Caput* cum *colli* parte obscure rufum, *vertex* dilutior topho plumaceo erecto, densissimo tumidum, qui refert *cristam* subglobosam. *Corpus* atrum, subtus exsoletius. *Dorsum* inter alas gryseo-fuscescens, *macula* lunata scapulari utrinque alba. *Alae* extus fuscae, *speculo* albo, nigro marginato. *Hypochondria* sub alis alba.

Pedes fusco-rubescentes. — *Foemina:* cinerea, gula albicante, vertice magis fusco rufescente, crista plane nulla, rostro fusco-rubro.

339. ANAS *strepera.*

A. corpore squamatim variegato, speculo alarum rufo, nigro alboque.

Anas media Schnarrente, *Frisch. av. tab.* 168. 169.

Anas strepera, *Brisson. orn. VI. p.* 338. *tab.* 33. *fig.* 1. *Lin. syst. XII. I. p.* 200. *sp.* 20.

Gadwall, *Pennant. Zool. brit. p.* 157. *tab.* Q 3. mala. *Zool. arct. II. p.* 575. *L. Latham. VI. p.* 515. *n.* 61.

Chipeau, *D'aubent. pict. tab.* 958.

Anas Kekuschka, *Gmelin. jun. itin. III. p.* 249. *tab.* 26. 27.

Rossis Petropoli *Kraekovaja utka*, *Kraekowna;* alibi passim *Polucha* (ob similitudinem puto cum Grigallo); venatoribus *Nerasnaet* (quia femina a mare vix diversa); Cosaccis ad Rhymnum, propter eandem rationem, *Utka edinorodna*, (An. unisexualis); Malorossis *Polumateraja* (media).

Tataris *Koor-urdak*; Baschkiris *Kugàl*, a Linea. Mongolis *Schiraegoi* et *Bordsho-nogossun.*

Copiose in Rossia omni occurrit, nec infrequens in Sibiria, nisi locis maxime orientalibus, ubi, ut in Camtschatca, deest. *Carnes* plerumque pisculentae.

Descr. Rostrum aequabile, nigrum, margine, praeter unguem, maxillaque inferiore lutescentibus, submaculosis. *Irides* fuscae. *Vertex* gryseo, fuscoque varius, reliquum caput et collum albent, punctis liturisque crebris fuscis. *Jugulum*, *dorsum*que fusca, taeniolis semicircularibus plumarum pulchre varia. *Hypochondria* taeniolis parallelis undulata. *Crissum uropygium*que atra. *Cauda* obrotunda,

rectricibus 16. canescentibus, limbo albidis. *Remiges* secundariae variae. *Speculum* antice rufum, dein atrum, postice dimidiato atrum et album. *Pedes* flavissimi, membranis, articulisque nigrescentibus. *Foeminae adultae* mares colore aemulantur; sed *hornotinae* scolopaceae, e speculo tamen tricolore facile dignoscendae, pedibus gryseopallidis. *Pondus* bilibre. *Mensura* ad uropygium 1'. 3''. 6'''. caudae 3''. ulnae alarum 9''. 6'''. expansarum 2'. 8''. 6'''. tibiarum 1''. 6'''. digiti medii 2''.

β. Varietatem hujus totam albam, capite pallido-lutescente, in vertice cinereo-nebuloso, collo atque prora tota obsoletissime pallido-undulatis, inter vernales aves Ircutiae a. 1772. observavit et misit *amiciss.* p. mem. *J. G. Georgi*, e rostro, forma pedibusque facile agnoscendam.

340. ANAS *Boschas.*

A. speculo alarum violaceo, albo nigroque marginato.

Boschas, Anas fera et domestica auctorum, *Willughb. orn. p.* 308. *tab.* 72. 75. *Raj. av. p.* 145. *Albin. av. II. tab.* 105. *Marsil. danub. V. tab.* 59.

Anas fera, *Frisch. av. tab.* 158. mas, 159. foemina; domestica *tab.* 177. et varietas alba cristata *tab.* 178. *D'aubent. pict. tab.* 776. mas, 777. fem.

Anas Boschas, *Brisson. orn. VI. p.* 318. *sp.* 4. *Lin. syst. XII. I. p. - sp. -*

Wild Duck, *Pennant. Zool. brit. II. p.* 279. *tab.* 97.

Mallard, *Pennant. Zool. arct. II. p.* 563. *Latham. av. VI. p.* 489. *n.* 43.

β. Anas domestica, *Gmelin. syst. Lin. II. p.* 538. *sp.* 113.

Rossis generice et simpliciter *Utka*, mas *Sselesen*; Malorossis *Katschka*; it. *Materaja Utka.*

Tataris *Kogàl* et *Kás-urdak*; Tschuwaschis *Kuagal.*

Morduanis *Jaksergae*; Tscheremissis *Luda*; Votiacis *Tysche* vel *Tschoesch*; Vogulis *Pot*, *Botte*; Ostiacis *Wása*, *Wassech* (i. e. animal alatum); Pumpocoliensibus *Bana*; Inbazkiensibus *Boenu.*

Samojedis *Naebi*; Coibalis *Nap*; Caragassis *Ura.*

Mongolis *Azin*; Calmuccis *Nogossûn* et *Borodshin.*

Tungusis *Tschétschul*; Lamutis *Nikis* foem. *Tarmi* mas. Jukagiris *Oadshinonda* (avis aquatica). Assanis *Pin*; Arinzis *Ponja.*

Camtschadalis *Sáain* et *Lechlem.*

Curilis *Sáangitsch* vel *Saaitschitsch.*

Per omnem Rossiam europaeam et Sibiriam, usque in Camtschatcam, mediterranea stagna et paludes praecipue colit et tantum hyeme maria frequentat, plerumque sporadica. *Stellerus* etiam in itinere Americano, insulisque Oceani orientalis eam observavit. Hyemat sporadica ubicunque aquas non invenit congelatas, et scaturiginosis locis, ubi tepidula aqua, et fluminum locis hyeme non congelatis et ibi etiam in ipsius Sibiriae et Camtschatcae rigidissimas hyemes non timet. In Angarae lacunis media hyeme versatur, et si casu ex aqua in glaciem exeat, pedibus humidis glaciei adhaerescit ita, ut subvolare non possit. *Domesticae* tamen in Sibiria hyemem non bene ferunt, ideoque raro aluntur. Maxima earum turba circa mare nigrum et caspium, in Anatolia, Persia, Tatariae magnae lacubus australioribus et China hyemat, cum Querquedulis, caudacuta, Penelope, firma, aliisque.

Not. Mares primo tantum post nativitatem autumno foeminae scolopaceae similes, nec pennis circinnatis caudae notabiles, vere redeunt ornata plumagine, quam domesticarum pulli jam autumno in-

duunt. *Rostrum* mari virescens, pedes fulvo-rubri; *foemina* rostro luteo, disco fusco-maculato, ungue nigro, et pedibus lutescentibus. In unica hac specie mares notabiles pennis tectricibus duabus vel quaternis: recurvis caudae. *Varietas* nucha topho plumarum ornato apud nos perfrequens. *Domesticae* variant topho nuchae simplici et duplici, colore niveo et variegato; his semper rostrum fulvum in utroque sexu. In Ornithotrophio quondam *Nobil. amici Procopii Demidof* mas *Anatis Sponsae* viduus relictus, cum Boschade foemina genuit hybridos pullos, qui vero in tenera aetate perierunt. — *Anatis moschatae* mares saepe Boschadem subigunt, et quae semel tali juncta fuit marito, admodum ei dedita manet et libidinosissima evadit. *Proles* inde grandis, forma media, sed patri tamen similior, praesertim colore, voce, gressu, papillis tamen circa caput caret, et nunquam hybridam stirpem propagat; ut per plures annos expertum habeo.

341. ANAS *adunca.*

A. rostro cylindraceo subincurvo, corpore fusco.

Anas curvirostra, *Frisch. av. tab.* 179. *Vroeg. catal. adumbr. n.* 248. *Pall. Spicil. Zool. VI. pag.* 33. *Gmelin. syst. Lin. II. p.* 537. *sp.* 112. *Latham. av. VI. p.* 496. *n.* 44.

Anas adunca, *Lin. syst. XII. I. p.* 206. *sp.* 41. *Albin. av. II. p.* 86. *tab.* 96. 97. *III. tab.* 100. *Gmelin. syst. Lin. II. p.* 538. *sp.* 41.

In Rossia quoque rarissimo exemplo capitur, in Sibiria vero nunquam visa. Domestica e Belgio illata in aviarium *Nobil. Procopii a Demidof* Moscuae multiplicavit constanti colore, quem descripsi, fusco-nigrescente, macula utrinque temporali et saepe collari albo. Spontaneae colorem apprime exprimit: Anas fera nigra,

Frisch. av. tab. 193. Dubium mihi nunc fere videtur an haec A. adunca vere sit species peculiaris spontanea, vel an in domestico statu, monstrositate vel adulterio quocunque primum orta, postea per fugitivas fera facta sit, quod fere suadet raritas ejus in omni Europa.

342. ANAS *moschata.*

A. facie nudiuscula, rubro papillosa.

Lin. syst. XII. I. p. 199. *sp.* 16. *Brisson. orn. VI. p.* 313.

Anas moschata, *Albin. av. III. p.* 92. *tab.* 97. 98. *Marsil. danub. V. p.* 116. *tab.* 56. 57. *D'aubent. pict. tab.* 989.

Anas turcica, *Frisch. av. tab.* 180.

Rossis *Schipûn* Brissa (a sibilo quem profert), item *Samorskaja* vel *Kitaiskaja utka* (transmarina anas).

Spontanea circa mare Caspium, rariusque in australibus Volgae regionibus et lacubus deserti caspici; praesertim Sarpae, observatur. Domestica praesertim Astrachaniae et in taurica Chersoneso, e Persià et Turcia illata, Petropoli et Moscuae ex Europa, unde in varias urbes interiores, maxime secundum Volgae tractum, sparsa est. A. Sinis quoque adfertur. Producit apud nos crebro cum foemina Boschadis, sibi pennis et gressu, fereque magnitudine, rostro et reliquo habitu, defectuque papillarum circa rostrum matri similiores. Sed haec hybrida non propagantur, observante jam *Frischio.* In Ornithotrophio quondam *Procopii a Demidof* etiam cum A. *aegyptiaca Brissonii* hybrida produxit; mas enim, incubante foemina ita libidinosus est, ut Gallopavonis femellas et Gallinas vi subigat, et posteriores plerumque pondere suo enecet. *Odor* moschi praesertim masculis, et mirum haec effluvia in femellas alius speciei eun-

dem effectum habere, qui de moscho notus est,*) easque reddere maxime libidinosas, ita ut etiam Anatis moschatae marem, suae speciei tunc praeferant, semel passae.

Not. Spontanea mole fere Anseris, maximam partem nigro-aenea, subtus et capite colloque albo maculata, speculo alari albo. *Domestica* rarius tota alba, plerumque maculoso-varia.

343. ANAS *falcata.* *TAB. LXX.*

A. capite sericeo crista carinata, torque alba nigraque, alis secundariis falcato-elongatis.

Anas drepanopteros, seu Boschas minor torquata et cirrhata, remigibus falcis instar incurvatis, *Messerschm. hodeget. MS.*

Querquedula major, alis falcatis, *Gmelin. sen. obs. orn. MS.*

Anas drepanopteros torquata, *Mus. Petropol. pag.* 407. *n.* 650. *seq.*

Anas falcata, *Pall. itin. III. app. p.* 301. *n.* 34.

Falcated Duck, *Penn. Zool. arct. p.* 574. *tab.* 23. *Latham. av. VI. p.* 516. *n.* 62.

Rossice in Sibiria *Kossatii Sselesen* (falcata Anas) aliis *Kossatka* vel *Kossak* (falcator).

Mongolis *Scharà-sul* et *Char-tologoi-nogossûn.* Buraetis *Borà-Nogossûn.*

Tungusis *Tschetschul* et *Tschytyma.*

In borealibus ad Jeniseam primum, indeque per omnem orientaliorem Sibiriam occurrit, copiosior in regionibus trans Baïcal la-

*) Satis notus effectus unguenti ex oleo nucis moschatae et moscho, quod veretro illitum libidinem movet foeminis.

cum sitis, et in omni Lenae tractu; Aprili primum advenae gregatim natant. Advolat ex austro (China) et cum Ansere *Cygnoide* et A. *rutila* e primis adest. In Camtschatca rarius occurrit, teste *Stellero*. Jacutiae et circa Mangaseam observarunt p. m. *Islenief, Sujef, Merk.* *Foemina* obsoletiore colore. Mirum eam in Anglia observatam fuisse, teste *amiciss. Pennant.* *Vox* inter volandum brevis fistularis fere Recurvirostrae. *Nidus* humi, gramine stratus. *Ova* sordide alba, gallinaceis vix minora, pondere unciae unius cum 3, quatuorve drachmis. *Caro* hujus speciei sapida.

Descr. Magnitudo Penelopes, pulcritudine et habitu ad A. Sponsam proxime accedit. *Rostrum* nigrum, aequabile. *Irides* fuscae. *Caput* gloria avis: *macula* parva, alba frontis supra rostrum. *Vertex* supra longitudinaliter testaceo-sanguinei coloris; *gula* subtus longitudinaliter nivea, albedine medium collum ambiente et *torque* viridi-sericeo-nigra intersecta; reliquum capitis viridi sericeum nitidissimum, lateribus versus rostrum cupreo nitens. *Plumae* capitis largiores, a nucha efficientes *cristam* compressam, ad mediam cervicem seu torquem extensam, ibique angulo deorsum terminatam. *Collum* infra torquem, cum *jugulo* atque *dorso* semicirculis albis nigrisque pulcherrime variegata, crebrioribus dorsum. *Pectus* et Abdomen albo fuscoque undulata; hypochondria distinctius et elegantius taeniolata. *Uropygium* supra fuscum, sed *tectrices* albo, fuscoque undulatae. *Subcaudales* sericeo-atrae, lateribus albae cum transversa fascia atra. *Alae* basi cano-cinerascentes, subtus albae; *tectrices* concolores, praeter extimas, apice albae. *Remiges primariae* 10. exterius cano-fuscescentes, interius albidiores, apice oblique nigricantes; *secundaria* prima fuscescens, albo marginata, *proximae* 10. chalybeato-atrae, apice albo-marginatae, duo harum mucronatae, apice concolores, rhachi albae; quinque *intimae* elongatae, falcato-acumi-

natae, violaceo-atrae, rhachi et exteriora ora anguste candida, compositis alis primarias caudamque (deflexa *falce*) exsuperantes. *Ala spuria* brevis, acuta, alba, cinereo-undulata, exterius notata macula atra, pennas circiter 4. inficiente. Complicatae alae itaque *speculum* chalybeum, antice tectricum apice albo marginata. *Tectrices caudae* atrae; *rectrices* vix longiores 16. subacutae, exsolete fuscae. *Pedes* fusco-coerulescentes, membranis nigris. *Pondus* librarum medicarum duo, vel paulo minus. *Mensurae*: ad uropygium 1'. 3". 4"'. rostri 1". 6"'. caudae 2". 10"'. alarum expansarum 2'. 6". 6"'. ulnae 9". 11"'. femorum ad 6½ lin. nudorum 2". 4"'. tibiae 1". 3"'. digiti medii (cum ungue 3½"'.) 2". 4"'. *Trachea* simplex, *labyrintho* interno mediocri, osseo mole nucis juglandis. *Ventriculus* mole ovi Boschadis, depressus, per circumferentiam carinatus, inferiore musculo magis cavo, glarea repleto. *Intestinum* quadripedale; *coeca* sexpollicaria, lineari-acuta. *Testes* maribus oblongi ad ipsas capsulas renales.

344. ANAS *glocitans*. *TAB. LXXI.*

A. capite utrinque fasciis falcatis albis, nigris viridibusque variegato, speculo alarum rufo viridi nigro albo.

Querquedula torquata, taeniis ab oculo capistrum mentientibus nigris, ochropus, glocitans, *Messerschm. ornithol. MS. VIII. n.* 196.

Anas picta seu capite pulchre fasciato, *Steller. obs. MS.*

Querquedula major collo brevissimo, *Gmelin. sen. obs. MS.*

Querquedula glocitans torquata, *Mus. Petrop. vol. I. p.* 408. *n.* 670.

Anas formosa, *Georg. itin. I. p.* 168. *Latham. av. VI. p.* 556. *n.* 97.

Anas glocitans, *Pall. act. holmiens. XL. pag.* 33. *tab.* 1. *Latham. av. VI. p.* 521. *n.* 66. excluso synonymo.

Rossice in orientali Sibiria a glocitante, etiam inter volandum voce (*Mokmok*) *Moklok* vel *Mokloschka*; aliis *Kloktunja*.

Jacutis *Mogòs* vel *Mongos*, (a voce *Mok-mok* volantis).

Pulchritudine, cum antecedente, nulli exoticae avi inferior, elegantissima in suo genere. Vere ex austro in orientalem Sibiriam advolant, in regione transbaïcalensi, et ad omnem Lenam frequentissimae. Lacus et flumina raro littora maris frequentant, et transvolantes glocitantem vocem edunt. Junio incubant in foveola humi plumis strata deponentes *ova* ad decem, sordide alba, pondere ad unciam cum aliquot drachmis. Septembri jam demigrant, primae inter Aves aquaticas. *Caro* sapida admodum, unde a Jacutis capiuntur laqueis, simul e pellibus capiti detractis elegantes lacernas consuunt.

Descr. Querquedula paulo major, habitu similis. *Rostrum* nigrum. *Irides* fuscae. *Area* magna, pallida ad rostrum, unde continuatur striga superciliaris nivea, *verticem* nigrum includens. *Fascia* utrinque arcuata, albo marginata ab oculo ad *gulam* nigram, cui adcumbit *area* falcata pallida et huic *alia* viridi-sericea, anterius nigro, postice albo marginata. *Cervix* intermedia longitudinaliter violacea. *Dorsum* tenerrime cano fuscoque undulatum. *Jugulum* pallide testaceum, nigro guttatum. *Crissum* atrum, utrinque ferrugineo marginatum, ductu transverso albo ad anum. *Ala spuria* ferrugineo, albo nigroque virgata. *Speculum* alare oblique viride et atrum, antice testaceo, postice albo marginatum. *Pedes* sordide fulvescentes. *Pondus* ultra 1¼ libr. med. *Mensurae* rostri 1″. 8‴. latitudine aequabili 7‴. alarum expansarum 1′. 11″. 0. ulnae caudam subaequantis 8″. 3‴. tibiarum 1″. 3½‴. digiti medii (cum ungue 3½‴.)

1″. 8‴. Rectrices caudae sexdecim, mediae albae. Maris *labyrinthus* tracheae ex anteriore et sinistra ejus parte productus, osseus, minimus, compressus et inaequalis.

345. ANAS *Crecca.*

A. speculo alarum viridi antice rufescente, linea alba supra infraque oculos.

Querquedula francia, *Albin. av. I. p.* 86. *tab.* 100. Mas; *II. p.* 66. *tab.* 102. foemina.

Querquedula tygrina, *Frisch. av. tab.* 174. mas.

Teal, *Pennant. Zool. britan. p.* 158. *tab. Q. Zool. arct. II. p.* 577. *Latham. av. VI. p.* 551. *n.* 88.

Sarcelle, *D'aubent. pict. tab.* 946.

Anas Crecca, *Lin. syst. XII. I. p.* - -

Racanette *venatoribus Gallis.*

Rossice *Tschiròk*, in Sibiria *Gurka.*

Tataris *Sirgéi urdak;* Baschkiris *Tyragai.*

Vogulis *Schóger - toppirwoi*; Ostiacis *Schigirtpiri*, alibi *Pyrengge* et *Chandshi;* Siraenis *Schydat.*

Tungusis *Tschirkúky;* Lamutis *Kuritsch;* Coraecis *Ugalgapyl.*

Camtschadalis *Peschukun*, orientalibus *Prychtsch*; Ukinzis *Pydschuktsch.*

Curilis *Tuuriwe.*

Copiose habetur per omnem Rossiam, Sibiriamque et in omni climate, in Camtschatcam usque, ubique prolificans. *Ova* alba. Hyemat praesertim in australioribus haemisphaerii nostri; imo ubicunque aquas non congelatas invenit. Mira harum et sequentis in hyperboreis copia per aestatem, ubique turmatim volant et natant. Ta-

men retibus minus facile capiuntur, quia viso periculo cito viam in aëre mutare callent.

Descr. *Mas* pulcherrimus, capite testaceo, linea supra infraque oculos alba, interjecta utrinque falce viridi-atra, splendidissima, in cervice contigua, interjecto spatio violaceo. *Pectus* guttatum, ut in antecedente, cui affinis. *Speculum* alare dimidiatum, supra viridissimum sericeum, infra holosericeo-atrum, antice fascia rufescenti alba, postice linea alba marginatum. Eodem distinguitur femina, ceteroquin scolopacea.

Not. *Anas Circia* auctorum et *Linnaei*, mihi nonnisi nomen videtur, quod ab uno Ornithologo ad alterum transiit. Mihi sane adtendenti, neque in tota boreali Asia, nec in Europa, unquam Anatis parva species, praeter Querquedulam et Creccam oblata est; neque venatores ullibi terrarum tertiam distinctam norunt. *Albini* icones, quas *Linnaeus* ad Circiam citavit, vere Querquedulam referunt. Videntur autem anniculi mares Creccae, autumno femellis adhuc subsimiles, imo Querquedulae similiores, ansam imaginariae speciei dedisse. Si quis vero vernalem mihi produxerit Circiam, a Crecca et Querquedula vere diversam, masculam, victas dabo manus.

346. ANAS *Querquedula.*

A. speculo alarum virescente, utrinque albo-marginato, linea supra oculos alba.

Querquedula vulgaris, *Frisch. av. tab.* 175. foemina, 176. mas.
Querquedula aestiva, *Albin. av. II. p.* 66. *tab.* 103. 104.
Garganey, *Pennant. Zool. brit. p.* 158. *tab.* Q 9. *Zool. arct. II. p.* 576. *Latham. av. VI. p.* 556. *n.* 87.
Anas Querquedula, *Brisson. orn. VI. p.* 427. *tab.* 39. *fig.* 1. 2. optima; *Lin. syst. XII. I. p.* 303. *sp.* 32.

Petite Sarcelle, *D'aubent. pict. tab.* 947.

Rossice (ut prior) *Tschirók*, vel pro distinctione *Polewoi Tschirok* (Querquedula campestris) et *Néklow*.

Wogulis *Purwa;* Sosvensibus *Tyrwi;* Ostiacis *Pürri*, ad Surgut *Pylgy* et *Pyrni;* ad Narym *Pakke*.

Samojedis *Pjosok*. Tungusis *Burbúky*.

Adhuc copiosior fere praecedenti, omnibus, quibus illa, locis occurrit ad Camtschatcam et arcticam oram usque; Carne delicata vix inferior, et moribus similis.

Descr. Praecedente tantillo major esse solet, *Vertex* fuscus, *gula* nigra; *fascia* alba supra oculos incipiens, in cervicem descendit. *Collum* pallido striatum; *prora* squamatim variegata; *alae spuriae* albo virgatae. *Basis alarum* coerulescente cinerea; *speculum* virescente nigrum, margine antico posticoque album. *Pectus* album, *hypochondria* undulata, *crissum* fasciatum. *Foemina* scolopacea, gula alba, tractu supraciliari albido, hypochondriis maculosis, speculo obsoletiore, fusco-aeneo.

347. ANAS *Fuligula*.

A. nigra, crista dependente, capite violaceo, abdomine speculoque alarum albo.

Fuligula forte Gesneri, *Raj. av. p.* 142. *n. A.* 6.

Anas media cirrhata, *Frisch. av. tab.* 171.

Anas nigro cristata, *Albin. av. I. p.* 82. *tab.* 95.

Glaucium minus, *Brisson. orn. VI. p.* 411. *tab.* 37. *fig.* 1.

Tufted Duck, *Pennant. Zool. brit. p.* 153. *sp.* 9. *tab.* Q. 6. *Zool. arct. II. p.* 573. *Latham. av. VI. p.* 540. *n.* 79.

Anas Fuligula, *Lin. syst. XII. I. p.* 207. *sp.* 45.

Morillon, *D'aubent. pict. tab.* 1001.

Rossice *Tschern* vel *Tschernet* (Nigrecula); in Sibiria *Kossak* (a crista).

Baschkiris *Kasch - chalak.*

Siraenis *Tjukála;* Vogulis *Tor - wasse* i Ostiacis *Tun - wasse* (*Tor* et *Tu* significant lacus maritimos); ad Surgut *Jink - wasseck* (aquatilis Anas).

Tungusis *Jombanga* et *Momjag.*

Coraecis *Aïngahal.*

Camtschadalis *Kaaschin.* Curilis *Jaitschir.*

In Rossia et Sibiria universa, usque ad orientalem et arcticum Oceanum copiosa; praesertim vere. Mas incubationis tempore, foemina dein cum educatis pullis, vastissimos lacus et maritima petunt, desertis fluminibus et stagnis. Est ex optimis urinatricibus, piscibusque minutis praesertim nutritur, unde carnes pessimae, licet pinguissima esse soleat. *Ova* sordide cinerascente - alba, axi 2″. 1‴. diametro 1″. 5‴.

Descr. Mas capite collo et prora tota aterrimis. *Caput* pulcherrime violaceo - sericeum, *crista* dependente, aterrima, opaca. *Irides* flavae. *Dorsum* inter alas nigrum, subtilissimis atomis canis pulveratum. *Pectus* et *abdomen*, *fascia*que lata per medias remiges, maxime secundarias ducta, cum subalaribus, alba. *Crissum* fuscum. *Rostrum* totum coerulescens ungue nigro. *Foemina* minor, fusco nigricans, limbis plumarum, praesertim in capite et gula, obsolete rufescentibus.

348. ANAS *Colymbis.*

A. capite subcristato colloque nigris, facie albida, pectore speculoque alarum albo, iridibus flavis.

Anas Fuligula prima Gesneri, *Aldrov. orn. p.* 227.

Anas cristata, *Raj. av. p.* 142. *A.* 7!
Anas palustris, *Frisch. av. tab.* 170.
Anas Glaucium (Morillon). *Brisson. orn. VI. p.* 406. *tab.* 36. *fig.* 1. 2. *optima.*
Anas Glaucion? *Lin. syst. XII. I. p.* 201. *sp.* 26.
Brown Duck, *Pennant. Zool. britan. tab.* Q. altera *Quart. II. p.* 277. *Zool. arct. p.* 573. *F. Latham. VI. p.* 537. *n.* 77.
? Anas *Gmelin. jun. itin. II. p.* 183. *tab.* 16.
? Anas lurida, *Gmelin. syst. Lin. II. p.* 531. *sp.* 101.

Rossice *Bjelobrjuschka* (albi ventris), et item *Tschernet*; Petropolitanis *Ljesnoi Tschirok* (Querqued. sylvatica) promiscue cum A. glacialis pullis.

Ostiacis ad Surgut *Tschatsch* a voce volantis, vel *Pyschti-wassech* (nigra Anas); ad Narym *Sjaegedúda.*

Per omnem Rossiam et Sibiriam, etiam australiorem, frequens usque in Camtschatcam, lacus praesertim et fluvios sylvestres et arundinosos amans. Vere gregariae; incubationis tempore mares deserunt conjuges, quae dein cum prole natant solae. Imminentem venatorem dolo audacissime abducunt a pullis, impennes seu vulneratas se simulantes, donec in tuto viderint prolem et tum demum volatu se subducunt. *Ova* alba. In Ingriae sylvis aquosis Octobri copiose retibus capiuntur, cum prole Anatis glacialis. Sed sunt itidem pisculenti plerumque saporis. Urinatur ut affines.

Descr. Ita similes Fuligulae, ut pro juniore ejus prole haberi possent; sed vernales aves perfectae utriusque sexus, et collum gracilius, distinctissimam speciem arguunt. *Magnitudo* Penelopes. *Rostrum* fusco-coerulescens, lunula coerulescente circa unguem nigrum, lateribus coerulescens. Huic quoque *irides* sordide flavae, at mari flavissimae. *Caput* cum *collo* toto brunnescente atrum, umbra

albida utrinque a rostro diffusa insigni. *Vertex* postice subcristatus, plumis aliquot elongatis, per cervicem dependentibus. *Jugulum* fuscum, gryseo-pallidoque squamato nebulosum. *Pectus* albo-subargenteum, tracto medio et sub alis fusco-nebulosum. *Crissum* fusco-inquinatum; *subcaudales* nigrescentes, albo-squamatae. *Supra* tota exsoletius nigra. *Alae* margine anteriore fusco-canescentes, subtus tectricibus canescente albis. *Remiges secundariae* 11—20. transversim albae, *primariae* 5. ad 10. exterius albicantes, sed margine fuscae, hinc fascia lata, alba, extrorsum sensim evanescens, compositoque ala *speculum* album. *Intimae* remiges quinae aterrimae, cum splendore viridi. *Cauda* obrotunda, rectricibus 16. fusco-nigris, apice detritis. *Pedes* coerulescente cinerei, articulatim fusci; *digitus* posticus interiorque membrana alati, exterior fere medio aequalis. *Foemina*: simillima, sed nigredine ubique exsoleta et fuscescente, ventre toto niveo nitido (ut Colymbis); crista nulla; rectricibus 14. itidem subpraemorsis. — *Pondus* vulgo 2¼ ad 2½ libr. *Mensura* ad uropygium 1′. 2″. 8‴. rostri 1″. 10‴. caudae 1″. 10.‴ expansarum alarum 2′. 3″. 0. ulnae 7″. 3‴. tibiarum 1″. 2½‴. digitorum medii (c. u. 3½‴.) 9‴. *Genitale* in masculis minimum, vix 2½″. laeve.

Not. Anne haec species e connubio Fuligulae et sequentis nata? medium inter utramque tenet.

349. ANAS *Glaucion.*

A. subnigra, capite brunneo, pectore, macula alarum iridibusque albis.

An Anas Fuligula altera Gesneri, *Aldrov. orn. p.* 227.
Anas fera fusca minor, *Raj. av. p.* 143. *n.* 11.
Glaucium *Bellonii.*

Anas Nyroea, *Güldenst. Nov. Com. Petr. XIV. part. I. p.* 403. *seq. Latham. av. VI. p.* 541. *n.* 79.

Rossice *Krasnogolowoi Tschern* (Fuligula ruficeps), improprie *Nyrok* (Mergus seu Urinator).

Nonnisi in australioribus Rossiae aquis, circa Tanaïn praesertim, Volgam et Rhymnum observatur. Per paria volant et stagna amant pura, arundine vacua, ubi in mediis aquis versantur ideoque ictu sunt difficiles. *Vox* Boschadis, sed grossior et brevior. Minus frequenter mergitur, nec pisce vescitur, unde caro sapidissima. Varietatem Fuligulae credidit *Latham.*

Descr. Magnitudo infra Fuligulam, *habitus* similis. *Rostrum* latiusculum, nigrum, area lunata circa unguem coerulescente, ut in antecedenti. *Irides* latae, lacteae. *Caput* cum initio colli, rufo-testaceum; macula parva lactea in ipso angulo gulae. A medio vertice versus nucham tractus *pinnulis* gryseo pallidis, extremitate setaceo-pinnatis, rigidulis, vix reliquas plumas superantibus, *Collum* medium (admodum tenue) et cervix longitudinaliter ad dorsum usque nigra; at jugulum intensissimi rufo-testacei coloris. *Pectus* et *abdomen* album, fusco-nebulosum; *crissum* album. *Dorsum* nigrum, inter alas ferrugineo fuscoque pulveratum. *Alae* parvae nigrae, entico margine albae, subtus fusco alboque variae. *Fascia* lata alba vel incana, per remiges omnes, exceptis intimis 5. et 3. extimis extus nigris. *Tectrices*, remigumque apices, et interiores totae, cum virore nigrae; unde *speculum* album alae antice posticeque virenti-sericeo marginatum. *Cauda* subaequalis, detrita, fusco nigricans. *Pedes* fusci, inter articulos livido-cinerascentes; membranae nigrae; *tibiae* breviculae. *Foemina*: vix diversa, nisi capite et prora obsoletiore, gulaque et abdomine albo-variegatis, rostro toto nigricante, caudae rotundatae rectricibus tantum 14. nec detritis. Si Natura hybridis

luderet et species multiplicaret, diceres hanc ex A. ferina et sequenti genitam. *Pondus* sesquilibre, vel paulo ultra. *Mensura* tota 1′. 1″. 0. rostri 1″. 10‴. (ejus latitudo 9‴.) caudae 2″. 3‴. expansarum alarum bipedale; ulnae 7′. a summo rostro ad sternum 7″. 4‴. tibiarum 1″. digiti medii (c. u. 3½‴.) 2″. 4‴. postici 7½‴.

350. ANAS *hyemalis*. *TAB. LXXII.*

A. fusca, subtus albida, rostro brevi, speculo alarum diviso iridibusque albis, pedibus lutescentibus.

Anas fera, capite subrufo, minor Aldrov., *Messerschmid. ornith. MS. I. p.* 115.

Anas cinereo, albo, nigroque variegata, capite castaneo, *Kramer. et austr. p.* 341. *sp.* 14?

An Anas latirostra, *Brünnich. orn. bor. p.* 21. *n.* 91.

Anas Marila (perperam) *Pall. itin. II. p.* 25.

Rossice *Kamennoi Tschirok* (Querquedula rupestris) ad Baicalem *Tscherisch.*

Baschkiris *Alatschäber.* Tungusis *Kanà.*

In torrentibus rapidissimis montium Uralensium et Sibiriae, qui nunquam conglaciantur, circaque tepidas scaturigines, passim hybernat sporadica, et aestate quoque fluenta et lacus montanos, saxosos amat, immo inter fluitantem fluminum glaciem audacter natat. Medio Maji jam cum pullis vidi natantem in rivulis et fluentis uralensibus. In Camtschatca, *Stellero* observante, sub hyemem, quando jam omnes anatum species demigrarunt, copiose demum capitur, neque omnes per hyemem avolant. Circa mare caspium in alpinis Persiae omni tempore anni observavit *Gmelinus jun.* Volant raro, natant expeditissime.

Descr. Magnitudo Creccae, breviores crassioresque omnes proportiones. *Rostrum* perbreve, basi valde convexum fuscum, lateribus et versus unguem lividum, forma ut in Clangula, nisi quod angulos plumaceus a fronte minus procurrit et magis rotundatus. *Irides* lacteae. *Caput* rufescenti-fuscum, tumidulum; *semitorquis* medii colli alba, cervice interrupta. *Corpus* subtus nitide album, lateribus juguloque squamatim fusco-nebulosis. *Supra* exsolete nigra: *Macula* alarum alba, striga nigra divisa. *Cauda* canescenti-nigra, rectricum 16. in utroque sexu. *Pedes* antice lutescentes, tibiis postice membranisque fuscis; *digiti* elongati. *Pondus* circiter unius librae. *Mensurae*: ad uropygium 11 poll. rostri 1″. 6‴. caudae 2″. 2″. in adultioribus longit. pedalis, cauda 3″. Alae expansae 2 ped. Ulna 7″. tibia 1″. 3‴. digitus medius et exterior 2″. 4‴. posticus 8‴. cum unguibus circiter 3‴. aequantibus.

Not. Huc forte pertinet Anas cryptarum zirchnicensium, *Lin. syst. XII. I. p.* 197. certe non ad marilam, quae est pelagica. — Refert nostra iconem, quam pro foemina Clangulae dedit *Zool. brit. tab. Q.* priore cum Clangulae mare, et utique Foeminis Clangulae persimilis est, nisi quod careat litura alba ad sinus oris, et loco alpestri. An degeneratio Clangulae ab alpina regione?

351. ANAS *Clangula*.

A. nigro alboque varia, capite tumido, violaceo-nigro, macula ad rostrum utrinque alba.

Clangula auctorum, *Raj. av. p.* 142. *Albin. av. I. tab.* 96. *Frisch. av. tab.* 183.

Anas platyrhynchos mas, *Willughb. orn. p.* 282. *tab.* 73. *Marsil. danub. V. tab.* 55.

Golden eye, *Pennant. Zool. brit. p.* 151. *sp.* 11. *tab. Q. Zool. arct. II. p.* 557. *n.* 436. *Latham. av. VI. p.* 535. *n.* 76.

Anas Clangula, *Lin. syst. XII. I. p. sp.*

Garrot,- *D'aubent. pict. tab.* 402.

Rossice *Gógol;* Malorossis *Kraekuschka.*

Siraenis *Sschultscher;* Vogulis *Sal, Sai* vel *Soi*; Ostiacis *Lobtay*, ad Surgut *Torom - Sankeni* (i. e. Deilux, qui a interdiu et cum sibilo volat).

Tungusis *Húribky;* Lamutis *Kongalà.*

Coraecis *Ilygali.*

Camtschadalis *Guiku;* occidentalibus *Ngukunguku.*

Curilis *Tschachtschir.*

Est e vulgatissimis Anatum speciebus in omni Rossia etiam australiore et per omnem Sibiriam, in Camtschatcam usque, aquas fluentes pariter et stagna inhabitans. Urinatrix egregia et omnivora, ideoqne maxime pisculenta. In Camtschatca, teste *Stellero*, mures migratorios vorat, quum fluvios trajiciunt. *Ova* saepe in cavis arborum deponit, virescenti - alba.

Descr. Magnitudo Penelopes, sed crassior et collo adhuc breviore. *Rostrum* breve, latum, basi crassum, nigrum, membrana inter ramos mandibulae nuda, rugosa, atra. *Irides* citrinae. *Caput* plumis tumidum, cum colli initio atrum, violaceo et viridi nitore varians. *Macula* nivea ovalis utrinque ad rostrum, unde Germanis et Belgis *perspicillata* dicta. *Collum* totum et corpus subtus niveum, praeter femora fusca. *Dorsum* atrum. *Alae spuriae* breviculae, nigro virgatae. *Ala* nigra, media area magna alba, *remigibus* nempe secundariis 15 — 21. et tectricibus apice albis. *Cauda* rotundata, fusca, rectricum 16. quarum 2 mediae paulo breviores. *Pedes* aurantii, membranis et unguibus fuscis; *digiti* longi, *exterior* medio

longior, *interior* fimbria latiuscula aurantia marginatus *posticus* itidem alatus, ovato-oblongus, planus. *Pondus* fere trilibre, vel aliquot unciis minus. *Mensurae* ad uropygium 1′. 3″. 0. rostri 1″. 11‴. (ejus latitudo 9½‴.) caudae 3″. 3‴. alarum expansarum 2′. 3″. 6‴. ulnae 8″. tibiae 1″. 5‴. digiti medii 2″. 8‴. exterioris 2″. 10‴. postici 9‴. ejusdem latitudo 5‴. digiti interioris fimbriae 4‴.

352. ANAS *histrionica.*

A. canescenti-fusca, albo nigroque virgata maculataque, hypochondriis superciliisque ferrugineis.

Anas picta, capite pulchre fasciato, *Steller. obs. MS. Krascheninik. Camtsch. I. p.* 339.

Anas fuscus maculatus, *Edward. av. I. p.* 99. *tab.* 99.

Anas histrionica, *Lin. syst. XII. I. p.* 204. *sp.* 35.

Canard à collier de Terreneuve, *D'aubent. pict. tab.* 798. mas, 799. foemina.

Anas minor ex albo et fusco varia, *Catesb. Carol. I. p. et tab.* 98? Foemina.

Anas canadensis minor, fuscus, *Edward. av. III. pag. et tab.* 157. Foem. 99. mas. (optime).

Anas minuta, *Lin. syst. XII. I. p* 304. *sp.* 36. *Brünnich. orn. bor. n.* 86. Foemina *Gmelin. syst. Lin. II. p.* 534.

Harlekin-Duck, *Penn. Zool. arct. II. p.* 560. *n.* 490. *Latham. av. VI. p.* 484. 485. *n.* 38.

Rossis in Sibiria *Kamenuschka* vel *Kamennaja Utka* (rupestris Anas).

Camtschadalis *Nikyng* vel *Nikyngyk.*

Circa Baïcalem lacum, stagnaque Davuriae alpina majora, Baunt, Schakscha, Irgén, caet. abundat. Aprili hospitatur in tor-

rentibus montanis et fluviis saxosis rapidis, a glacie liberatis, ut Uda, Conda, Ingoda, Schilka, Bargusino, plerumque per paria unde mares post celebratas nuptias soli, foeminae vero demum confirmata prole lacus et maritima petunt, et gregatim circa rupestres ripas vagantur, oniscis praesertim copiosis inhiantes. *Vox* clara, brevis, rara, volantis nulla. *Stolidae* hominem prope admittunt et urinantur potius quam avolant. *Stellerus* hanc speciem primum observavit in torrentibus mare Ochotense influentibus, copiosissimam dein in Camtschatca, ubi vere ad fontes usque rivulorum adscendit, exclusaque prole redit ad mare. Circa insulas versus Americam sparsas observabat frequentem *p. m. D. D. Merk.* Hybernat in mari, vere torrentes adscendit etiam ibi. Ad jugulum usque tota aquae immersa natat, ut A. mersa urinatur diu et natando lubentius, quam volando fugit. Teneros *pullos* sub initium Julii ad Baïcalem accepi, unde crederem bis in anno prolificare. Rarissime interdum circa Uralense jugum apparet. *Ova* descripsit et delineavit *Steller* (*Nov. Com. Petr. IV. p.* 420. *tab.* 11. *fig.* 13. 14.) majuscula, fere ut Boschadis, glabra, alba, sena in uno nido, quem foemina in ripis gramine conculcato plumisque format. Parit, eodem observante, fine Junii.

Descr. Magnitudo Penelopes. *Rostrum* fuscum, mandibula inferiore et ungue coerulescentibus, forma (: fere ut in Anate glaciale :) versus unguem conico-angustatum, circa unguem subrugosum, basi striis subtilibus, vorticosis. *Lobulus* cutaceus, dentatus, niger, instar cristae gallinaceae angulos oris obtegit. *Irides* fuscae.

Mas: *caput* habet, cum superiore parte colli, atro-chalybeatum; *area* magna triangularis alba utrinque ad rostrum, *fascia* utrinque per verticem ad occiput continuatae primum albae, dein ferrugineae, inter quas spatium opaco-atrum. *Macula* supra aures ad ! alba, postico margine item atro-opaca; pone hanc utroque latere

area lanceolata alba, ab occipite versus collum obliqua. *Collum* inferius totum ambit cingulum latum niveum, atro marginatum. *Corpus* totum coerulescente-nigrum, subtus obsoletius; ad jugulum utrinque transversa *area* magna lunata alba, atro marginata. *Hypochondria* rufo-ferruginea, partim subundulata. *Uropygium* totum chalybeato-atrum, macula parva alba utrinque ad extimam rectricem. *Subcaudales* atrae. *Alae* parvae, vix uropygium excedentes, nigrae, maculis duabus parvis albis ante speculum, altera in tectricibus oblonga, altera in vestitricibus orbiculata. *Remiges* 26. *speculum* remiges 15 ad 20. exterius violaceo-sericeae, 21 ad 23. disco albae exteriore margine atrae efficiunt, unde violaceum partim, partim albo nigroque fasciatum. *Alae spuriae* breves, exterius longitudinaliter albae. *Rectrices* 14. nigrae, mediae in tenue acumen desinentes. *Pedes* livido-fusci, membranis nigris; *digitus* interior et posticus alati; *unguis* medii latiusculus, lateralium subulati, tenues. *Pondus* librarum fere 2. medicarum. *Mensurae*: a summo rostro ad uropygium 13″. 3‴. rostri 1″. 7‴. caudae 3″. 10‴. sed laterales rectrices tantum 2″. a summo rostro ad scrobiculum sterni 6″. 10‴. expansarum alarum 2 ped. 9 lin. ulnae 7″. 10‴. tibiae 1″. 2‴. digiti medii 2″. 2‴. cum ungue 3¼‴. postici 8‴. unguis 2¼‴. *Trachea* maribus in medio dilatata, calamo cygneo amplior, hinc adtenuata et versus thoracem denuo exampliata et adnata labyrintho osseo, globoso, integro, juglandis minoris mole, sinistrato. *Coeca* lumbriciformia, obtusa, longit. 4 pollicum, totidemque ab ano distant. — *Foemina* nigrescens; plumis versus marginem lutescentibus, margine canis. Caput nigrum, utrinque ad rostrum variegatum. *Pulli* teneri (init. Julii) lanuginosi, nigri, subtus albi, collo fusco, sed gula late, areaque per aures ad cervicem diffusa alba; lunula supra alulas, macula orbiculari supra scapulas, itemque ad basin caudae utrinque albis.

Rectrices jam adsunt exiguae, lanigunosae. *Foeminae: caput, collum* et corpus *supra* fusca, *subtus* tota sordide alba, fusco nebuloso-undulata. *Macula* ante oculos, supercilio continuata, ad aures, et linea lateralis colli alba, minus, quam in mare, circumscriptae. Interscapulium et brachia alarum plumis margine exsoletis. *Pulli* lanuginosi supra fusco nigrent, subtus albicantes.

353. ANAS *glacialis.*

A. rostro nigro fascia fulva, cauda acuminata, rectricibus intermediis elongatis, speculo alari brunnescente.

Anas islandica Havelda, *Worm. mus.* 302.

Anas cauda acuta, canadensis, *Edward. av. II. tab.* 156.

Anas hyemalis, *Lin. syst. XII. l. p.* 202. *sp.* 29. *Falk. itin. III. p.* 347. *n.* 66. *tab.* 22.

Canard de Miclon, *D'aubent. pict. tab.* 1108.

Longtailed Duck, *Penn. Zool. arct. II. p.* 566. *n.* 501. *Zool. brit. II. n.* 283. *Latham. av. VI. p.* 528. *n.* 72.

β. Anas longicauda ex insula Terrae novae, *Edward. glean. II. p.* 146. *tab.* 280.

Anas glacialis, *Lin. syst. XII. I. p.* 203, *sp.* 30.

Anas Sawka, *Lepech. itiner. III.* icon. bona.

Rossice *Sawka*, a voce, quam fingunt *Saa-uli*; Petropolitanis *Moraenka.*

Jacutis *Biljinà.*

Ostiacis *Aûlàch.* Samojedis *Angu.*

Camtschadalis a voce *Aangytsch.*

Coraecis *Aalyk.* Curilis *Aanga.*

In borealibus, praesertim maritimis Rossiae et totius Sibiriae, secundum glacialem oram pariter et orientalem Oceanum, frequentissima. Ad primum in arcticis gelu, sub finem Septembris, paulo

temperatiores latitudines, ad 60°. latitudinis, quaerit, ubi perbreve tempus gregatim commoratur, brevique mora in lacubus et fluviis facta abit, verosimillime trans Oceanum in Americam migrans; in australioribus enim nunquam visa est. Adventat in Camtschatca inter primas, praecursor A. histrionicae, unde a Camtschadalis etiam *Kajûr*, i. e. auriga vel ductor cognominatur. Incubantibus circa lacus et paludes maxime boreales foeminis, mares abeunt ad Oceanum glacialem, plumas mutaturi, cui tantis gregibus innatant, ut integros sinus et magna saepe maris spatia tegant. Foeminae interim pullos, in mediterraneis lacubus educant, eosque, summo licet cum vitae periculo, nunquam deserunt. Tandem quum volare didicerunt, cum iis pariter versus mare abeunt, plumas mutaturae, et ingruente bruma aliquantisper in lacus et flumina recedunt. Circa Petropolin et in omnibus Ingriae et Fennoniae lacubus tunc temporis, praesertim Octobri proles illa, parentibus dissimillima, cum matribus, copiose retibus capitur, et in foro cum intermixta A. Colymbi, prostat sub nomine *Ljesnoi Tschirok* (Querqued. sylvatica), suntque minus pisculentae, quam adulti mares, forsan quod potissimum insectis aquaticis nutriuntur in prima aetate. Sunt autem omnes pinguissimae. Caeterum haec species urinatur egregie et continuo, adtracto collo, semi immersa aquae innatat, siccum exit nunquam, quia pedibus ad gradiendum uti nescit. Icon a *Cel. Lepechin* edita, situm corporis, quem in sicco positae retinent, apprime exprimit.

Descr. *Varietates*, non solum secundum sexum et aetatem, sed etiam inter adultos *mares*, plurimae. Constantissima his nota *rostrum* breviusculum, fascia fulva vel coccinea iter nares et unguem notatum, et cauda acuminata. *Magnitudo* circiter Penelopes. *Rostri* maxilla inferior laxe recepta superiore multo latiore, fornicata, seu testudinata, intus lamellis vix ultra viginti vel et paucioribus den-

tata; inferioris lamellis medio divisis fere triginta. Plumae frontales circa rostrum semicirculo terminatae. *Irides* rubrae. *Color* inconstantissimus, et praeter varietates *Edwardsio* delineatas, et pro diversis speciebus falso habitas, innumerae dantur aliae. — Inter masculos qui ad *priorem* (α.) iconem Edwardsianam, (capite proraque nigricantem, alis spuriis ferrugineo-virgatis) accedunt, sunt quibus area circa oculos latius alba, ut vix angusta linea fusca per verticem excurrat. In pectore color niger saepe usque ad alvum producitur. *Rectrices* mediae saepe fere 9″. proximae 6″. 6‴. in aliis mediae vix ultra 4″. Quibusdam area circa oculos cinerascit, sed occiput album et plumae sparsae infimae cervicis. *Posteriori* iconi similem, in citeriore Sibiria et Rossia rariorem, sed vulgatissimam in orientalibus, praesertim circa Camtschatcam, varietatem, ita descripsi: *Caput* et *collum* alba, macula magna per aures utrinque nigra; Infimum collum nigro squamatum. *Dorsum* totum et *jugulum* ad medium pectus atra; reliqua *subtus* alba. *Alae* spuriae parvae, albo variegatae, pinnis majoribus albis. *Alae* etiam subtus nigrae, *speculo* (quod interiores remiges constituunt) brunnescente (idque constanter in omnibus varietatibus). *Cauda* cuneiformi-acuminata; *rectrices* 14. mediae nigrae, proximae albo-marginatae, laterales utrinque 4. albae. *Pedes* antice livido-albescentes, articulis, membrana, tibiisque postice fuscis (*). *Pondus* bilibri majus, saepe sesquitrium. *Mensurae* ud uropygium 1′. 1′. 3‴. rostri 1″. 7‴. rectricum mediarnm 5″. 11‴. lateralium 2″. 1″. expansarum alarum 2′. 2″.

(*) Alia *varietas* mihi in schedis descripta: *prora* tota, usque ad ventrem nigerrima, *area* oculorum ad rostrum usque late alba, ut angustus in fronte isthmus niger supersit. *Rectrices* mediae 8 pollicum. Jis, quibus prora alba, praesertim Camtschaticis, alae spuriae pennae tantum albae, interdum nigro virgatae, sed nulla ferrugine marginatae.

2‴. ulnae 8″. 7‴. tibiae 1″. 6‴. digiti medii et exteriores 2″. 1½‴. *Labyrinthus* tracheae nucis moschatae mole, haemisphaericus in mare. — *Foeminae* constantior color: *Area* utrinque semicircularis, inter rostrum oculosque alba; per verticem angusta fascia nigra ad rostrum extensa; tractus albidus ab oculo utrinque versus cervicem. *Collum* fuscum, medio utrinque area lata, cinerascente alba, transversa. (Quaedam foeminae, in Sibiria, capite, collo et corpus subtus totum alba, tempora, medius vertex et parotides leviter fuscescunt. Cauda semper abbreviata) *Corpus supra* fuscum, gryseo squamatum, *subtus* album, cinereo-nebulosum. *Caudae* rectrices laterales albae, mediae parum elongatae. — *Infantilem turbam* in Ingria autumno copiosam sic descripsi: *Rostrum* basi, praesertim lateribus lividum, apice nigrum, forma ut et habitus corporis, parentum. *Irides* lutescente-fuscae. *Vertex* obsolete niger; *gula* lateraque capitis cinereo-fusca; *latera colli* et *litura* pone oculos e cinerascente albidiora, in quibusdam candicantia. *Dorsum* et *alae* exsoletius nigra; in quibusdam interscapulium limbis fuscis vel gryseis subsqamatum. Omnibus *alae spuriae* marginibus plumarum olivaceo-fuscis vel subgryseis inquinatae. *Speculum* alare nullum. *Remiges* 26. canae. *Alae subtus* fusco-fuliginosae, compositae vix uropygium excedentes. *Cauda* acuta, rectricibus 14. fuscis, mediis 2. nigrioribus, detritis. *Subtus* corpus album, *Jugulo* gryseo fuligineoque nebuloso, lateribus fuscescentibus. *Pedes* livido seu coerulescenti-albidi, articulis membranisque fuscis; *Palmae* longae, *tibiae* curtae, exterior medio fere longior, *interior* brevis et fimbria biloba latiuscule alatur, ut et *posticus*. In masculis pullis *genitale* breve 5‴. lumbriciforme, subcontortum, laeve, inter ani rugas introrsum repositum. *Mensurae* maximis ad uropygium 12″. 6‴. rostri 1″. 5‴. caudae 2″. 3‴. a summo rostro ad humeros 6″. expansarum alarum

2′. 2″. 6‴. compositarum 8″. 2½‴. tibiarum 1″. 3‴. digiti medii et externi 2″. ½‴. interioris 1″. 8‴. postici 7″. In paucioribus foemellis area circa oculos albicat, cinereo-nebulosa; vertex longitudinaliter niger et macula ovalis supra aures nigra; collum subtus longitudinaliter a gula nigricat, sed medium, praeter angustum tractum nigrum, lata albedine cinctum. — Diffusior esse debui, ne species ex his varietatibus loci et aetatis multiplicentur, viso uno alterove specimine in museis.

354. ANAS *caudacuta.*

A. cauda elongata acuminata, capite colloque fuscis vitta utrinque alba, speculo cupreo.

Anas caudacuta auctorum, *Frisch. av. tab.* 160. mas.

Anas longicauda, *Brisson. orn. VI. p.* 369. *tab.* 34. optima.

Pintail'd Duck, *Zool. brit. p.* 156. *sp.* 15. *tab.* Q 8.

Anas acuta, *Lin. syst. XII. p.* 202. *sp.* 28.

Canard à longue queue, *D'aubent. pict. tab.* 954.

Pintailed Duck, *Penn. Zool. brit. II. p.* 286. *Zool. arct. II. p.* 566. *n.* 500. *Latham. av. VI. p.* 526. *n.* 72.

Rossice *Sujas* et *Schilochwost* (cauda subula); Mangaseensibus *Kossatschka* (caudata).

Wogulis *Kirte.* Ostiacis beresoviensibus *Kurèk*; ad Surgut *Kógert.*

Buraetis *Schurung.* Tungusis *Schedschit. Tschótschal.*

Coraecis *Heitschogatschi.*

Camtschadalis *Kagachynatsch*; aliis *Kuineplem*; Ukinzis *Heitogali.*

Curilis *Pakarichu* vel *Aagi.*

In Rossia et omni Sibiria, usque ad Camtschatcam et in insulis vulgaris Anas, quae pariter in borealibus ac in temperatis, circa aquas, nidificat. Migrat versus austrum, circa mare caspium et

nigrum copiose hybernat, et cum Boschade et Penelope e primis redit in terras. *Nidum* intus sternit lanugine propria fusca, quae teneritudine, levitate et elasticitate pretiosae A. marinarum lanugini neutiquam cedit. *Nidus* in ripis, inter frutices, e congestis herbis, cui, ut congenerum plurimae, extenso collo incumbit foemina, proximeque admittit hominem immobilis, ut fallat. *Ova* albissima, vel pallida, saepe ad 9, magnitudine et facie gallinaceorum, longa 2″. diametro 1″. 5‴. Stultior aliis, copiose in retia involare solet. Mare frequentat gregatim, tranquilla tempestate vocibus non inamoenis concinens.

Descr. *Magnitudo* infra Boschadem, *habitus* multo gracilior, colloque longiore et praetenui, magis quam in ulla alia congenere, unde ob colorum variegationem et caudam elongatam Germanis jure A. phasianoides appellata. *Rostrum* longius, nigrum, area utrinque coerulescente ab ungue longitudinali, versus basin latescente, subtriangulari. *Irides* fuscae. *Caput* cum initio colli fuliginoso-fuscum; *tractus* temporalis virescente nitidus; *fascia* longitudinalis per cervicem nigra, secundum quam utrinque *vitta* alba versus caput excurrit. *Subtus* corpus album, *crissum* atrum, utroque margine album. *Dorsum* cano fuscoque eleganter undulatum. *Alae spuriae* nigrae, cano alboque virgatae. *Alae* canae, *speculo* ex atro-viridi et cupreo variante, supra infraque nigro, antice ferrugineo postice albo marginato. *Cauda* rotundata-canescens, *rectricibus* 4. mediis longissimis, acuminatis, nigris. *Pedes* coerulescente-nigri, *ungue* medio extrorsum incurvo. *Pondus* 2¼ ad 2½ libr. *Mensurae* ad uropygium 1′. 6″. 6‴. rostri 2″. 3‴. (ejus latitudo 9‴.) caudae in mare 6″. 7‴. foeminae 3″. 11‴. tibiarum 1″. 9‴. digiti medii 2″. 3‴. *Genitale* masculi omnium maximum, extensum usque ad 6 pollices longum, crassitie fere calami scriptorii, in laxas spiras contortum, rugis argutis, subobliquis,

annularibus imbricatum, suffultum lamina ad basin cartilaginea, intra orificium ani. — *Foemina* scolopacea, pallidior et elegantior foemina Boschadis; *cauda* acutissima, nec elongata; *speculo* alári exsolete fusco; *subtus* cinereo-nebulosa, hypochondriis fusco albidoque doliatis.

355. ANAS *clypeata*.

A. rostri extremo latissimo, dentibus lamellosis setaceo-flexilibus.

Anas latirostra seu clypeata, *Frisch. av. tab.* 161. Mas, 163. foemina.

Anas clypeata, *Brisson. orn. VI. p.* 329. *tab.* 29. *fig.* 1. *Lin. syst. XII. I. p.* 200. *sp.* 19.

Shoveles, *Pennant. Zool. brit. p.* 155. *sp.* 14. *tab. Q.* 4. *Zool. arct. II. p.* 557. *n.* 485. *Latham. av. VI. p.* 509.

Souchet, *D'aubent. pict. tab.* 971. mas, 972. fem.

Rossice *Soksún* (: a voce :) item *Schirokonòs* (latirostra), *Plutonòs*; Malorossis *Luponossaja*.

Vogulis *Toktoch*; Ostiacis Beresoviens. *Logali*; Surgutensibus *Lukkol*; ad Narym *Soeka*.

Samojedis *Saau-tula* (i. e. oculi ignei).

Mongolo-buraetis *Galbun* (cochleare).

Tungusis *Schopkol*; Lamutis *Lon*.

Coraecis *Ualpiguli*.

Camtschadalis *Tscheptschinu* et *Tschaptschen*.

In Rossia et Sibiria omni frequens species, sed ob pisculentam rancedinem delicatioribus mensibus neutiquam adhibenda offa. In australioribus et arcticis aeque vulgaris, stagna et lacus frequentans, ni proli piscium infesta. *Nidus* humi. *Ova* alba-gallinaceis subpara.

Descr. Notissima species et e rostro facile agnoscenda, ut descriptione fere non egeat. *Irides* flavae. *Rostrum* olivaceum, extremo dilatato scutiformi, dentibus creberrimis, tenuissimis, flexibus margine lamellosum. *Caput* et *collum* ultra medium fusca, nucha et cervice violaceo-nitentibus. *Inferius* collum *jugulum*que album, sed in quibusdam collum guttatum; juguli latera circulis fuscis eleganter squamata. Truncus *subtus* totus brunneo-ferrugineus. *Subcaudales* atrae, viridi nitentes. *Alarum* bases dilute cyaneae, *speculum* viride, anterius alba, postici nigricante marginatum. *Cauda* brevis, rotundata, pennarum 14. *Pedes* parvi, aurantii. *Foemina* scolopacea, alis tamen versicoloribus mari simillima, pedibus luteis. *Pondus* bilibri semper aliquot unciis inferius. *Mensurae*: ad uropygium 1′. 2″. 0. rostri 3″. (ejus latitudo extremitate 1″. 2½‴.) caudae 3″. expansarum alarum 2′. 6″. 0‴. compositarum 9″. 4‴. tibiarum 1″. 4‴. digiti medii 2″.

356. ANAS *mersa.* *TAB. LXXIII.*

A. rostro basi tuberoso, cauda cuneiformi angustipenni rigida.

Anas mersa, *Pall. itin. II. append. n.* 29. *tab. H. Lepech. itin. III. Falk itin. III. p.* 349. *n.* 75. *tab.* 23.

Spanish Duck, *Pennant. Gen. av. p. tab.* 54. *Latham. av. VI. p.* 525.

Ural Duck, *Latham. av. VI. p.* 514. *n.* 59.

Rossice in Sibiria *Sawka sinonossaja.*

In lacubus vastis camporum Barabensium, Ischimensium et Isetensium frequens, observata quoque in lacubus Sarpensibus et mari caspio. Toto corpore immersa, eminente solo collo cum juguli parte, natat expeditissime et urinatur, caudam pro gubernaculo adhibens; in sicco ingredi nescia, propter pedum situm posticum,

imo ineptius, quam Colymbi reptat. Stupida caeterum et mordacula. Aegre subvolat parvis alis. *Vox* vulgo subgrunniens, rauca brevis (cha-cha), interdum singularis, quasi *Sawka-ulu* sonans. Anas africanus capite albo, rostro crasso coeruleo apud *Shaw* (itin. ed. gall. I. p. 329.) videtur eadem vel admodum affinis species.

Descr. Magnitudo fere infra coecam, sed corpore latior. *Rostrum* magnum, latum, livido-cyaneum (*); basi supra nares, praesertim lateraliter tumida, subdidyma, inaequaliter cavata, duobus angulis nudis in frontem excurrente; extremo planiusculum, substrigosum. Margo *superioris maxillae* acie argutus, ad angulum oris *excisus*, *papilla* coerulea in ipso angulo. *Inferior* maxilla multo angustior. *Nares* patulae, oblongae, perviae, crasso labio marginatae. *Lamellae* rostri grossiores. *Irides* fuscae. *Caput* usque ad cervicem album, *area* magna verticis et palpebris nigris. *Collum* medio atrum, nigredine inaequaliter diffusa. *Prora* tota corporis obscuro-ferruginea, nigro undulata, pulverato-conspurcata. *Scapulae* et *alae spuriae* canae, fusco-pulveratae, ferrugineoque nebulosae. Truncus subtus totus et postica dorsi nigrent, gryseo conspurcata, et cano nitore splendentia; sed extremum uropygii tegetesque caudae intense rufa, nigro conspurcata. *Alae* parvae, uropygium haud aequantes fuscae; brachia supra, vestitrices et tegetes secundariae 15. apice, remiges secundariae exterius cano pulveratae. Subtus tectrices canescentes, secundariae sensim remigibus vix non aequales. Sub humeri basi pennae sex angustissimae, albae, rectae, remigum fere longitudine, sub alis spuriis, singulares. *Uropygium* elongatum: *Cauda* longa, rigida, angusta, cuneiformis, ut Phalacrocoracibus, constans

(*) Coloris mutationem in rostro, a terrore incusso, de *Cl. Falk* l. c. mihi non observare datum est, licet vivam aliquoties habuerim.

rectricibus 18. nigris, angustis, sensim decrescentibus. *Pedes* pone aequilibrium, femoribus retrorsatis, uropygio parallelis, fusci, antice articulationibus coerulescentibus; *Digiti* longissimi, exterior medio subaequalis, posticus alatus, oblongus; *Unguiculi* acuti nigri. In juniore (*TAB.* - -) rostrum nigricat, maxilla inferiore livescente, marginibus albidis. *Gula* usque ultra parotides alba, lineaque subflexuosa alba, a loro sub oculis versus nucham ducta, et albedini gulae cohaerens. Latera cervicis albido pulverata. Reliqua fere ut in adultis. *Rectrices* apice praemorsae, scapo nudo, incrassato, albo. *Pondus* vulgo sesquilibre, vel librae medicae cum 8 unciis. *Mensurae:* ad uropygium 1 ped. 11 lin. rostri 1''. 10½'''. caudae 4''. 2'''. expansarum alarum 1'. 10''. 6'''. ulnae 6''. 3'''. tibiae 1''. 4'''. digiti medii (cum ungue 3¾'''.) 2''. 10'''. exterioris (c. ung. 2⅔''') 2''. 8'''. interioris (c. ung. 3⅓''') 2''. postici (c. ung. 1⅔'''.) 10'''. *Costae* utrinque 8. unde crates thoracis latera etiam alvi includunt. *Trachea* calamo tenuior, ante thoracem leviter dilatatus, ad pennae cygneae amplitudinem; sed *labyrinthus* nullus, tantum basis bronchiorum paulo dilatata, cartilaginea. *Intestinalis* tractus 5 pedes cum 8 poll. aequat; *sinus* coecus impar mucosus, granum tritici aequans, distantia 3 ped. 3 poll. a pyloro, et *coeca* duo bipollicaria sesqui quatuor pollices ab ano distant. *Ventriculus* mole juglandis, triturans. *Cystis* fellea amygdali mole. *Testes* forma oblonga, flavi, mole paulo supra nucleum dactyli. *Genitale* maris insigne, crassum, spirale, papillis subulatis duris, ut in ruminantium buccis, muricatus ut in Icone maris figura adjecta naturali magnitudine exprimit.

LV. MERGI.

Mergorum species europaeas tantum tres observare potui, quae secundum aetatem et sexum ita variant, ut Ornithologis, qui e museo leges dare amant, multiplicandi nomina materiam praebuerint; fideliter duces sectante compilatorum indefessa et nominum numero exsultante turba. Sit ergo maxime in hoc genere species minuisse nostrum officium, quod, ubi Natura jubet, in multiplicando et distinguendo lubenter ponimus.

357. MERGUS *Merganser.*

M. crista occipitis erectiuscula simplicis capite discolore.

Merganser capite nigro, *Frisch. av. tab.* 190. mas.

Merganser auctorum, *Marsil. Danub. V. tab.* 37. *Brisson. orn. VI. p.* 231. *tab.* 22. *Penn. Zool. brit. p.* 147. *sp.* 1. *tab. NN*.* optima *Zool. arct. II. p.* 537. *No.* 465. *Latham. av. VI. p.* 418. *n.* 1. *mas.*

Mergus Merganser, *Lin. syst. XII. I. p.* 208. *sp.* 2.

Harle, *D'aubent. pict. tab.* 951. mas. 953. Foem.

β. Merganser capite rufo, *Frisch. av. tab.* 191. foemina.

Merganser cinereus seu Castor auctorum, *Brisson. orn. VI. p.* 254. *tab.* 25.

Mergus Castor, *Lin. syst. XII. I. p.* 209. *sp.* 4.

Dun-diver, *Penn. Zool. brit. quart. II. p.* 557. *tab.* 92. *fig.* 2. *Latham. av. VI. p.* 420. *n.* 2.

Rossice *Krochàll.*

Tataris *Balactschà* et *Ssus-chas.* Baschkiris *Kósche.*

Votiacis *Basùk;* Siraenis *Momra;* Vogulis *Njaltop;* Ostiacis ad Ob fl. *Koss* et *Kuss*, ad Ket fl. *Sai*, ad Jeniseam *Hool.*

Lamutis *Oetky;* Tungusis *Otschin* et *Otschigal.*

Buraetis *Alaktschin.* Samojedis *Njaebu.*

Coraecis *Jallal.* Curilis *Túipe.*

Camtschadalis *Tyltyl;* occidentalibus *Tettal.*

In lacubus et fluentis piscosis totius Rossiae et Sibiriae frequens est; cum anatibus migrat et e primis vere adventat solitarius. Hybernat etiam passim locis fluminum non conglaciatis. *Ova* usque ad octo alba, gallinaceis similia, sescuncialis ponderis, in nido textili inter arundines. Mater cum pullis natat, qui nondum urinantur.

Not. Avis notissima: *Mas* capite, cum initio colli, atro viridi sericeo; *foemina* rufo, sed gula alba. Huic masculi primo anno similes, unde nata synonyma auctorum sub *β.* recensita et *Raji* dubium quoad labyrinthum (*syn. p.* 135.). In omnibus nucha cristata pennis strictis dependentibus, arrigiuis, quas *Brissonii* icon non expressit. Alarum *area* in *maribus* magna, alba, postice concamerata strigis longitudinalibus nigris, quae sunt remigum secundariarum margines; in *foemina* speculum alare plane album. *Rectrices* in utroque octodecim, cinereae. *Pondus* saepe quadrilibri majus. *Trachea* in maribus bis ampullata extra thoracem, intra pectus instructa labyrintho maximo, trilatero, fenestris membranaceis. *Mares* secundo anno *Mergum cinereum Brissonii* referunt, tumque perfectos demum colores acquirunt.

358. MERGUS *Serrator.*

M. crista nuchae simplici dependente, capite discolore, jugulo ferrugineo punctato, rostro tenuissimo.

Merganser pectore rufo, *Albin. av. II. tab.* 101. *Edward. av. II. p. tab.* 95.

Merganser cristatus, *Brisson. orn. VI. p.* 237. *tab.* 23.
Lesser Dun Diver, *Zool. brit. p.* 147. *sp.* 2. *foem.*
Redbreasted Merganser, *Penn. Zool. arct. II. p.* 537. *n.* 466.
Latham. av. VI. p. 424.
Mergus Serrator, *Lin. syst. XII. I. p.* 208. *sp.* 3. cum synonymis.
Harle hupér *D'aubent. pict. n.* 207.

Rossice *Morskoi Krochàl* (marinus Merganser).

Buraetis *Angatu.* Tungusis *Tótscha.*

Reliquis plerisque populis communi cum Mergansere appellatione.

In mediterraneis raro apparet, nisi in vastis lacubus Barabensium camporum et Baïcale. Frequentior in borealibus Sibiriae, circa Obum, Jeniseam, Lenam et reliquos magnos fluvios. Copiosissima in Baïcale ubi a Tungusis, una cum Cygno, pro sacrata ave habetur, et in sacris eorum e ferro ruditer effictae imagines ejus habentur (Conf. *Georgi itin.* Tom. I. p. 279. t. 3. fig. 5.). Cauta avis est et urinatrix egregia. Magnis gregibus natant et piscantur in societate, circulo facto versus ripas vadosas piscem compellentes, tumque omnes simul mersae coactam praedam diripientes. Quibus nihil contigit, ii prius emergunt, omnes diversis locis.

Descr. Mergansere paulo minor, *rostro*que tenuiore, cylindrico, rubro, supra longitudinaliter fuscescente. *Caput* in annossioribus totum atrum, viridi sericeum, palpebris albidis: *Crista* nuchae stricta, plumis setaceis, longitudine capitis. *Collum* medium album, ducto cervicali nigro; *dorsum* nigrum; *jugulum* testaceo ferrugineum, fusco-lituratum. *Subtus* corpus album, hypochondriis, uropygioque cano fuscoque undulatis. *Cauda* rotundata, cinerascente-fusca, rectricibus 16. vel 18. extremo obsoletis. *Alae* nigrae area magna, rhombea, alba baseos; *remiges* primariae nigrae, itemque secunda-

riarum exteriores; intermediae cum tectricibus albae, basi nigrae, intimae quatuor albae, margine exteriore atro. *Ala spuria* atra. *Plumae* ad juguli latera, quae humeri flexuram compositis alis includunt, disco albae, margine undique atrae. *Pedes* rubri. *Pondus* infra quatuor libras. *Mensura* ad uropygium 1'. 6''. 0'''. caudae 3''. 6'''. rostri 2''. 7'''. Ulnae alarum 8''. 9'''. tibiarum 1''. 6'''. digit medii 2''. 5'''.

Varietates in hac specie crebrae, secundum aetatem, sexum: *Biennes* plerumque litura ferruginea utrinque in genis. *Foeminae* et *pulli* capite toto ferruginescente, fuscoque variegato; collo toto lutescente, cum lituris fuscis.

359. MERGUS *Albellus.*

M. crista occipitis tricarinata, rostro conico, coerulescente, macula ad rostrum nigra, cauda cana.

Albellus, *Albin. av. I. p.* 85. *tab.* 89.
Anas cruciata, *Frisch. av. tab.* 172. mas.
Merganser cristatus minor s. Albellus, *Brisson. orn. VI. p.* 243. *tab.* 24. *fig.* 1. mas, *fig.* 2. foemina.
Smew, *Penn. Zool. britan. p.* 148. *tab. N.* mas *N*1. foemina. *Zool. arct. II. p.* 531. *n.* 468. *Latham. av. VI. p.* 428. *n.* 5.
Mergus Albellus, *Lin. syst. XII. I. p.* 209. *sp.* 5. cum omn. synon.
La Piette, *D'aubent. pict. n.* 449.
β. Weeselcoot, *Albin. av. I. p.* 77. *tab.* 88.
Merganser stellaris, *Brisson. orn. VI.*
Mergus glacialis, *Brünnich. orn. n.* 99.
Redheaded Smew, *Zool. brit. p.* 148. *tab. N*2.

Mergus minutus, *Lin. syst. XII. I. p.* 209. *spec.* 6. *Latham. av. VI. p.* 429. *n.* 6.

Harle étoilé, *D'aubent. pict. n.* 450.

Rossice *Lutok* vel *Paganka* (impura); venatoribus *Utka rybatschka* (Anas piscatrix); Malorossis *Nyrok.*

Tataris *Magatsché* vel *Kiriiter - mar - urdak.*

Siraenis *Semtschir.* Vogulis *Simsjar.* Ostiacis ad Obum *Simsaer*; ad Surgut *Kytschaki*, ad Narym *Konnali.*

Samojedis *Chalingchat* (Piscator).

Tungusis *Momra.*

Coraecis *Jalálgalgapin.*

Camtschadalis *Sóalukytschi;* Ukinzis *Olool* vel *Olootsch.*

Per omnem Rossiam et Sibiriam, ad orientalem usque Oceanum, in maritimis pariter et mediterraneis aquis frequens avis, e primis aquaticis (in australibus jam sub finem Februarii vel certe Martio) glacie nondum soluta, foeminae quidem priores, adventant, unde Belgis *Weuwtja* (vidua) appellatur. Facile dignoscitur e tinnitu quem inter volandum alis continuo iterat et propter quem Belgis etiam *Belduyker* vocitatur. Pisculentissima avis, etiam Rossis non facile edulis, qui pisculentas anates non respuunt. *Nidulatur* saepe in celsis arboribus et in truncis cavis.

Descr. Mas senior pulcherrimus. *Rostrum* crassius, quam in congeneribus, magisque conicum, coerulescens, ungue et inferiore maxilla nigris. *Corpus* nive candidius. *Area* utrinque ovalis, atroviridans, inter rostrum et oculos. *Nucha* cristulis longitudinalibus tricarinata, lateralibus subauritis, interjecta cristis fasciola gemina obliqua, atro - viridante. *Dorsum* binaeque virgatae maculae, jugulum semiambientes, nigrae. *Uropygium*, *cauda*que cano - fuscescunt, ut et remiges intimae. *Rectrices* 16; *Ala spuria* nigro - alba; *Alae*

nigrae, area magna obliqua baseos alba; *speculum* (e remigibus tectricibusque intermediis aterrimis, apice albis,) atrum, linea tenui posticoque margine album. Subtus alae basi albido fuscoque striatae. *Pedes* coerulescentes. *Pondus* subbilibre vel unciarum x x.

β. *Mares* vere post nativitatem primo foeminis subsimiles, sed magnitudine fere masculorum, seniorum; *capite* obsolete ferrugineo, vix cristato; *area* sub oculis et usque ad rostrum nigricante; *gula* late alba; corpore *supra* nigricante, canoque nebuloso, *subtus* albo; *area* baseos alarum, speculoque aterrimo, striga, posticeque albo-marginato; alis spuriis, uropygio, caudaque 14 pennis composita, canis. Ex his auctorum synonyma β.

Foeminae multae, cum annosis et anniculis vere sociae, longe minores his, a *juniore* masculo tantum *defectu areae* ad rostrum et oculos fuscae distinguendae, alias simillimae, sed vix pondus unius librae aequantes. *Rectrices* his a 10. ad 14. observavi. *Pondus* unius librae. His ulna alarum 6″. 3‴. prioribus 7″. 2‴. rostrum 1″. 3‴. istis 1″. 6‴. — Minimarum tota longitudo 11″. 9‴. expansae alae 1′. 7″. 7‴. tibiae 1″. digitus medius (cum ung. 3‴.) 2″. 1‴.

360. MERGUS *cristatus*,

M. niger, ventre albo, crista occipitis dependente concolore.

Ex insulis Oceani orientalis pauca specimina rarae hujus avis retulerunt *Navarcha. Jos. Billings* et *D. D. Merck.*

Descr. Magnitudo supra Albellum. *Rostrum* fuscum, apice flavescens, mandibula flavescente, apice pallida. *Irides* gryseae. *Corpus* opaco nigrum, pectore et ventre albis. *Caput* laxius plumosum, crista per cervicem descendente. *Pedes* rubri. *Remiges* 26. *Rectrices* 14. Mensura ad uropygium 18 poll. rostri 2″. 4‴. expansarum alarum 2 ped. 9 poll. Specimen pro acuratiore descriptione nunc non ad manus.

LVI. PELECANUS.

Pelecanos, cum *Brissonio*, a *Phalacrocoracibus* et *Sulis* distingui debere autumo eodem jure, quo Grues, Ciconias et Ardeas, vel Cygnos, Anseres et Anates, valde licet affinia genera. Quamvis enim pedibus, quos vocant *plancos*, seu omnibus quatuor digitis membrana palmatis nec non defectu linguae et narium, congenitaque quadam turpitudine, inter se conveniant et ab omnibus aliis aquaticis differant, tamen in forma rostri satis evidentes, pro determinandis generibus, characteres apparent. Et si in hoc priore, certe in reliquis duobus generibus non deest specierum numerus, charactere rostri simillimarum. *Sulas* praeterea vivendi et piscandi modus et volatus expeditior, ita a Phalacrocoracis turpi genere distinguit, ut nihil expeditius. Unica tantum Pelecani species in Europa occurrit:

361. PELECANUS *Onocrotalus.*

P. albus, remigibus nigris, rectricibus extremo fuscescentibus.

Onocrotalus seu Mergus Olor, *Frisch. av. tab.* 185.

Onocrotalus, *Edward. av. II. tab.* 92. mala. *D'aubent. pict. tab.* 87. *Marsil. Dan. V. tab.* 35.

Vogel Babbe, *De-Bruyn. it. Mosc. p.* 439. *icon.*

Pelecanus Onocrotalus, *Lin. syst. XII. I. p.* 215. *sp.* 1. *a. Brisson. Orn. VI. p.* 519. *sp.* 1.

White Pelican, *Penn. Zool. arct. II. p.* 578. *Latham. av. VI. p.* 575.

Rossice *Baba ptiza* (anus avis).

Arabice *Kerkes.*

Persice *Murgi-Saefit.*

Tataris *Berkasán.*

Armenis *Kyschkar-dàk.*

Morduanis *Babanarman.* Tschuvaschis *Pyrchuràn.*

Calmuccis *Chorda;* Mongolis *Chódang.*

Tungusis *Kutan.* Malabaris *Mâdapra* (*).

Nullibi copiosior avis, quam in sinubus pigris arundinosis Paludis Maeotidis, Bosphori Cimmerii et praesertim maris Caspii et Araliensis lacus, unde et flumina majora ad aliquot centena stadia adscendunt et stagna finitima frequentant. In deserto tatarico majores lacus parciore numero colunt, rariusque in Isetensium, Ischimensium et Barabensium camporum aquosis, interdum et circa Baïcalem lacum Sibiriae orientalis apparent; frequentius in lacu Dalai Davuriae. Phalacrocoracibus immixti vivunt Onocrotali, cum iisdem in ripis quiescunt, pluresque simul piscandi gratia, praesertim matutinis horis, in sinus et lacus congregantur, ubi innatantes, in circulum dispositi, expansis longissimis alis aquam verberant, compulsosque in vadosos sinus pisces dilatato rostri sacco hauriunt, praesertim majores, dum minorem praedam internatantes et urinatores Phalacrocoraces praeripiunt agilitate summa. Magnum piscem Onocrotalus saepe dimidium deglutit, et patienter expectat, donec pars ingluvie contenta a septica ejus vi dissolvatur. Minoribus voraginem et saccum gulae replent, tumque cibum per diem maxime coquunt, vesperi denuo piscaturi. Nunquam urinantur. — Ex aqua graviter subvolant, diu terram legentes; sed in aëra elevati placide et diu volant, attracto collo, rostrum horizontali situ ingluvie suffulcientes. *Remiges* licet peramplo tubo, substantia tamen tenuissimae, pro delineando egregiae. Advolant primo vere; hybernant in australio-

(*) *Missions berichte vol. II. contin. p. 1054. n. 12.*

ribus Asiae. *Nidum* condunt in arundinetis vastissimis, congesto magno tumulo arundinis et ejusdem radicum, quibus paniculas superinsternit. *Ova* cygneis minora, nivea, ovato-ablongiuscula, axi 3″. 8‴. diametro 2″. 3⅓‴. Sedent corpore magis ad horizontem inclinato, quam affines Phalacrocoraces, et gradiuntur, quod non illi.

Descr. Rostrum magnum, depressum, lineari-oblongum, simul cum loris nudis et oculorum ambitu lividum; uncus rostri et margines lutescentes. *Oculi* pro mole avis parvi; irides laete gryseae. *Saccus* gulae pallide flavus, venis lividis pictus, cum ramis maxillae dilatabilis, ita ut pueri caput fere admittat. *Linguae* rudimentum, cum osse hyoide parvum, ante glottidem glabram, bilabiatam membranae sacci inhaerens, forma pedunculi reflexi, qui capitulo nutante terminatur. *Caput* pro mole parvum; collum productum, gracile, plumis parvis, teneris, mollibus vestitum et a nucha longioribus subcristatum. *Corpus* vastum, in senioribus niveum, vix humeris cinerascente nebulosis. In *junioribus* interscapulium gryseo-fuscescit, humeri grysei, margine fusci, alae spuriae gryseo-canescentes, pennis nigricantibus. *Remiges* nigrae; primarium 10. extimae 4. extremo angustatae; secundariae 29. cano irroratae, omnes tecta basi albae. *Rectrices* caudae obrotundae 22. aliis 23. basi albae, extremitate fuscae, canoque irroratae. *Pedes* ampli, e pallide flavo coerulescentes; *unguibus* brevibus, arcuatis, convexis, obtusis, *medio* detorto, interiore acie aliquoties crenulato. *Plumae* ventrales acutae, densissimae, molles sed lanugo nulla. *Pondus* librarum 19. ad 25. *Mensura* totius avis a summo rostro ad uropygium 4′. 5″. 3‴. rostri 1′. 0″. 2‴. a summo rostro ad nucham 1′. 3″. 10‴. ad humeros 2′. 8″. 6‴. caudae 6″. 8‴. latitudo extremi rostri 1″. 6‴. ulna alarum 2 pedum; expansae alae 8 ped. 5 poll. tibiarum 4″. digiti majoris

(cum ung. 8‴.) 5″. 1‴. exterioris (7‴.) 4″. 10‴. interioris (7‴.) 3″. 7‴. quarti postici (8‴.) 2″. 7‴.

Anatome: *Cutis* tenuis, laxa, interius inter plumarum infixos bulbos cellulosa arachnoidea telae instar reticulata, pinguedine in toto corpore extus nulla. *Oesophagus* carnosissimus, pugnum facile admittens, longitudine a rictu ad ingluviem 2′. 3″. 4‴. *Ingluvies* ovo anserino major, laxa, longitudine 8″. *Ventriculus* cordiformis, contractus pugno virili aequalis, laxus, panniculosus, cum ingluvie fere continuam voraginem constituens, longitudine 6″. 2‴. *Intestinum* a pyloro ad unum·13 pedes et 6 pollices explet, initio digiti fere par, versus coeca sensim adtenuatum. *Coeca* tripollicari distantia a cloaca, bina, linearia, intestini fere amplitudine, 3″. 9‴. longa, intestinoque longitudinaliter et parallele adnata. *Cloaca* ovo amplior, globosa. *Hepar* duplex; *majus* crassum, bilobum, lobo sinistro minuto; *secundarium* a majore distinctum, duodeno ductuique hepatico adnatum, itidem subbilobum, sed compressum et tertiam circiter partem sinistri lobi majoris aequans. *Ductus bilarii* tres distincti, pollice cum 9 lin. a pyloro inserti: *primus* e magno hepate, mole pennae corvinae, longo tractu descendens, marginemque minoris hepatis perforans; *secundus* ex hepate succenturiato, tenuior; *tertius* e cystide fellea, hepatico priori fere par, bile scatens, licet ductus cyst-hepatici evidenter nulli. *Cystis* ipsa oblonga 1″. 9‴. longitudine, ductu 2″. 6‴. — *Trachea* digiti minimi amplitudine, ad initium ingluviei ad rectum angulum divaricata, *bronchis* primum ipsa trachea angustioribus, dein ex ampliatis in *saccum* depressum, trachea ampliorem, postice area membranacea lanceolari dilatabilem, versus pulmonem contractiorem. — *Musculi pectorales* crassi, sed minus lati quam aliis avibus, nec sternum totum tegentes, quippe relicta utrinque area sterni magna triangulari ossea,

ipsique posterius plaga tendinea plana insignes. *Pingucdo* etiam interna in voracissima ave parcissima.

Not. 1. D. *Melchior Nitschman Pharmac. et Medic. Studiosus* Sareptanus, primo vere, 1797. in deserto ad Sarpam occisum invenit Onocrotalum, cujus, propter insolitum colorem, mihi caput cum collo effarctum et alam expansam communicavit. Videtur provectae aetatis fuisse avis cujus plumae in capite, collo toto corpore, praeter alas supra alborem elegantissimae rosea erant perfusae colore, praesertim parte tecta, ut fere Phoenicopteri colores aemularentur; lanugo etiam in toto corpore erat dilute rosea. Brachia supra vestientes plumae fusco marginatae, subtus plane nigrae. Pedes eidem rubentes. *Rostrum* coerulescente, rubente et flavente varium in ave adhuc recenti; saccus gularis flavissimus, evanido per siccationem colore. *Crista* nuchae insignis. Anne forte ex austro advolans indica avis (Pelecanus roseus, *Sonnerat itin. p.* 91. *tab.* 54)?

LVII. PHALACROCORACES.

Turpe habitu, indole ignavum et stolidum, vitae genere, voracitate et continua diarrhoea foedum et nauseum Phalacrocoracis genus cuilibet Harpyas in memoriam revocare facile possunt. Cum turpitudine et aviditate summa, omnes volatu graves et tardi, sed indefessi, natatu agilissimi et urinatores egregii, pedibus manci et quum sedent uropygio et rigidis rectricibus innituntur. *Rostro* cylindraceo, apice adunco, fere vulturino, sulcato, *narium* defectu, parvitate *linguae*, *pedum* plancorum conformatione et rigiditate *rectricum* pariter atque *remigum*, omnes inter se conveniunt, et a *Sulis* maxime forma rostri discrepant.

362. PHALACROCORAX *Carbo.*

P. ater, capite subcristato, gula nuda, fulvescente, albo cincta, macula femorali alba.

Phalacrocorax et corvus aquaticus *Auctorum, Frisch. av. tab.* 187.

Phalacrocorax, *Brisson. orn. VI. p.* 511. *n.* 1. *tab.* 45.

Pelecanus Carbo, *Lin. syst. XII. I. p.* 316. *sp.* 3.

Cormorant, *Buffon. orn. VIII. p.* 310. *tab.* 26. *D'aubent. pict. n.* 927.

Corvorant, *Pennant. Zool. arct. II. p.* 581. *n.* 509. *Latham. av. VI. p.* 593. *n.* 13.

Rossis, communi cum sequentibus nomine *Baklàn*, quod appellativum etiam stulto homini imponi solet.

Tataris *Kara - baklà.* Calmuccis *Charà - Gülü* i. e. Anser niger; Buraetis *Bahato - Boruktschèn.*

Lamutis *Lúnka.* Tungusis *Syleen.*

Camtschadalis *Kuihuim.*

In Rossiae et Sibiriae stagnis et lacubus mature, non tamen e primis apparent, ex austro, ubi hybernant, advenae. Vulgares usque in Camtschatcam, maxime tamen frequentes in piscosis locis. Plerumque cum sequenti specie promiscue vivit, ita tamen ut coïtu nunquam misceantur. Nusquam major harum avium tumultos, quam in sinubus piscosis maris Caspii, circaque Baïcalem lacum et varios lacus Dauuriae montanos, v. gr. Jeruna, Schakscha, iisque finitimos. Priore loco inter arundines et in insulis planis, in Baïcale et lacubus dictis supra arbores, cum Ardeis, *nidos* e fustibus et virgultis texunt, bipedali diametro, intus arundine, herbis lacustribus, musco, plumisque molliter sternunt et per ambitum saepe pennas anserum

majores collectas radiatim infigunt, quod maxime artificium circa Schakscha-noor miratus sum. *Ova* plerumque tria vel quatuor, rarius quina, anatinis subpara, sed oblongiora, testa rudi inaequali, dilute cyaneo-viridia: longitudine 2″. 4½‴. diametro 1″. 6½‴. Arbores in quibus nidos struunt, a copioso prolis stercore et pisculenta illuvie, quam congestant, certissime pereunt. Quemadmodum gregatim habitant, ita et piscantur et piscatum proficiscuntur, obliquis semper ordinibus volantes, extensis inter volandum collis, qui mos et Graculo. In aqua natant usque ad jugulum immersi atque expeditissime et diutissime urinantur. Sic in nassas piscatorum quandoque intrant et pereunt. In scopulis erecti uropygio insident cauda suffulti, iique scopuli ab illuvie excrementitia quasi calce albati apparent. Circa scaturigines calidas in Baïcalem effluentes, et in australibus circa Volgam, ubi glacies hiat, non raro hyemem transigunt aliqui utriusque speciei. Sed turba major ad austrum in nota loca migrat. Quotquot in Baïcale et vicinis Davuriae lacubus aestivant, autumno ad ostia fluviorum congregantur, quos *Salmo autumnalis* (Omul) subit, cum quo migrant, cibo quasi innatantes, comitibus Laris qui pisces ex aëre jaculantur. Unde piscatoribus promptum indicium viae, quam Salmonum turbae quotidie conficiunt. *Vox* Carboni Colymborum voce clamosior et magis mascula.

Descr. Rostrum cornei coloris. *Spatium* nudum inter oculos et rescissum ultra oculos rictum oris - coccineo - rubrum in Volgensibus et Caspicis, Sibiricis fulvum. *Gula* late nuda, fusca, papillis coccineis et lutescentibus adspersa; magis colorata mari. *Irides* alliaceo-virides. *Circulus* latus albus plumarum ab oculo ad oculum gulam cingit, cui conterminum spatium aterrimum, immaculatum. Reliquum caput et maxime colli initium plumulis linearibus, mollibus, albis, nigras exsuperantibus quasi capillata. *Crista* occipitis

e plumis nigris, elongatis arrigua. *Corpus* splendide aterrimum, subviridante nitore. Dorsi et brachiorum plumae omnes disco fuscae, margine virescenti-atrae. *Area* hypochondriorum ad femora oblongo-rhombea, alba. *Alae* nigrae compositae uropygium aequant: *remiges* 31. priores tres interiore vexillo abrupte angustae. *Cauda* nigra, rigidissima, rotundata, rectricum 14. *Pedes* atri; *unguis* medius interiore margine versus apicem acie serrata auctus, posticus aduncus. *Pondus* librarum 5 ad 7. *Mensurae* a summo unco ad uropygium 1′. 11″. ad humeros 11″. 10‴. rostri ad frontem 2″. 3½‴. ad oris angulos 3″. 4‴. caudae 6″. ulnae alarum 12″. 8‴. expansarum 3′. 9″. ad 4 ped. tibiarum 2″. 2‴. digiti extimi maximi (cum ung. 5‴.) 3″. 4½‴. *Foeminae* adultae vix diversae: rectricibus saepe tantum 12. Praeter *coeca* duo minuta, 4 pollices ab ano distantia, tertium azygon, circa medium totius tractus intestinalis, subpollicare.

363. PHALACROCORAX *Graculus.*

P. corpore nigro subtus fusco, circulo gulae albido.

Graculus palmipes, *Auctorum.*

Corvus aquaticus, *Marsil. Danub. V. tab.* 36.

Mergus strumosus, *Frisch. av. tab.* 188.

Phalacrocorax minor, *Brisson. orn. VI. p.* 516. *sp.* 2.

Pelecanus Graculus, *Lin. syst. XII. I. p.* 217. *sp.* 4.

Shag, *Pennant. Zool. britan. p.* 159. *tab. J* 1. *Zool. arct. tic. II. p.* 581. *n.* 508. *Latham. av. VI. p.* 598. *n.* 14.

Iisdem quibus praecedens nominibus vulgo appellatur. Cum praecedente ubique frequentat aquas et pleraque communia habent. *Ova* virescente-alba. In Baïcale magnis gregibus occurrit, priori non immixtae. In scopulis nudis passim ad littora obviis tanta copia nidulatur, ut rupes undique a stercore prolis dealbatae et incrustatae

appareant, et medio Julii pullorum stolidissimorum, in crisso sedentium, examine tectae sunt, ubi manibus facile capiuntur, licet alis jam pennatis, et e rupibus dejectae natent atque urinentur doctissime.

Descr. Magnitudine priori plerumque non cedit, licet dentur minores et pondus cum magnitudine aeque variet. *Lora, area* oculorum et *gula* nuda, livido-flavescentia. Caput collumque fusco-nigricant, circa gulam circulo albicante. *Dorsi* plumae ut in praecedenti, at minus nitidae; *subtus* corpus nigricat vel fuscescit, medio longitudinaliter albo lituratum, interdum latius album. *Hypochondria* ad femora plumulis aliquot penicilliformibus, albis, vix emergentibus punctata (non in omnibus). *Cauda*, ut in praecedente, rigida, rotundata, pennarum saepe 14. plerumque 12. *Rostrum* paulo tenuius, minusque uncinatum, quae tamen differentia vix apparet. *Unguis* medii (seu secundi) digiti acie obsoleta, minusque crebro serrata. *Plumulae* albae capillares circa caput et collum nunquam ullae. *Longitudo* rostri 3″. 4‴. ulnae alarum 1′. 1″. 6‴. caudae 7″. *Pulli* toti fusco-nigrescentes, halone circa gulam albicante.


364. PHALACROCORAX *pygmaeus. TAB. LXXIV. fig. 1.*

P. corpore nigro, penicillis albis punctato.

Pelecanus pygmaeus, *Pall. itin. II. append. p.* 712. *n.* 26. *tab. G. Latham. av. p.* 607.

In sinubus maris caspii gregaria, cum Carbone et Graculo promiscue habitat, tardius his adventans, cautiorque et non facile occidendus; unde pauca ejus specimina obtineri potuerunt. Advolat cum Plateleis et in ostio Rhymni fl. gregarius passim versatur.

Descr. Magnitudo circiter Querquedulae, in hoc genere minimus. *Rostrum* ut in Carbone, sed tantum margine maxillae supe-



Phalacrocorax pygmaeus.

h
in
ci
D

noris et ramo inferioris usque ad rictum nudis. *Gula* tota plumosa. Forma et pedes axacte P. graculi. *Corpus* in maribus atrum, in pectore et collo cum aliquo virore. *Alarum* vestitrices exsoletioris coloris, margine undique atrae. Circa oculos plumulae ceu *atomi* sparsi albae. Per collum, pectus, latera *puncta* sparsa alba, quae consistunt *penicillis* exiguis, setulae tenuissimae, inter plumas emergenti insidentibus. *Remiges* duae extimae extremo angustatae, minus tamen, quam in Carbone. *Rectrices* 12. rigidae in cauda similiter cuneata et elongata, ut congeneribus. *Unguis* secundi acies ad ½ serrulata. Specimen *Gmelinus jun.* misit, cui color fusco niger, cum penicillis albis sparsissimis circa collum et in hypochondriis *Foeminae*, quas habui totae fuscae, vel obsolete nigrescentes, punctis albis nullis.

365. PHALACROCORAX *bicristatus. TAB. LXXV. fig. 2.*

P. atro-violascens facie tota nuda fulva, hypochondriis albis.

Corvus aquaticus minor seu Graculus, *Steller. MS.*

Uril, *Krascheninikof Camtsch.*

Violet-Shag, *Latham. av. VI. p.* 600. *n.* 16. *Penn. Zool. arct. II. p.* 584. *B.*

Rossis in Camtschatca *Uriyl* seu *Tschernaja Kuropatschka.*

Curilis *Uril.* Coraecis *Gilkul.*

Camtschadalis *Judschgyt*; occidentalibus *Urilkyk.* Aleutis *Ajaschük.*

Hanc speciem *Stellerus*, qui pro Auctorum Graculo eam habuit, copiosissimam in Camtschatcae promontoriis orientalibus, insulis versus Americam sparsis et ipso Americae littore invenit; circa Curilas insulas rarior est. Specimina copiosa ibidem legit *D. D. Merk* et iconem ad vivum fieri curavit. Stolidissima est avis,

facile manibus capienda, imo in manus et naves involans. Stant in rupibus hominum instar erecti (seu crisso insidentes potius), pectore ad saxa et praerupta acclini caudaque rigida sese sustentantes, ne a vento dejiciantur, vel somno sopitae decidant; sunt enim somnolentae aves et capite sub alis condito dormiunt. Deturbatae vero egregie natant et urinantur promtissime et diu. Sedentes laqueo e bacillo pendente collo injecto copiose capi possunt; licet enim videant laqueum, non avolant, sed declinatione capitis tantum evitant, neque capto uno avolant reliqui, imo ne quidem a sclopi vel lapidis ictu. Gregatim volant; Oriente sole et item vesperi, quum exeunt piscatum, ingentem tollunt clamorem, qui e longinquo buccinorum sonum aemulatur. Avidissimae vorant, ut saepe piscium cauda repleta ingluvie e fauce promineat. *Ova* longitudine 2″. 5‴. diametro 1″. 4‴. tria, quatuor, raro sex pariunt, virescente-alba, longitudinaliter quasi lineata materiae excrementitia striis crassioribus. (*Stellerus* in *Nov. Com. Petrop. IV. p.* 423. simpliciter alba dixit). Incubant crisso ovis insidentes. Vitellus ovorum fluidissimus, nauseosus, neque diuturna elixatione durandus, unde Camtschadali contemnunt, et muco narium comparant. *Stercus* fluidum, album creberrime ejiciunt. Deplumari, ut congeneres, ob densitatem plumarum nequeunt, nisi detracta pelle. Carnes viles, elixatae famem pellunt; assatae pessimae, nisi methodo Curilorum, qui praesertim pullos, cum plumis et interaneis in fovea favilla plena assant et dein decorticant. Hybernant in mari, ut sequens circa littora tantum aestate frequentes.

Descr. Carbone minor. *Rostrum* paulo robustius, quam in sequenti, tenuius quam Carbonis, fuscum, basi et inferiore maxilla albicantibus. *Facies* tota circa basin rostri, etiam prima parte frontis et gulae, latius a latere et usque ultra oculos nuda fulva, sed

non carunculata. In medio vertice et iterum in nucha plumae laxae, elongatae specie *cristae*, quod non *pelagico*. *Corpus* totum aterrimum, splendidum, quasi unctum, nitore capitis et colli (praeter cristas viridantes) coeruleo seu chalybeo, alarum violaceo. *Abdomen* minus nitet. Pone basin femorum *macula* utrinque alba, triangularis. *Alae* uropygio breviores: remiges 28. rigidae, nigrae, tertia longissima, 5 priores extremo subangustatae, secundariae extus violascentes. *Cauda* (ut in congeneribus nuda, tectricibus destituta, rigidissima,) cuneiformis, detrita, exsolete nigra, duodecimpennis. *Pedes* nigri; *unguis* digiti secundi interius ad $\frac{2}{3}$ marginatus et crenatus, omnes robustiores quam A. pelagico, et magis adunci. *Mensurae* a summo rostro ad uropygium 1′. 10″. 6‴. rostri ad frontem 1″. 10‴. ad rictum 2″. 9‴. ulnae alarum 10″. 8‴. caudae 5″. 9‴. tibiae 1″. 10‴. digiti extimi (cum ung. 6‴.) 3″. 9‴. secundi (c. u. 7‴.) 2″. 10‴. tertii (c. u. $6\frac{1}{2}$‴.) 2″. 4‴. intimi (c. u. 4‴.) 1″. 3‴.

Not. Pelecanus violaceus, *Pennant. Zool. arct. II. p.* 584. *B. Latham. av. VI. p.* 600. *n.* 16. Gmelin. syst. Lin. II. p. 575. sp. 22. a Pelecano cristato eorundem specie non differe videtur, nec mihi notus hic.

366. PHALACROCORAX *pelagicus*. *TAB. LXXVI.*

P. atro-chalybeus, collo plumulis linearibus albis sparso, loris palpebrisque nudis, rubropapillosis.

Corvus aquaticus, *Morskoi Uril Stell. obs. MS. Latham.*

Rossis in Camtschatca *Morskoi Uril.*

Aleutis *Agajok*, ulterioribus *Ajaschuta.*

Cum praecedente maris Camtschatici orientalis et Americanarum insularum incola, praesertim scopulos a continente longius remotos frequentans ubi et hybernant. Moribus, ut facie, bicristato

valde similis. *Ovum* quoque vix dignoscendum, oblongatum, altero vertice acutiore, virescenti-album, longitudinaliter calcareo excremento lineatum, longitudine 2″. 2‴. diametro summo 1″. 2½‴. Camtschadali fabulantur, hanc avem ideo elinguem esse, quod linguam vendiderit musmoni, ut obtineret ab illo capillos albos, quibus ornata est. Specimina numerosa adtulit *D. D. Merk.*

Descr. Paulo minor fere praecedente, habitu gracili similis, rostro paulo tenuiore, alis paulo longioribus, uropygium aequantibus differt. *Rostrum* nigricans, cylindraceum, tenue, apice uncinatum, basi rubrum. *Facies* tota ante oculos nuda, cum palpebris rubro-papillosa; sed frons et gula plumosa crista nulla. Avis tota aterrima, nitidissima, quasi oleo inuncta: *caput* et *collum* splendore coeruleo, circa verticem viridi variante; *corpus* splendore viridante, coeruleo variante, maxime circa proram. Colli latera utrinque *plumis* longis *setaceis* albis sparsa, inferiore parte crebrioribus; similesque postice per latera dorsi et uropygii sparsae. *Area* magna alba utrinque ad uropygium, supra femorum basin. *Alae* nigrae, corporis splendore; remiges fusco-nigrae, 27. primariarum 2, 3, 4 longissimae, aequales, 1 ad 5 extremo valde angustatae, intimae secundariarum extus viridante sericeae. *Cauda* duodecimpennis, cuneiformis, rigida, detrita, nigra. *Pedes* nigri; *ungue* secundi digiti usque ad apicem interiore margine crenato. *Mensurae* a summo rostro ad uropygium 1′. 8″. rostri a fronte 1″. 10‴. a rictu 2″. 7‴. ulnae alarum 9″. 6‴. caudae 5″. 11‴. tibiae 1″. 10‴. digiti exterioris (c. u. 4½‴) 3″. 2‴. secundi (c. u. 6½‴.) 2″. 7‴. tertii (c. u. 5½‴.) 1″. 10‴. intimi (c. u. 4‴.) 1″. 4‴.

367. PHALACROCORAX *perspicillatus.*

P. ater, facie nuda rubro coerulescentique varia, circulo cutaceo oculos ambiente albo.

Corvus aquaticus maximus, circulo cutaceo lato candido circa oculos, cirratus, *Steller. obs. MS.*

?Redfaced Corvorant, *Pennant. Zool. arct. II. p.* 584. C. *Latham. av. VI. p.* 601. *n.* 17.

?Pelecanus Urile, *Gmel. syst. Lin. II. p.* 575. *sp.* 23.

Hanc speciem *Stellerus* nusquam nisi in Beringii infausta insula, ubi naufragus vixit, observaverat. Copiosissimi ibi sunt, nunquam tamen Camtschatcae littora adeunt. Uti magnitudine, ita et stoliditate congeneres superant, quumque carne sua tres facile famelicos una impleat, magno naufragis solatio fuere. Ob oculorum circulos quasi perspicilla referentes et ob miras, fere histrionicas colli et capitis intorsiones, ridicula admodum avis. Moribus caeterum congenerum.

Descr. „*Magnitudo* Anseris maximi. *Forma* praecedentium, „quos etiam macula hypochondriorum alba refert. *Corpus* totum „aterrimum. *Plumae* rarae, candidae, longiusculae et angustae circa „collum dependentes, ut in Ardeis. Occiput *cirrho* ingenti, arriguo „cristatum. Circa basin rostri *cutis* nuda, cinnabarino, coeruleo, „alboque varia, ut in Gallopavone. Circa oculos velut perspicillum „e cute candida, crassa, ad 6 lin. lata. *Pondus* 12. ad 14. librarum. „*Foemina* minor, crista perspicilloque destistuta.„ *Steller.*

368. PHALACROCORAX *albidus.*

P. albo-cinereus, ventre flavescente, *Steller. obs. MS.*

„Hanc avem„ sunt *Stelleri* verba, „multoties in pilis marinis circa Beringii insulam vidi, ac comminus solerter contemplatus sum.

„Magnitudine, forma, voce, moribus, excepto solo colore, corvo „marino simillima, sed astutior, nunquam enim talia loca eligit, „quae cum continenti cohaerent, verum semper solitarios et sejunctos „scopulos eligit. Semel inter venationem Lutrarum marinarum talem „avem obtinui, in somno ab *Isatide* (Cane Lagopo) captam, et quam- „vis huic praedam eriperem, ac noctu inter mea crura asservarem, „ut sequenti die plenarie describerem; idem tamen fur eam e com- „plexibus meis suffuratus est, cum me lassum alto somno sopitum „sentiret. Facile autem absque prolixa descriptione unicuique avis „notissima erit, qui Graculi palmipedis formam, et colorem titulo „comprehensum conjungat.„ An *Sula Bassana* fuit?

LVIII. SULA.

Unica hujus generis species, eaque rarissime, in maribus nostris arcticis et Orientali Oceano observata est, eadem quae Pelagum borealem Europae circumfluum frequentat et est avis vere pelagica.

369. SULA *Bassana.*

S. corpore albo, rostro subserrato remigibusque primoribus nigris, facie subcoerulea *Lin. syst. XII. I. p.* 217. *sp.* 5.

Anser bassanus *Auctorum.*

Sula Bassana, *Brisson. orn. VI. p.* 503. *tab.* 44. optima.

Fou de Bassan, *Buffon. orn. VIII. p.* 376. *D'aubent. pict. n.* 278.

Gannet, *Pennant. Zool. britan. p.* 160. *tab. I. Zool. arct. II. p.* 582. *n.* 510. *Latham. av. VI. p.* 608. *n.* 25.

Haec avis circa borealem Lapponiae rossicae et Sibiriae oram rarissime observatur. In orientali Oceano *Stellerus* unica vice cum Cane Lagopo pugnantem cepit, in itinere vero Americano saepius in Pelago volantem inter Procellarias vidit.

Not. Historiam hujus avis praesertim illustravit *amiciss. Pennant* in *Zool. brit.* l. c. In littus belgicum post tempestates non raro mortua ejicitur a mari, mihi aliquoties sic oblata. *Rostrum* nigrescit; *os* intus atrum. *Pedes* nigri, anterius per tibias taeniola longitudinali glauco-viridi, quae quadrifica per digitos ad ungues usque decurrit. *Juniores?* supra nigricantes, plumis apice angulo intrante seu puncto trigono albo; *subtus* albi, lituris retrorsum sagittatis fuscis.

LIX. DIOMEDEA.

Alio jam loco docui (*) *Albatrum* proprii generis esse avem, quae inter Catarracten et Procellariam media et utrique affinis, ab ambobus distinguitur: *naribus* tubulosis, non supra basin rostri parallelis, sed e sulco laterali oblique emergentibus, truncatisque; *lingua* exigua; *pedibus* tridactylis pone aequilibrium positis. Docui, nullo horum characterum, neque ullo momento convenire illi cum *Sphenisco Brissonii*, quem *Linnaeus* eidem consociavit, quique cum reliquis brachypteris Alcarum generi potius convenire videtur. Propterea neque in eo, nec in describendis Albatri varietatibus Camtschaticis, quarum farcta specimina accepi, fusior hic esse volo.

(*) *Specilegior. Zool. Fascic. V. pag.* 28. *seqq.*

370. DIOMEDEA *Albatrus.*

D. rostro rubro, pedibus fusco-rubris.

Larus maximus niger vel albus, naribus tubulosis, pedibus tridactylis, *Stell. obs. MS. Kraschen. Camtsch.*

Albatros, *Albin. av. III. p.* 76. *tab.* 81. *Edward. av. II. p. et tab.* 88. *Pennant. Zool. arct. II. p.* 506. *n.* 423. *Latham. av. V. p.* 304. *n.* 1.

Diomedea exulans, *Lin. syst. XII. I. p.* 214. *sp.* 1.

Diomedea Albatrus, *Pall. Spicil. Zool. V. p.* 28.

Rossis in Camtschatca *Bolschaja Tschaika* i. e. magnus Larus, hodie *Semisashennaja Tschaika* s. septem-orgyalis Larus.

Camtschadalis *Atuma*, seu *Attun* vel *Etton.*

Curilis *Pongapith* et *Ato.*

In Mari Ochotensi et Penshinensi sinu abunde, ad orientalem oram Camtschatcae rarissime habentur. *Stellerus* tamen in Beringii insula frequentes vidit. Adventant circa finem Junii, certique adventus piscium Anadromorum nuncii sunt, quos circa ostia fluviorum gluttiunt magna avididate. Ultimis diebus Julii denuo austrum versus migrant. Macilenti veniunt, sed cito pinguescunt, dum cibo continuo sese ingurgitant ita, ut subvolare nequeant, nisi eructato prius pondere. Hamo pisci inserto capiuntur. Asini instar rudiunt. Ad Camtschatcam parere et incubare nunquam solent, unde verosimile eos australis haemisphaerii aestatem quaerere ad educaudam prolem; quod etiam confirmatum. video iis, quae refert *Pernetty* in *descr.* insular. Maloënsium et alii.

Not. Varietas datur fusca, imo paene nigra (an junior?), *alia*que maximam partem candida, alis nigris, vel nigro variis; quarum *l. c.* descriptiones dedi. *Tertiam*, dorso et alis coeruleo immixto

variis, masculam, *Stellerus* in schedis breviter commemoravit. *Latham.* hinc videtur plures condidisse species. Amic. Tilesius fabulam pictam rostri interiorem structuram faucium referentem ex nigro ave pedibus glaucis, Camtschatico nobiscum communicavit.

LX. CATARRACTAE.

Genus *Catarractes* eodem jure a Laris distinguitur, quo Diomedea a Procellariis, ideoque recte *Brissonio* sub *Stercorarii* *Brünnichio* sub *Catarractae* mihi adoptato nomine, seorsim traditum fuit; quod *Gesnero* aliisque Ornithologiae patribus placitum praetuli. *Structura rostri* ad Procellarias accedunt *Catarractae*; *cera* vero molli, rostrum obtegente, naribusque apici propioribus, rimae non tubuli formam mentientibus, ab iisdem differunt. *Cauda* iis rotundata, rectricibus subinde mediis elongatio; *alae* magnae, volatus strenuus. Omnes mordacissimae.

371. CATARRACTES *Skua.*

C. maxima, fusco gryseo alboque varia, cauda subaequali.

Catarractes, *Gesner. av. p.* 240.
Skua Hojeri, *Clus. exot. p.* 369.
Cornish Gannet, *Raj. av. p.* 128. *n.* 6. 7.
Catarract of Aldrovand. *Willughb. orn. p.* 349. *tab.* 67.
Brown Gull, *Albin. av. II. tab.* 85.
Catarractes Skua, *Brünnich. orn. bor. n.* 125.
Arctik Bird, *Edward. av. tab.* 149. *fig.* 2.
Skua Gull, *Penn. Zool. arct. II. p.* 531. *A.*

Sine dubio haec fuit avis, quam *Stellerus* in itinere Americano, medio Oceano sub 58. gradu latit. circa Balaenae cadaver

tanquam ad insulam, congregatam magno numero, et item postea ad Insulam Schumagini dictam in upibu observavit, quamque eminus tantum visam pro Diomedea *Plinii* et *Aldrovandi* habet. *Magnitudine* illam comparat Aquilae Valeriae s. Urogallo. *Colorem* quibusdam plane nigrescentem, plerisque cinereum fuisse scribit. *Rostrum* notavit omnibus virescenti-flavum, vulturinum, *oculos* magnos, iridibus flavis; caeterum forma, alis et cauda Procellariae glaciali similem. Natabant expedite et avidissimae Balaenae mortuae carnes vorabant.

372. CATARRACTES *parasita.*

C. rectricibus intermediis longioribus acuminatis, vertice nigro, collo flavescente.

Catarracta parasitica et coprotheres, *Brünnich. orn. bor. n.* 127. 128.

Avis arctica, *Edward. av. III. tab.* 148. mas *tab.* 149. *fig.* 1. foemina.

Stercorarii, *Brisson. orn. VI. p.* 150 — 155. *sp.* 1. *ad* 3.

Larus parasiticus, *Lin. syst. XII. I. p.* 225. *sp.* 10.

Labbe à longue queue, *Buffon. orn. VIII. p.* 445. *D'aubent. pict. n.* 762.

Lari species, *Gmelin. jun. itin. I. tab.* 14.

Arctic Gull, *Penn. Zool. arct. II. p.* 530. *n.* 459. *Latham. av. VI. p.* 389. *n.* 16. *tab.* 99.

Rossis Mangaseensibus *Phomica* (i. e. parvus Thomas), in Camtschatca *Rasboinik* i. e. Latro.

Ostiacis Obdoriensibus *Sochsol.*

Samojedis *Churruchu.*

Camtschadalis *Kyhkamòa.*

In mediterraneis Sibiriae rarissime, nedum Rossiae conspicitur. Frequens autem est in mari albo et glaciali, magnisque fluviis illuc tendentibus, ubi latissimi versus mare, frequens in maritimis Ochotensis littoris et Camtschatcae; sed nec in Caspio, nec Baïcale lacu, aliisve magnis Sibiriae lacubus. Unde certissime falsum, quod *Gmelinus jun.* hanc avem loco citato itineris ipse viderit; archetypus iconis quam dedit, est inter schedas posthumas patrui, et ad inferiorem Jeniseam, circa Mangasea, delineata fuit. Voracissima et mordacissima est avis, voce stridule sonora, tubarum infantilium simili. Nec tamen ipsa piscatur, sed Laros et praesertim Sternas exagitat, donec raptos ex aqua pisciculos e rostro dimittunt vel evomunt, quos, sub diro illarum clamore in aëre suscipit et devorat, maximamque partem hoc raptu, non vero ut *Fr. Martens*, fallacia oculorum et nautarum fabula inductus tradit, excrementis illarum avium vivit. In laqueis cum aliis avibus capta, illas necasse et exedisse visa est; adeoque quasi Accipiter inter aquaticas.

Descr. *Magnitudo* Lari Rissae vel paulo major. *Rostrum* nigrum. *Lingua* bifida, carnosa, accipitrina. *Irides* fusco-lutescentes. *Vertex* late, ultraque nucham niger. *Dorsum* fuscum; sed cervix et *collum* totum flavescenti alba. *Jugulum* et *hypochondria* cinerascunt; *pectus* album; *crissum uropygiumque* cinereo-fusca. *Cauda* subaequalis, rectricibus intermediis longissimis, adtenuatis. *Alae* maximae, subtus quoque nigricantes, compositae medias rectrices fere aequantes. *Remiges* nigricantes, primariae rhachibus albis. *Pedes* fusco-nigricantes, *unguibus* aduncis, etiam postici digiti. *Pondus* subbilibre. Proportiones mediae inter Sternam et Larum. *Mensura* a rostri apice ad uropygium 11″. 6‴. caudae 5″. 2‴. rectricum mediarum 9″. alarum expansarum 3′. 4″. ulnae 1′. 1″. rostri 1″. tibiae 1″. 6‴. digiti medii (c. u. 3½‴.) 1″. 6½‴.

Avis Camtschatica major, gallinam fere aequans, et in siccato specimine cera flava visa est; ceteroquin simillima, nisi quod *jugulum* punctis fuscis guttatum et *rectrices* versus basin *laterales* interius, *mediae* vero utrinque albae, et hae non acuminatae, sed in apicem usque latiusculae. (An hoc pro specifica differentia suffiiciat?). — *Varietatem* totam fuscam, vertice dorsoque nigrioribus *Museum Academicum* e mari albo habet. *Pulli* hoc sunt primo anno, qualem habent *D'aubentoni picturae tab.* 991.

Not. Acies palatinae in rostro hujus Catarractis adsunt, ut in Diomedea, at minus latae. Hinc novum affinitatis momentum.

LXI. PROCELLARIAE.

Procellarias nostra Fauna tantum e mari Orientali, inter Asiam et Americam; complures sibi vindicat; in mari albo et boreo rarissime una vel altera apparent, nec certi quid de speciebus Arctici Oceani constat.

473. PROCELLARIA *glacialis.*

P. fuscescenti-cana, rostro pedibusque flavis.

Avis Diomedea, *Lachmund. monogr.* (*Amstelaed.*) 12mo. ubi icon.

Mallemucke, *Martens. Spitsberg. p.* 68. *tab. N. fig. C.*

Fulmar, *Zool. brit. quart. II. tab.* 91. *Voy. io St. Kilda p.* 55. icon. *Zool. arct. II. p.* 534. *Latham. av. VI. p.* 403. *n.* 9.

Procellaria cinerea, *Brisson. orn. VI. p.* 143. *tab.* 12. *fig.* 2. *D'aubent. pict. tab.* 59.

Procellaria glacialis, *Lin. syst. XII. I. p.* 213. *sp.* 3.

Rossis in Camtschatca *Glupyscha* (stolida).

Curilis cum sequenti *Kajotschitsch.*

Ut circa Spitsbergam nostram (*Grumant* Archangelopolitani vocant), sic in mari circa Camtschatcam et insulas Curilas atque Aleuticas abundat. A Curilis quartae et quintae insulae, *Stellero* referente, magna copia capiuntur et ad solem siccantur, exstillante oleo limpidissimo in oeconomia utili. Nidulantur copiose in rupium marinarum inaccessis, unde in praeterremigantium navigia crebro involant, ut contis occidi possint, eoque stoliditatis famam et nomen nactae sunt.

Descr. In speciminibus Camtschaticis, quae tractavi, *magnitudo* et forma exacte, ut in ave septentrionalium Europae. *Rostrum pedes*que in siccis flava. *Color* plerumque longe obscurior, subtus canus, supra ferme fuscus. Limbi plumarum gryseo-albicantes. *Rectrices* 12. subaequales, aliquae in medio apice pallidae (in junioribus). Adultis *cauda* cana. *Unguis* posticus sessilis, conicus. *Mensura* circiter 1 pedis cum pollice; caudae 4″. 6‴. ad 9‴. alarum ulnae 11″. ad 11½″. Datur etiam in mari camtschatico *varietas* magis cana et ad Europaeas accedens; imo observante *Stellero* etiam *albidiores* quaedam occurrunt. *Groenlandicam* olim sic descripsi: *magnitudo* infra Boschadem; tota cano-plumbea, in dorso saturatius; collum magis canescens; subtus gryseo-cana. *Remiges* nigrescunt. *Cauda* leviter rotundata; *rectrices* 14. canae. Tubus *narium* depressus, adnatus, costa longitudinali elevata, antice truncatus caet.

β. *Varietatem* accepi albam, dorso fusco-canescente, uropygio cum rectricibus cano; remigibus primoribus magis nigrescentibus, introrsum tamen albis.

---

374. PROCELLARIA *aequinoctialis.*

P. fusco-nigra tota, rostro flavescente, *Lin. syst. XII. I. p.* 213. *sp.* 4.

Procellaria curilica, *Penn. Zool. arct. II. p.* 536. *A. Latham. av. VI. p.* 399. *n.* 3 *A.*

Peteril magna nigra, *Edward. av. II. tab.* 89.

Puffinus capitis bonae spei, *Brisson. orn. VI. p.* 137.

Rossis in Camtschatca *Tschernoi Glupysch* (niger Stultus).

Aleutis *Ajudàn.*

Circa insulas Curilicas et Aleuticas frequens, unde exempla adtulit *D. D. Merck.* Minus frequentem observasse videtur *Stellerus,* qui de illa silet.

Descr. Magnitudo Cornicis seu Lari atricillae. *Rostrum* nigrum, multo tenuius, pauloque longius, quam in P. *glaciali*, portionibus minus discretis, (est enim peculiaris character Procellariis, quod rostrum earum e pluribus quasi partibus coalitum videtur; et uncus praesertim discretus,) unco compresso, falcato, basi crassiore. *Narium* tubuli in dorso distincti, immersi, oblique truncati, orificiis distantibus. *Palatum* quod in P. glaciali: latum, laeve, inerme, huic spinis longis, retrorsatis, dupla serie serratum. *Corpus* supra simpliciter nigrum, subtus fuliginoso-fuscum, gula et pectore magis canescentibus. *Cauda* nigra, subrotundata, rectricibus mediis longioribus, lateralibus subemarginatis. *Subcaudales* ferme rectricibus aequales. *Alae* nigrae, caudam excedentes; *remiges* 28. extima longissima; secundariae breves, apice exterius oblique sinuatae. *Pedes* ipso facto longiores, quam Pr. glaciali, licet minor haec, fusco-lutescentes; *tibiae* compressae, postice *ungue* conico subulato, sessili, ad ipsum calcaneum calcaratae, phalange intra cutem latente.

Mensura avis a summo rostro ad uropyg. 11″. 2‴. rostri ad frontem 1″. 3¾‴. ad rictum 1″. 7‴. tubulorum narium 4 ad 5‴. ulnae alarum 10″. 4‴. caudae 3″. 5‴. tibiae 1″. 10½‴. digiti medii (c. u. 5‴.) 2″. 4½‴. externi (c. u. 3‴.) 2″. 5‴. interioris (c. u. 4‴.) 1″. 11‴. posticum calcar 1½‴.

375. PROCELLARIA *orientalis*.

P. cauda furcata, tota cana, alis fuscis, crisso albo.

Procellaria fuscata *Penn. Zool. arct. II. p.* 535. *n.* 463. *Latham. av. VI. I. p.* 410. *n.* 16. *Gmel. syst. Lin. I. p.* 2. *p.* 561.

Rossis eodem cum sequenti nomine *Kajûr* vel *Katschurka.*

Novam hancce speciem, *Stellero* non observatam, ultimae per orientalem Oceanum navigationi debemus, quam, impensis vere regiis, duce *Josepho Billings*, fieri jussit *Immortalis* CATHARINA II. Plurima hujus avis exempla, circa insulas Curilas ulteriores et circa Unalaschkam lecta retulit ex illo itinere *D. D. Merck. Ova* in praeruptis scopulorum ponit, rimas praesertim quaerens, alba, sordida, ovalia, Columbinis fere aequalia.

Descr. Magnitudo Lanii excubitoris s. Procell. pelagica paulo major, cui caeterum persimilis. *Rostrum* simile, nigrum, minus sulcatum, tubulo narium ad frontem depressiore, in medio rostro prominulo, biperforato. *Corpus* totum coerulescenti canum: *Litura* circa oculos nigrescens; *gula* albescens; *crissum* cum subcaudalibus album; sed uropygium dorso concolor. *Alae* basi etiam subtus et remigibus primariis fusco-nigricantes; secundariae canescentes, dorsi fere colore, intimae margine albae. *Cauda* furcata, ut in P. pelagica, alis compositis paulo longior: *rectrices* canae, *extima* utrinque margine externo albo; *intermediae* subemarginatae cordatim, quod

non in P. pelagica. *Mensura* avis a summo rostro ad uropygium 5″. 4‴. rostri ad frontem 7‴. ad rictum 8½‴. tubuli narium 3‴. caudae pennis extimis 3″. 4‴. mediis 2″. 5‴. ulnae alarum 6″. 3‴. tibiae 1″. digiti medii (c. u. 2‴.) 1″. 1⅓‴. exterioris (c. u. 1½‴.) 1″. ½‴. interni (c. u. 2½‴.) 11½‴. calcar posticum 1‴.

376. PROCELLARIA *pelagica.*

P. cauda forcipata, tota nigra, uropygio tectricibusque subalaribus albis.

Peteril, *Albin. av. III. tab.* 92. *Edward. av. II. p. et tab.* 90. *fig.* 1.

Little Peterel, *Zool. britan. p.* 146. *sp.* 3. *tab. L.* 5.

Procellaria, *Brisson. orn. VI. p.* 140. *tab.* 13. *fig.* 1.

Procellaria pelagica, *Lin. syst. XII. I. p.* 212. *sp.* 1.

Oiseau de tempête, *Buffon. orn. IX. p.* 327. *tab.* 23. *D'aubent. pict. n.* 993.

Stormy Petrel, *Penn. Zool. arct. II. p.* 536. *n.* 464. *Latham av. VI. p.* 411. *n.* 18.

Rossis in Camtschatca *Katschurka.*

Camtschadalis *Kátschiroëku.*

Curilis *Atupok?* Lamutis *Bitka.*

Frequens inter insulas inter Asiam et Americam et versus Japoniam extensus. In procelloso Oceano orientali aeque terrifica nautis, ac alibi, quando naves sequens, hirundineo volatu pelagi superficiem radit. Circa scopulos inaccessos in fissuris rupium pernoctat, ibidem nidulatur.

Descr. Quas e Camtschatca et Archipelago Aleutico adlatas vidi, multo majores erant iis, quas Oceanus septentrionalis mittit; hae scilicet alaudam, illae fere Sturnum aequant, vel certe Hirun-

dinem apodam superant. *Rostrum* nigrum, unco utrinque sulco exarato. *Nares* tubulo connato, depresso, apice biperforato, adnatae. Tota avis nigra, sine nitore, subtus obsoletior, gula canescente. In quibusdam color niger etiam in dorso exsoletus (ut Hir. apodi). *Alae* compositae caudam excedentes, remigibus primariis atris, secundariis fuscidis, margine exsoletis. *Uropygii* extremum et tectrices caudae albae; hae rhachibus fuscis et apice fuscae. *Cauda* furcata, rectricibus nullis emarginatis. *Subcaudales* aliquot in quibusdam apice albae. *Pedes* nigri, tridactyli, cum *calcare* seu ungue postico sessili. *Mensura* avis 5″. 1‴. ulnae alarum 5″. 10‴. rostri 6½‴. tubuli narium 2‴. caudae 2″. 11‴. pennarum mediarum 2″. 3½‴. tibiae 10½‴. digiti medii (c. u. 2½‴.) 11½‴. interioris (c. u. 1½‴.) 11‴. exterioris (c. u. 1½‴.) 9‴.

LXII. LARI.

Larorum species Ornithologi plerique multiplicarunt, partim juniores aves, parentibus primo anno dissimillimas, gryseo, fuscoque plerumque lituratas, e museis docti, pro distinctis speciebus venditantes, partim colori pedum atque rostri, secundum anni tempus, aetatem, sexum non semper constanti nimium confisi. Itaque species hujus generis, quae ad Faunam nostram pertinent, omnes quantum potui e copiosissimis recentibus exemplis collatis, et observatis plerarumque specierum in loco natali pullis, (non post fornacem) descripsi atque stabilivi. Neque tamen omnem in his errorem abesse sustinuerim.

---

377. LARUS *cachinnans.*

L. albus, dorso cano, alis apice nigris unimaculatis, rostro flavo macula rubra.

Larus cinereus maximus, *Marsil. Danub. V. tab.* 40.

Larus Consul, *Martens. Spizberg. p.* 60. *tab. L.* c?

Larus marinus, *Brünnich. orn. bor. n.* 145.

Larus glaucus, *Ejusd. n.* 148. (an Varietas).

Larus cinereus, *Brisson. orn. VI. p.* 160. *sp.* 2. *tab.* 14. optima.

Larus varius s. Skua, *Ejusd. p.* 167. *n.* 5. *tab.* 15. (Pulli, optima).

Gaviae ridibundae foemina, *Gmel. jun. it. I. p.* 152. *tab.* 31.

Herring Gull, *Penn. Zool. brit.* (quart) *II. n.* 246. *n.* 88. *Zool. arct. II. p.* 527. *n.* 452. *Latham. av. VI. p.* 372. *n.* 3.

Rossis praesertim ad Volgam et mare Caspium, propter vocem cachinni humani saepe aemulam, *Chóchot*, vel *Chochotûn.*

Tataris *Ulú-Chailan* (magnus Larus).

Buratto-Mongolis *Sachalù.* Tungusis *Ongnoli.*

Ostiacis et Vogulis *Challés;* ad Surgut *Korrinjaerrag;* ad Narym *Sare.*

Samojedis ad Tunguskam *Challyk.*

Curilis Larus magnus *Onnemas.*

Camtschadalis *Kéil.* Coraecis *Jákaják.*

Abundat in mari Caspio; majoribusque fluminibus Rossiae illuc et ad mare glaciale tendentibus, nec non in magnis Sibiriae lacubus, praesertim Baïcale, ubi in desertis riparum scopulis securus multiplicatur, autumnoque, quum Salmo Omul flumina adscendit, turmatim post illum migrat. *Ova* in insulis testaceo-arenosis Volgae et Caspii,

rupibusque circa Baïcalem praeruptis, elatis, inaccessis nudo solo imponit, e virescente - cinereo albida, guttis majusculis fuscis et obsoletioribus conspurcata, ovato conica, longitudine saepe 3″. diametro 2″. 1‴. *Pulli* medio Julii adulti, ineptissimi, diu alis uti nescii, clamosi, a matribus nutriuntur, quibus dissimillimi. Adultorum *vox* inter volandum corvina, cum sono cachinnantis hominis aemulo alternans. Noctu, praesertim incubationis tempore, ad remorum strepitum expergefacti, in insulis perpetuo gannitu inter se colloquuntur et indidem quasi levius cachinnant, ut e longinquo turbam hominum confabulantium mentiantur. Putridas maxime piscium reliquias in littore legunt. *Varietas*, praesertim circa Baïcalem duplex, sola magnitudine diversa, quod in avibus aquaticis multis obtinet, et adtentioribus Belgis notissimum est.

Descr. Magnitudo Tadornae vel ultra. *Rostrum* carina valde angulatum, cereum vel sulphureum, area magna coccineo - rubra ad angulum carinae. *Palpebrarum* margo nudus, mollis, coccineus; irides pallidae. *Caput*, *collum*, corpus *subtus* totum, *alae* subtus, *uropygium* et aequalis cauda - nive candidiora. *Dorsum* et alae *supra* intense leucophaea seu coerulescenti - cana. *Alae* tamen spuriae, itemque remiges secundariae apice albicantes. *Tectrices* primariae litura lanceolata disci nigra. *Remiges* 1 ad 6. extremitate nigrae, extimae sensim ulterius; duae extimae macula transversa alba et apice, 3 ad 6. tantum apice albae. *Pedes* pallide flavescentes, unguibus nigris, obtusis, posticus exilis a terra remotus. *Pondus* bilibri majus. *Mensurae*: ad uropygium 1′. 6″. caudae 6″. 9‴. rostri ad oris angulos 3″. alarum ulnae 1′. 5″, 7‴. expansarum ultra 4′. 4″. excessus alarum compositarum ultra caudam 3″. 4‴. tibiarum 2″. 6‴. digiti medii (cum ung. 4‴.) 2″. 4‴.

Pullis adultis primo anno. *Rostrum* nigrum, basi lividum; *irides* cinereo-fuscae, pedes cinerei vel fuscescentes; *corpus* gryseo-exalbidum, lituris fuscis varium, quae supra discum totum plumarum occupant; rectrices albae, transversis strigis et fascia nigra subterminali!

378*. LARUS *niveus*. *TAB. LXXVI.*

L. totus albus, dorso cano, rostro virescente-flavo immaculato, pedibus fuscis.

Datur in mari boreo et Camtschatico, minus frequens praecedente, nec flumina alte adscendens.

Descr. Magnitudo Corvi Coracis. *Rostrum* virescente-flavum, litura rubra nulla; sed angulo oris, et os intus, coccinea. *Palpebrarum* margo nudus, ruberrimus. Irides cinereo-fuscae. *Pedes* fusci. Reliquo colore, et apice alarum nigro praecedenti simillimus. *Pondus* sesquilibrali minus. *Mensurae*: ad uropygium 1'. 0''. 9'''. caudae 5''. 6'''. ulnae alarum 1'. 2''. 5'''. expansarum 3'. 9''.

379. LARUS *glaucus*.

L. totus albus, dorso et alis canis, *Brünnich. orn. bor. n.* 148.
Glaucous Gull, *Penn. Zool. arct. II. p.* 532. *B. Latham. av. VI. p.* 374. *n.* 4.

Observatus in mari Ochotensi, minus frequens. Videtur a multis cum praecedenti specie confundi, a qua praesertim alarum apice non nigro et pedibus carnei coloris differt, quodque paulo major est.

Descr. Rostrum longum (2''. 3'''.), validum, luteum, macula utrinque rubra maxillae inferioris. Circulus palpebrarum ruber; *Irides* flavo-pallidae. *Caput*, *collum*, *cauda* et tota prona facies candida.



Larus niveus P.

Dorsum et alae coerulescenti-cana. *Pedes* carnei, unguibus nigricantibus. *Longitudo* avis a summo rostro ad uropygium 2 pedum; alarum expansarum 5′. 5″. caudae 7″.

Pulli primo anno: *rostro* nigro, basi carneo; *corpore* supra fuscescente, subtus albo; *alis* fusco alboque fasciatim variegatis; *cauda* fusca, maculis albis majoribus minoribusque varia; *pedibus* coerulescentibus.

380. LARUS *marinus.*

L. albus, dorso subnigro. *Lin. syst. XII. I. p.* 225. *sp.* 6.

Larus major, *Frisch. av. tab.* 218. *Albin. av. III. p.* 89. *t.* 94.

Great black et white Gull, *Penn. Zool. britan. p.* 140. *sp.* 1. *tab. L.*

Le noir-manteau, *D'aubent. pict. n.* 990.

In mari balthico et praesertim albo boreoque observatur, rarius in mediterraneis, Caspio et nigro mari, Sibiriaque mihi nunquam oblatus est.

Not. Rostrum, ut in L. cachinnante. An specie ab eodem verè distinctus?

381. LARUS *Rissa.*

L. tridactylus, albus, dorso cano.

Larus Rissa, *Brünnich. orn. bor. n.* 14. *Linn. syst. XII. I. p.* 224. *sp.* 1.

Kittiwake, *Pennant. Zool. brit.* (4*to*) *II. p.* 250. *tab.* 89. *Zool. arct. II. p.* 529. *n.* 456. *Latham. av. VI. p.* 393. *n.* 19.

Rossis in Camtschatca *Jacùt.*

Curilis *Kiruga*, vel *Keròo.*

Camtschadalis *Chasygatschitsch.*

Inter aves marinas Camtschaticas saepius missus, nomen rossicum obtinuit a clamore dum gregatim volant, Jacutorum vociferantium e longinquo aemula. Clamosissimus, voce interdum Turturum adulantium fremitum, interdum felis violatae vel Orioli clamorem imitata. Magnis gregibus volant. *Nidum* in saxis praeruptis juxta mare, et scopulis pauco gramine et plumis sternit; *ova* vulgo tria, mole gallinaceorum, sordide, vel cum virore alba, lituris fuscis, punctisque cinereis magis minusve variegata (*Steller Nov. Com. Petr. IV. p.* 425. *tab.* 13. *fig.* 23. 24.).

Descr. Atricilla major. *Rostrum* virescenti-flavum ore fulvo; *lingua* integra. *Corpus* niveum, etiam uropygio et cauda; sed *dorsum* inter alas, usque ad uropygium et *alae* supra totae cano-coerulescentes. *Alarum* apices nigri; nempe remige prima extremitate tota et exterius longitudinaliter, cum apice tectricis suae, nigra; 2 ad 5 apice oblique nigris, 5. vel 4 et 5. macula terminali alba; sexta utrinque ad apicem nigro maculata; secundariae albo terminatae. *Pedes* nigri, *postico* omnino nullo, nisi velis callum minimum obtusum. *Mensura* ad uropygium 1′. 3″. 6‴. caudae aequalis 5″. 6‴. alarum ulnae 1′. 0″. 3‴.

Not. De hoc vel simili Laro fabulantur Curili, nasci eum ex ovo Rajae, quam dicunt duo semper ova parere, unum e quo similis Raja, alterum e quo Larus prodeat.

382. LARUS *Ichthyaetus.* *TAB. LXXVII.*

L. rostro variegato, capite nigro, pedibus fusco-rubris.

Larus Ichthyaetus, *Pall. itin. II. apend. n.* 27.

Gavia ridibunda phoenicopus, *Gmelin. jun. itin. I. p.* 152. *tab.* 30.

Great Gull, *Latham. av. VI. p.* 370. *n.* 1.

Rossis ad mare Caspium *Rybak* (piscator) vel *Gluchar* (Surdaster). Tataris *Charabaltà*

In solo mari caspico hospitatur et quidem frequens. Ex aëre suspensus pisces jaculatur ut Atricilla. *Vox* inter volandum *Kóu, kóu* sonat, gravis, coracina. *Ova* in glarea maritima nuda insularum, magis, quam in congeneribus, oblonga, gryseo-pallida, guttis crebris majoribus minoribusque, fuscis obscuris, et obsoletis conspersa, ovata, axi 2″. 10‴. diametro 1″. 11‴.

Descr. Magnitudo Anseris erythropodis, imo saepe major; sed minores quoque dantur. *Rostrum* robustum, brevius et compressius, quam in L. cachinnante, extremitate verticaliter latescens, carina insigniter, sed obtuso angulo protuberante, undulato-torosa; *color* ejus basi livido-flavus, dein litura annulari coccineus, citra apicem flavum fuscus. *Nares* oblongae, posterius in rimam angustatae, et sulco continuatae, margine inferiore antrorsum in rostri marginem excurrente. *Os* rubrum. *Irides* fusco-luteae. *Caput* totum, usque ad medium collum, opace atrum; *palpebra* utraque posteriore parte alba, cantho tamen nigra. *Collum* inferius, avis *subtus* tota et *cauda* aequalis, cum suis tectricibus-nive candidiora. *Dorsum* et *uropygium* dilutius, alae extus intense leucophaea; ala tamen secundaria et spuria summitatibus pennarum albentibus. *Ala primaria* tota nivea, introrsum paulatim incanescens. *Remex* 1ma apice, et hinc usque ad basin exteriore latere nigra; 2 ad 5. apice item nigrae inaequaliter, sexta areola tantum nigra interius notata; reliquae interiore latere canae; at secundariae totae canae, extremitate oblique alba. *Pedes* fusco-rubri, unguibus fuscis acutioribus. *Mensura* ad uropygium 1′. 6″. 9‴. caudae 7″. 8‴. ulnae alarum 1′. 6″. 10‴. excessus alarum ultra caudam 3″. rostri 1″. 10‴. ad oris angulos 3″. 4‴. pars nuda femorum 1″. 1‴. tibiae 2″. 10‴. digitus medius (c. u. 4½‴.) 2″.

6½‴. exterior (c. u. 3⅞‴.) 2″. 5‴. interior (c. u. 4‴.) 1″. 10‴. posticus (c. u. 2⅞‴.) 5½‴. — In minoribus: rostrum 3″. 2‴. ulna alarum 1′. 6″. 0.

383. LARUS *Atricilla.*

L. rostro pedibusque rubris, supra canus, subtus caudaque albus, capite alarumque apice nigris.

Cepphus Turneri *et* Larus major cinereus Baltneri, *Raj. av.* *p.* 128. *A* 5. et *p.* 129. *n.* 8. *Willughb. orn* *p.* 346. *t.* 67.

Gavia ridibunda *et* Gavia ridibunda phoenicopus, *Brisson. orn. VI. p.* 192. *tab.* 18. *fig.* 1. et *p.* 169. *D'aubent. pict. n.* 970.

Larus Atricilla *et* ridibundus, *Lin. syst. XII. I. p.* 225. *sp.* 8. 9.

Pewit Gull, *Pennant. Zool. brit. p.* 113. *sp.* 8. *tab. L* 5.

Blakheaded Gull, *Penn. Zool. arct. II. p.* 529. *n.* 455.

Laughing Gull, *Latham. av. VI. p.* 383. *n.* 12.

Rossice *Rybak* (Piscator) vel *Tschaika tschernogolowaja* (Larus nigriceps).

Tataris Sibiriae *Tschiràk* et *Ak-Tscharlak.* Tauricis generatim *Tschagalù.*

Ostiacis *Sori;* Samojedis *Churjuò.* Aleutis *Schlukat.*

Mongolo-Buraetis *Cheilogonà.*

Camtschadalis *Schèkotsch* et *Kaangitschutsch.*

Ubique per Rossiam et Sibiriam, usque in Camtschatcam et ad ipsum mare glaciale in piscosis lacubus et fluminibus vulgaris cernitur, ubi in aëre suspensus falconis instar piscibus insidiatur, telo ocyus in conspectam praedam descendens et se saepe totum in aquam immergens, iterumque evolans. In piscosis sinubus et vadis, praesertim vere, congregantur, ventosa tempestate circumnatant,

varioque clamore sonant. *Vox* modo picae similis, modo felina fere, nunquam tamen cachinno aemula. In Ponto et Moeotide copiosissime agitato a ventis mari in terras Tauriae et deserti Borysthenici longe provolant, sequenti immixti et locis praesertim recenter aratro scissis Lumbricos et Cicadarum atque Scarabaeorum larvas, vel autumno Helices varios terrestres legunt. Magna inter *Atricillam* et *Larum cinerarium* similitudo et affinitas; magnitudine, proportione, colore (praeter caput), voce etiam felina conveniunt, et circa Pontum promiscue volant, ut fere dixeris Atricilliam esse profectiore tantum aetate mutatam. Certum est quod *Larum* capite albo naevio in domo quondam Petropoli aluit *Excell. Andr.* Nartof, qui familiaris tertio anno plumationis tempore, capite vix usque ad nucham niger factus est, quo in statu illum ipse vidi, nigredine oris plumarum albidis subsquamata. Atricilla *ova* in nuda glarea, vel in arboribus, imo quandoque in craticula fluitante ex arundine caricibusque contexta ponit, olivaceo-alba, maculis punctisque distinctis fuscis varia, obtusiuscula, longitudine fere 2''. diametro 1''. 4½'''.

Descr. Atricillae: *Magnitudo* Columbae. *Rostrum pedes*que plerumque saturatissime rubra; sed in quibusdam, praesertim femellis, rostrum saepe fusco-rubrum, pedesque fusci, rubore vix ullo; unde *duplex species auctoribus*. *Os* intus et margo palpebrarum nudus, papillosus coccinea. *Irides* fusco-luteae. *Caput* cum initio colli pullum seu fuliginosum, in quibusdam circa rostrum albo-variegatum; lunula seu annulus antice deficiens palpebrarum albus. *Corpus* candidum, dorso leucophaeo. *Remiges* 1 ad 7. apice nigrae, extimae quinae exterius cum tectricibus albae, interius longitudinaliter fusco-nigricantes, extima externo quoque margine nigra; reliquae dorso concolores. *Tectrices* quatuor primae albae. *Cauda* aequalis, alba. *Pondus* unciarum 7. ad 10. *Mensura* ad uropygium

11''. 5'''. caudae 4''. 5'''. ulnae alarum 1 pedis, expansarum 3'. 1''. 0'''. In minoribus 2'. 9''. 6'''. et ulna 10''. 8'''.

384. LARUS *cinerarius*.

L. candidus, dorso cano, lituris ante oculos, nuchae, temporumque fuscis, rostro pedibusque rubris.

Gavia cinerea minor, *Brisson. orn. VI. p.* 178. *tab.* 17. *fig.* 1. *D'aubent. pict. n.* 969.

?Kittiwake, *Pennant. addit. ad Zool. brit.* 8vo *tab.* 23. supra.

Larus cinerarius, *Lin. syst. XII. I. p.* 224. *sp.* 4.

Redlegged Gull, *Latham. av. VI. p.* 381. *n.* 10.

Rossice cum aliis affinibus *Tschaika.*

Tataris *Aktscharlak*; Coibalis *Chailàn.*

In lacubus salsis et salsuginosis totius deserti magnae Tatariae et Sibiriae australioris nusquam deest, praesertim in camporum Isetensium, Ischimensium et Barabensium salinis et stagnis frequens, cum Anate Tadorna circumvolans, admodum clamosus. Aprili in Sibiria advolant, pariunt Majo. Insecta varia venantur, vermiculosque in ripis colligunt. *Ova* olivaceo pallida, maculis fuscis et obsoletioribus sparsa, Numenii Arquatae ovis simillima. — Circa Pontum et Moeotidem vulgaris avis solo colore palpebrarum corallino a sibiricis distinctae et Atricillae (praeter caput nigrum) in omnibus simillima, quae vere et autumno tempestuoso mari in terras Tauriae et deserti Borysthenici cum Atricillis mixta longe evolat, Helices et lumbricos conquirens, et gregatim versatur, voce etiam Atricillam referens, ut saepe dubitaverim nonne ab Atricilla sola aetate differat. Sed Sibirica certe differt, nec cum Atricilla misceri solet, nec junior distinguitur.

Descr. Magnitudo Columbae. *Rostrum* obscure rubrum, extremitate nigricans; *os* intus ruberrimum, ut et *lingua* triquetro-linearis, apice bifida. *Palpebrarum* margines nudi, nigri; *irides* fusco luteae. *Caput* album, vertice plumis intus fuscescentibus subinquinatum; *lunula* ante oculos, lituraque ovalis ad aures fusca. *Nucha* transversim canescit. *Corpus* niveum; dorsum e cano-coerulescenti-albet; *ala* secundaria saturatior, remigibus tamen extremo candidioribus. *Tectrices* primariae candidae, vix apice canescentes. *Remiges* 1 — 3 nigrae, disci area lanceolata alba, 4 et 5 extremo nigrae, saepe summo apice albae; reliquae primariae apice nigrae et secundum margines ad medium fere usque; secundariae canae. *Cauda* aequalis, alis brevior, tota alba. *Pedes* saturate rubri, fere robustiores, quam Atricillae. *Pondus* 11. ad 12. unciarum. *Longitudo* ad uropygium 8″. caudae 4″. 6‴. ulnae alarum 11″. 3‴. rostri 1″. 7‴. tibiarum 1″. 8½‴. digitorum medii (cum ungue. 3‴.) 1″. 4½‴. Neque sexus nec aetatis diversitatem in Sibiricis observare potui.

385. LARUS *naevius*.

L. albus, dorso temporibusque fusco-maculatis, caudae fascia atra.

Gavia hyberna, *Brisson. orn. VI. p.* 185. exclusis synonymis.
Larus. naevius, *Lin. syst. XII. I. p.* 225. *sp.* 5.
Winter-Gull, *Penn. Zool. brit.* (4to) *II. p.* 248. *tab.* 86. *Wil ughb. orn. p.* 350. *tab.* 66. *Latham. av. VI. p.* 384. *n.* 13.

Rossis cum plerisque congenerum in universum *Tschaika.*

In lacubus Rossiae fere ubique, circa mare caspium et in Sibiria citeriore adnodum frequens, subsolitarius, clamosus. *Ova* oblonginsculo-ovata, gryseo-cinerascente-pallida, punctis guttulisque fuscis obscurioribus et obsoletis adspersa.

Descr. Magnitudo fere supra Atricillam. *Rostrum* fuscum, basi rubicundum. *Vertex* praeter frontem, gryseus; tempora *litura* utrinque fusco-nigricante, inter quas occiput fuscescit. *Interscapulium* plumis extremo fuscis naevium. *Alae* spuriae fuscae, marginibus gryseis; *humeri* et *tectrices* canae lituris sparsis fuscis. *Remiges primariae* 10. albae, dein canescentes, margine, praesertim interiore late nigro; *secundariae* 18. canae, extremo nigricantes, margine terminali albo. *Rectrices* aequales, albae, *fascia* versus apicem nigra, in extimis imperfecta. *Pedes* è corneo. rubent; *ungues* nigri. *Pondus* circiter 8 unciarum. *Mensura* ad uropygium 10″. 3‴. caudae 4″. 10‴. rostri 1″. 11‴. expansarum alarum 2′. 8″. 6‴. ulnae 11″. *Pulli* gryseo-exalbidi, fusco-liturati, rectricibus variegatis.

386. LARUS *torquatus.*

L. subtridactylus albus, supra canus maculatusque, cauda subfurcata, rectricibus lateralibus apice nigris.

Larus hybernus, *Albin. av. II. tab.* 87. mala.

Larus vulgaris, *Penn. Zool. brit. p.* 142. *sp.* 6. *tab. L* 3.

Larus tridactylus, *Lin. syst. XII. I. p.* 224. *sp.* 2.

Circa mare balthicum, ut in Belgio, rarius observatur; frequentissimus hyeme circa Angliam. In Ponto, mari caspio et Sibiriae aquis deest.

Descr. Magnitudo supra Columbam. *Rostrum* flavum, apice nigricans (errore in *Zool. britannica* nigrum totum). Avis alba, supra cana, versus caput albescens. *Macula* transversa imae cervicis et fascia per humeros ducta, alas quoque spurias et intimas remiges inquinans, maculoso-nigrae. *Litura* transversa nuchae cano-nigrescens et lunula nigricans ante oculos. *Tectrices* extimae nigrae. *Remiges* 3. primores nigrae, interiore margine late, quarta latius alba,

quinta tantum apice nigra. *Cauda* subfurcata; rectrices mediae totae albae, breviores, reliquae apice nigrae, exterioribus sensim minus nigredinis exhibentibus. *Pedes* flavi: postici digiti rudimentum minimum sine ungue. *Pullos* non observavi.

387. LARUS *Gavia.*

L. subtridactylus, albus, dorso cano, apice alarum rectricumque atris.

Tarrok, *Penn. Zool. brit. II. n.* 251. *Zool. arct. II. p.* 533. *D.*

Gavia cinerea naevia, *Brisson. orn. VI. p.* 185. *tab.* 17. *fig.* 2. cum synonymis.

Larus maculatus, *Brünnich. orn. bor. p.* 44. *n.* 146.

Circa mare balthicum et album vulgaris; in Caspio lacu et per Sibiriam mihi nunquam visus. Frenquentissimus in mari Germanico et Belgico. Tempestatibus furentibus et post ventosam epocham ad littora confugiunt, ubi cornicibus immistae discurrunt marisque purgamenta legunt. Ad instar congenerum omnium longis alis contra ventos contendunt, neque nisi transversim aut oblique secundum ventum avolant. Evolaturae procurrunt; bene natant et ex aqua levi nisu subvolant. *Vox* fere similis Vanelli, pipiens, *Martensio Kutje-ghef* dictus.

Descr. Magnitudo supra Columbam; totus albus. *Rostrum* nigrum, ore intus fulvo. *Vitta* occipitis et notae cervicis leucophaeae. *Dorsum* antice leucophaeum, quibusdam nigricans, humerique supra nigrescunt. *Alae* compositae caudam aequant. *Remiges* 29. extimae nigrae, introrsum albae; a quarta nigredo decrescit usque ad secundarias, quae dorso concolores. *Rectrices* aequales, albae, apice toto nigro, praeter extimam. *Pedes* carneo-fuscescentes, digiti postici rudimento minimo. *Digitus* medius tibia longior, ut in plerisque.

Not. Larus tridactylus *Lin.* videtur eadem avis, et synonyma conveniunt.

388. LARUS *canus.*

L. albus dorso cano, alarum apice atro, cauda alba, pedibus fuscis.

Larus albus, *Albin. av. II. tab.* 48.
Gavia cinerea, *Brisson. orn. VI. p.* 175. *n.* 8. *tab.* 16. *fig.* 1.
Larus canus, *Lin. syst. XII. I. p.* 224. *sp.* 3.
Larus vulgaris, *Penn. Zool. brit. II. p.* 454. *icon. n.* 249. *Zool. arct. II. p.* 530. *n.* 458. *Latham. av. VI. p.* 378. *sp.* 8.

In lacubus Rossiae majoribus et circa mare balthicum occurrit, ut in mari Germanico minus frequens praecedente.

Descr. Magnitudo supra Columbam; albus; supra, etiam vertice, leucophaeus. *Rostrum* flavo-virens, *ore* intus croceo. *Cervix* cano-nebulosa. *Remiges* 23. extima longissima, ut in Laris omnibus; 4 extimae toto apice nigrae; interiores sensim minus, quinta apice plerumque tantum bimaculata. *Cauda* aequalis, cum uropygio candida. *Pedes* rubro-fusci, vel nigricantes, femoribus supra genua crocescentibus.

Not. Affinem huic et simillimum Larum olim in mari belgico observavi, cui: *Caput* totum cum cervice album et solum dorsum canum; *rostrum* rubrum, basi flavescens; *pedes* fusco-lutescentes; humeri margine, *tectrices*que albae; remiges *tres extimae* albae, apice, exteriore limbo, interiusque late nigrae, proximae *binae* tantum apice, interiusque nigrae, *sexta* et *septima* canae, apice albo, nigro bimaculato. Hic specie distinguendus videtur.

389. LARUS *minutus*.

L. capite nigro, rostro fuscescenti-rubro, pedibus coccineis, alis albis.

Larus minutus, *Pall. itin. III. append. n.* 35. *Latham. av. VI. p.* 391. *Gmelin. syst. Lin. I. part.* 2. *p.* 595. *sp.* 12.

Larus atricilloides, *Falk. itin. III. p.* 355. *tab.* 24. *Gmelin. syst. Lin. I. part.* 2. *p.* 601. *sp.* 19.

Ostiacis *Sori.* Samojedis *Churjuó.*

In borealibus Sibiriae, circa magnos lacus, fluviosque, ad Obum, Jeniseam, et in deserto Barabensi non infrequens, observata quoque circa Volgam et Tanaïn australiorem, ubi saepe in paludibus salsis, a fluminis alveo remotis circumvolitantes vidi. *Clamor* fere Sternae. Raro natat, sed arboribus circa aquas vel in aqua natantibus insidet. *Ovum* magnitudine columbinum superat, olivaceo-pallidum, maculis majusculis lituratis fuscis et nigrescentibus circa obtusiorem verticem sparsis et minutis versus minorem varium: axi 1″. 6½‴. diametro 1″. 1‴. —

Descr. Magnitudo Turdi viscivori, adeoque minima in suo genere, cumque Atricilla habitu Sternis assimilior. *Rostrum* obscure fusco-rubrum. *Irides* coerulescentes. *Lunula* sub oculis alba. Caeterum *caput*, cum initio colli nigrum, ut in L. atricilla. Caeterum nigredo nulla. *Corpus* candidum, dorso alisque leucophaeis; *remiges* etiam primariae omnes concolores, leucophaeae, interius subfuscescentes, apice albae. *Pedes* pulcre cinnabarini, *unguibus* nigris. *Pondus* 4. unciarum vel minus. *Mensura* ad uropygium 7″. expansarum alarum bipedale, rostri ad angulos oris 1″. 3‴. ad frontem 9‴. ulnae alarum caudam excedentium 7″. 10‴. tibiarum 11‴. digiti medii 1″. postici 2½‴.

NOTA.

Nuper in orientali Sibiria fabula increbuit, quod ad Insulas Curilas detur *piscis* bipes caudatus (pro quo miserunt *Rajam* in formam Chimaerae complicatam et siccatam) qui duo semper pariat ova, e quorum uno piscis, ex altero vero Larus nascatur; Verosimillime e Curillorum superstitiosa narratione orta.

LXIII. STERNAE.

Sternae genus, ut Hirundines volatile, raro natans, per Atricillam, Larum minutum et naevium cum praecedenti genere cohaeret affinitate, imo forte cum Rhynchopsalia conjungendum est. Mihi enim pleraque genera anomala, unica specie consistentia ad proxima naturalia genera referri posse videntur.

390. STERNA *caspia. TAB. LXXVIII.*

S. rostro majusculo rubro, vertice nigro, dorso cauda alisque canis, pedibus fuscis.

Larus leucospodoides, argyro macropterus, atricapillus, rostro miniaceo, cauda forcipata, melanopus, *Messerschm. ornith. MS. IX. n.* 202.

Sterna caspia, *Pall. Nov. Com. Petr. XIV. part. I. p.* 583. *tab.* 22. *fig.* 2. mediocr. *Penn. Zool. arct. II. p.* 526. *Latham. syn. VI. p.* 350. *n.* 1. *Gmel. syst. Lin. I. part.* 2. *p.* 603. *sp.* 1.

Sterna Tschegrava, *Lepech. Nov. Com. Petr. XIV. part. I. p.* 500. *tab.* 13. *fig.* 2. mala.

Larus Atricilla, an varietas? *Gmelin. jun. Nov. Com. Petr. XV. p. 478. tab. 22. fig. 2.*

Rossis ad mare caspium *Tschegráva.*

Samojedis *Chalewù.* Ostiacis *Chaléwa.*

Copiosissima in mari caspio et circa ostia fluviorum, itemque in maximis camporum Barabensium lacubus et in Obi alveo versus Oceanum, ubi vere per paria advolare, autumno catervatim demigrare observatur. Circa Pontum Euxinum et mare balthicum non visa. *Voces* variae, nunquam tamen cachinni aemulae, plerumque rossicum avis nomen exprimentes. Piscatur ex aëre suspensa, ut sequens et Larus atricilla. *Ova* in nuda arena duo majuscula, livido-pallida, fusco maculata.

Descr. Magnitudo fere Milvi. *Rostrum* crassiusculum, saturate rubrum. *Vertex* totus, usque in cervicem ater, plumulis, praesertim in juniore, ora albicantibus. *Cervix* alba, *dorsum* canum in junioribus lituris sagittatis fuscescentibus. *Alae* longissimae: *remiges primariae* fusco-canescentes seu pruinosae, *secundariae* dorso concolores, apice albae. *Cauda* profunde forcipata, rectricibus fuscescente-canis. *Pedes* e rubicundo fusci. Mensura ad uropygium 13″. rostri 3″. caudae 5‴. ulnae alarum 14″. expansarum 3 ped. 2 poll.

391. STERNA *Hirundo.*

S. rostro pedibusque rubris, vertice remigibusque primoribus nigris, dorso cano, cauda alba.

Larus albicans, *Marsil. Danub. V. tab.* 42.

Larus minor s. Hirundo marina, *Frisch. av. tab.* 219.

Hirundo marina, *Albin. av. II. p.* 79. *tab.* 90.

Sterna major, *Brisson. orn. VI. p.* 203. *tab.* 19. *fig.* 1.

Sterna hirundo, *Lin. syst. XII. I. p.* 227. *sp.* 2.

Sterna major, *Penn. Zool. brit. p.* 144. *tab. L**. *Latham. av. VI. p.* 361. *n.* 14.

Grande Hirondelle de mer, *Buffon. orn. VI. p.* 203. *tab.* 19. *fig.* 1. *VIII. p.* 331. *tab.* 27. *D'aubent. pict. n.* 987.

Rossice *Martyschka* generico nomine.

Ostiacis a voce recte *Kyrri-nar*, vel *Kyr-nar*, it. *Kyrri-njaerong*; ad Surgut *Sirre.*

Samojedis *Tarbè.*

Tungusis *Tamna milan.*

Camtschadalis *Sihtschatschitsch* et *Schischet.*

Coraecis *Kanytschugù.*

Curilis *Sitschatscha* vel *Naatschitsch.*

In tota Rossia et Sibira frequentissima, maritimis pariter atque mediterraneis in aquis. Volant per paria; volantes aquas subeunt, teli instar pisciculos jaculaturae. *Ova* in arenosis insulis nudae foveolae imponunt, 3 vel 4, columbinis paria, olivacea, lituris fuscis, rarissimis versus acutiorem verticem, pondere drachmarum 5. vel ultra. In mediterraneis aquis Sternae interdum in folio Nymphaeae, tanquam in insula, ova ponunt, ut recte *Marsilius.* Adultae per paria volant, et capto pisciculo mas signo foeminae dato, supra eam prope aquae superficiem volans, praedam demittit, ut illa potiatur. Viso homine clamorosae. Autumno parentes cum prole volant.

N*ot.* Variat *magnitudine*: borealiores saepe ultra 4 uncias pendent, nigredine verticis longe per cervicem descendente. *Foeminae* et *pulli* syncipite albo, dorso gryseo nebuloso, subundulato, rostro pedibusque fulvescentibus.

392. STERNA *Camtschatica.*

S. rostro verticeque nigro, ore pedibusque rubris, fronte superciliisque albis.

Larus Martyschka, *Steller. MS.*

Sterna Camtschatica, *Penn. Zool. arct. II. p.* 525. *Latham. av. VI. p.* 358. *n.* 9. (pro varietate).

Rossis in Camtschatca *Martyschka.*

Camtschadalis *Tschitschádatsch.*

Stellero curiose distinguitur ab Hirundine, qua omnino major. Abundat in maritimis circa Camtschatcam et insulas vicini maris, clamore molestissima. Piscatur instar St. hirundinis. Incaute et sine nido ova ponit, columbinis similia.

Descr. Magnitudo supra St. Hirundinem. *Rostrum* nigrum, dorso convexum: *os* intus ruberrimum. *Color* fere St. Hirundinis. *Caput* et cervicis dimidia pars atra, splendida; prima frons alba, cum striga utrinque superciliari. *Irides* fuscae. *Cervix* inferior, *dorsum*que cana. *Uropygium* cum cauda album; haec forcipata, rectricibus 4. mediis aequalibus. *Alae* cauda longiores, basi canae: *remiges primariae* exterius nigrae, interius fusco-canescentes, margine albae; *secundariae* fusco-canescentes, interiore margine albae. *Pedes* fusco-rubri, unguibus nigris. *Mensura* ad uropygium 13″. caudae 3″. rostri 1″. 8‴. alarum expansarum 2′. 7″. 0‴. digiti medii 1″. 7‴. A sequenti praesertim magnitudine et rostro differt.

Not. Synonymon *amiciss. Pennant* perperam ad St. naeviam retulit *Gmelinus* (syst. Lin. I. *part.* 2. *p.* 609.).

393. STERNA *minuta.*

S. rostro apice nigro pedibusque fulvis, vertice nigro, fronte superciliisque albis.

Larus cinereus minor, *Marsil. Danub. V. tab.* 43.
Sterna minor, *Brisson. orn. VI. p.* 206. *tab.* 19. *fig.* 2.
Sterna albifrons, *Catal. Vroeg. n.* 271.
Sterna minuta, *Lin. syst. I. p.* 228. *sp.* 4.
Sterna parva, *Penn. Zool. brit. p.* 144. *tab. L* 2.
Sterna metopoleucos, *Gmel. jun. Nov. Com. Petrop. XV.* p. 475. *tab.* 12. *fig.* 1. mala.

In Rossiae australioris aquis, praesertim versus lacum caspium, itemque circa Irtin et in campis Barabensibus frequens. *Ova* pro mole matris magna, axi 1″. 2‴. diametro 10½. ad 11‴. ovato-globosa, olivaceo-cinerascentia, guttulis inordinatis crebris, majoribus circa obtusiorem verticem, liturisque partim obsoletis conspurcata.

Descr. Minutissima in suo genere, neque Hirundine apode multo major. *Rostrum* coccineum, summo apice nigro. *Frons*, inter lora atra, candida, angulis supra oculos productis; *vertex* cum magna parte cervicis ater. *Collum* album et *corpus* totum, cum *cauda*, solo *dorso* et alis leucophaeis. *Remiges* 2. extimae cum tectricibus nigricantes, interiore margine late albae; reliquae primariae pruinosae, *secundariae* dorso concolores, margine terminali albo. *Cauda* profunde forcipata. *Pedes* fusci, unguibus nigris, membranis non ad digitorum extremitates perfectis. — In *Foemina* nigredo capitis minus elegans, areaque frontis alba minor et altius excisa. *Mensura* totius ad uropygium 5″. 3½‴. caudae 2″. 2½‴. rostri 1″. 4‴. ad frontem 1″. 1‴. pars nuda femorum 2½‴. tibiarum 6½‴. digiti medii (cum ungue 3‴.) 8½‴.

394. STERNA *naevia.*

St. rostro fusco, pedibus semipalmatis, corpore vario, cauda subaequali.

Larus fissipes, *Albin. av. II. tab.* 82. pessima.

Larus maculatus, *Marsil. Danub. V. tab.* 45.

Sterna naevia, *Brisson. Orn. VI. p.* 216. *tab.* 20. *fig.* 2. *Lin. syst. XII. I. p.* 228. *sp.* 5. *Latham. av. VI. p.* 358. *sp.* 9.

Guifette, *Buffon. Orn. VIII. p.* 339. *D'aubent. pict. n.* 924.

In australibus Rossiae, praesertim circa Rhymnum et Volgam, versusque Caspium lacum frequentissima.

Descr. Magnitudo St. fissipedis. *Habitu*, rostro breviore, pedibus procerioribus, cauda subaequali ad Laros accedit. *Rostrum* nigricans, basi lividum, inferiore maxilla ramis et ore intus rubescentibus. *Lingua* apice biseta. *Irides* et palpebrarum margines atri. *Caput* album et avis subtus tota, cumque uropygio; *lunula* ante oculos et *litura* triangularis temporum pone oculos atra; *occiput* cum cervice fuscum, gryseo-nebulosum. *Dorsum* fusco-nigricans, limbis subgryseis, humeri alarum canescentibus; *incumbentes* et *tectrices* canae, apice gryseae. *Alae* longissimae, falcatae; *remiges* fuscescenti-canae, extimae 4. interius secundum marginem area acuminata alba; *secundariae* 10. interiore margine late albae, apice obsolete emarginatae. *Tectrices* caudae canescentes; *rectrices* latiusculae, canae, apice fuscidiores; mediae tantillo breviores, extima utrinque albescente. *Pedes* obsoletissime fulvescentes, digitis semipalmatis, exterioris membrana latiore, *unguibus* nigris. *Pondus* sescuncia semper majus, minus biunciali. *Mensura* totius ad uropygium 6″. 2‴. Caudae 2″. alarum expansarum 1′. 9″. 0. ulnae 7″. 4‴. rostri ad angulos oris 1″. 2‴. partis denudatae femorum 5‴. tibiarum 8‴. digiti

medii (cum ung. $2\frac{7}{8}'''$.) $10\frac{2}{3}'''$. — *Variat* plus minusve fusco inquinata, et dorso saepe paene nigro.

395. STERNA *hybrida.*

S. rostro rubescente - fusco, pedibus subfissis, corpore cinereo, subtus verticeque nigro.

?Larus cinereus fissipes, *Marsil. Danub. V. tab.* 44.

Rarissimam avem nonnisi aliquoties circa Jaïcum seu Rhymnum, australem Volgam et ad Sarpae lacus sub reditum observavi A. 1774. Diceres e St. *fidipede* et *Hirundine* natam.

Descr. Magnitudo paulo supra St. fissipedem. *Rostrum* fusco-rubrum ore intus rubicundo. *Vertex* totus niger; *Gula* late alba, ut et crissum, alaeque subtus. *Collum* pectus et abdomen fusco - nigricant. *Cervix, dorsum, alae* extus cana. *Cauda* albidior, subforcipata. *Remiges* primariae fusco - canescentes, interius albae, albedine disci in fuscedinem extremitatum acute excurrente; secundariae dorso concolores. *Pedes* saturate rubri, minus adhuc, quam in Sterna fissipede, palmati. (Conferenda cum St. fusca *Brissonii; Orn. VI. p.* 220. *tab.* 21. *fig.* 1.). *Pondus* fere triunciale: *Mensura* longitudinis 7''. 8'''. caudae 3''. 1'''. mediis pennis 2''. 6'''. expansarum alarum 2'. 1''. 6'''. ulnae 8''. 10'''. rostri 1''. 7'''. femor. nudatae partis 5'''. tibiarum 10'''. digiti medii 1''. 2'''.

396. STERNA *fissipes.*

S. pedibus semipalmatis rubris, corpore nigro, alis canis, cauda subforcipata alba.

Larus minimus s. Hirundo lacustris, *Frisch. av. tab.* 220.
Sterna nigra, *Brisson. Orn VI. p.* 111. *tab.* 20. *fig.* 1.
Sterna fissipes, *Lin. syst. XII. I. p.* 228. *sp.* 7.

Sterna nigra, *Penn. Zool. brit. p.* 145. *tab. L** 1.
Hirondelle de mer noire ou Epouvantail *Buffon. orn. VIII. p.* 348. *D'aubent. pict. tab.* 333.

In deserto tatarico a Tanaï usque ad Obum, praesertim circa lacus amaros atque salsos, imo supra lacunas siccas sale floridas frequens, ideo ut saepe gregaria, hirundineo numero obvolitans, clamore inter volandum fere Gaviae. Victus praesertim ex Insectis. Datur etiam in Camtschatca. *Ova* fere ut Vanelli; *nidus* e ramentis graminum et plumis.

Descr. Minima sui generis, praeter St. minutam. *Rostrum* fuscum, basi rubrum, ore intus coccineo. *Caput*, collum et *truncus* opace atra; *cauda* cum *uropygio crisso*que nivea, obsolete forcipata, rectricibus latiusculis, intermediis parum brevioribus. *Alae* longissimae, cano-fuscescentes, basi supra albae, subtus nigrae; *remiges* cum *tectricibus* exteriores canae, interiores sensim magis fuscescentes. *Humeri* supra albi, subtus nigri. *Pedes* minuti, saturate rubri, *unguibus* falcatis nigris, *membranis* vix ultra mediam longitudinem digitorum protensis, interiore angustiore. — *Foemina* obsoletior, pedibus fusco-rubris; saepe ante oculos, colloque albido undulata. *Pondus* supra biunciam. *Mensura* tota ad uropygium 6″. caudae 2″. 7‴. ulnae alarum 7″. 4‴. expansarum 1′. 9″. 9‴. rostri 1″. 3‴.

LXIV. CEPPHI.

Colymbos caudatos palmipedes Linnaei, *Urias* atque *Mergos Brissonii*, *Cataracten* et *Cepphos Moeringii*, jampridem sub communi *Cepphorum* nomine generico comprehensos a *Colymbis*

veris lobipedibus et ecaudatis distinxi (*), exclusa *Alca Alle* quam solus *Brissonius* huic naturali generi perperam immiscuit. Itaque species hujus generis Faunae nostrae proprias nomine necessario mutato proponam, in duas phalanges distinctas, quarum prior pedibus tetradactylis *Mergos Brissonii* et *Pennanti*, altera tridactylas *Urias* prioris sistit; has marinas omnes, illos vel maritimos vel saltem maximos tantum mediterraneos lacus frequentantes. Omnes species *ova*, uti Alcae, pauca sed permagna pariunt, eo scopo Naturae (: ut recte *Stellerus* observat :) ne cito refrigescant, dum incuria incubantium avium, saepe diu per mare vagantium, detectae relinquuntur.

A. Cepphi tetradactyli.

397. CEPPHUS *torquatus.*

C. dorso albo-maculato, capite colloque viridante-nigris, semitorque albo-variegata.

Mergus maximus farrensis, *Albin. av. III. p.* 89. *tab.* 98.
Mergus major borealis, *Penn. Zool. brit. p.* 139. *sp.* 1. *Tab. K* 2. *Zool. arct. II. p.* 518. *n.* 439. *Latham. av. VI. p.* 337. *n.* 1.
Colymbus torquatus, *Brünnich. Ornith. bor. n.* 134.
Mergus major naevius, *Brisson. Orn. VI. p.* 20. *tab.* 11. *fig.* 2.
Colymbus glacialis. *Lin. syst. XII. I. p.* 221. *sp.* 5.
Imbrim, *Buffon. Orn. VIII. p.* 258. *tab.* 84. *D'aubent. pict. n.* 952.

Camtschadalis (a voce) *Uuk*, vel *Oaktsch.*

(*) *Spicileg. Zoolog. Fasc. V. p.* 32.

Per Rossiam et Sibiriam mihi equidem nunquam visa species, attamen *Stellerus* circa portum Avatscha peninsulae Camtschaticae et in Curilorum insulis ad ostia fluviorum, inque maris sinubus observavit. Itemque Studiosus (*Basil. Sujef*) versus mare glaciale a me missus, in lacubus planitiei versus Oceanum arcticum patentis paludosae natantem vidit, jugulo flavescente tantum-modo diversum.

398. CEPPHUS *arcticus.*

C. supra niger, albo maculatus, area gulae atro-violacea, margine albo-variegata.

Colymbus maximus stellatus, *Frisch. av. tab.* 185. *A.* (an junior)?

Colymbus maculatus, *Edward. av. III. p. et tab.* 146. (mala).

Mergus gutture nigro, *Brisson. Orn. VI. p.* 115. *n.* 4. *Penn. Zool. arct. II. p.* 520. *Latham. av. VI. p.* 343.

Colymbus arcticus, *Lin. syst. XII. I. p.* 221. *sp.* 4. *Brünnich. Orn. n.* 133. *Jaquin. av. p.* 22. *n.* 16. *tab.* 7.

Rossice *Gagá-utsch;* Tataris *Kogi.*

Jacutis *Chojàs* vel *Kogàs.*

Vogulis *Taachta.*

Ostiacis *Larewoi.*

Tungusis *Ukol.*

Samojedis *Nüne.*

Camtschadalis nomine praecedentis.

In borealibus Rossiae rarior, circa omnes vero Sibiriae fluvios in Oceanum glacialem descendentes, et in lacubus plagae arcticae frequens. Autumno cum Anseribus in lacus meridionaliorum regionum advenit, tumque in deserto Barabensi tanto numero a Tataris capiuntur, ut e consutis gulis integrae lacernae confici posint, eae-

que elegantissimae, et vaginae manuales praesertim requisitae. Inter anates versari amat. *Ova* raro binis plura.

Descr. Magnitudo supra Anatem moschatam *Rostrum* rectum, nigrum, ima basi et ore livido-albidis. *Nares* lineares, margine superiore cartilagineo, papilla conica notato, styloque e fundo narium mucronato, basi conchoideo. *Irides* obscure rubrae. *Caput* supra totum, cum majore parte *cervicis*, cinerascente-canum, fronte fuscescens. *Collum* medium subtus occupat area oblongo-quadrata, opaca, violaceo-atra (in foeminis fusca), cujus ambitus, ut et collum inferius, lineolis albis nigrisque variegatus. Reliqua subtus candida. *Dorsum* nigerrimum, sed obsitum punctis majusculis albis quadratis, per transversas series dispositis, in singula pluma plerumque binis, soli rhachi distinctis. *Humeri* guttulis albis sparsi, subtus albi; *pennae* volaticae fusco-nigrescentes. *Cauda* rotundata, rectricum 15. aliis 18. quarum mediae quasi duplicatae pennis subcaudalibus, rectrices aequantibus et concoloribus. *Pedes* cinereo-fuscescentes; *ungues* parvi, planiusculi, rotundati. — *Pondus* 5½ librar. ross. *Mensurae* ad uropygium 1'. 10''. 0'''. caudae 2''. ulnae alarum 10''. 10'''. expansarum 3'. 4''. 0'''. rostri 3''. 4'''. a summo rostro ad sinum sterni 11''. 9'''. tibiae 2''. 9'''. digiti medii 3''. 7'''. unguis 4½'''.

399. CEPPHUS *septentrionalis*.

C. corpore supra fusco albo punctato, area colli longitudinali rufa.

Colymbus caudatus major, fuliginosus, occipite laevi, scutulo sub gula spadiceo, *Messerschm. orn. MS. VII. p.* 178.
Colymbus caudatus guttere rubro, *Edward. av. II. p. t.* 97.
Mergus guttere rubro, *Brisson. Orn. VI. p.* 111. *t.* 11. *fig.* 1.
Penn. Zool. arct. II. p. 520. *n.* 443. *Latham. av. VI. p.* 344. *n.* 5.

Colymbus Lumme, *Brünnich. Orn. n.* 132.

Mergus sibiricus, *Chapped'auteroche itin. sib. vol. I. p.* 199. *tab.* 9.

Colymbus septentrionalis, *Lin. syst. XII. I. p.* 220. *sp.* 3.

Plongeon à gorge rouge de Siberie, *D'aubent. pict. n.* 308.

Tataris in Sibiria, *Tschomga.*

Tungusis *Uhkang;* Kystimo - Tataris *Paatsch.*

Ostiacis ad Jeniseam *Byth.*

Camtschadalis *Uaeth;* circa Avatscha *Atatatsch.*

Curilis *Uacha.*

Labradoriensibus *Baksaak.*

In septentrionalibus, praesertim maritimis Sibiriae, circa Obum et in aliis mare arcticum subeuntibus fluviis, lacubusque arctois frequens, neque in Rossia boreali deest et a *Stellero* etiam in Camtschatca observatus fuit. (Accepi itidem e Labradoria, ubi circa lacus dulces nidulatur). *Vox* fere risus humani aemula. *Mas* et *foemina* similes, iconibus et descriptionibus jam satis illustrata. *Nidum* fluitantem texit e caricibus; *ova* viridia, testa solida. Hyeme etiam in mari caspio apparet. Procellosa tempestate copiose huc illuc volant; serena maxime urinantur.

Descr. Longitudo avis bipedalis; caudae 1″. 9‴. alarum compositarum 10″. 3‴. *Irides* sanguineo - rutilae. *Caput* canum, vertice plumbeo; colli latera et gula subtus tota cana. *Area* magna sanguineo - rufa, seu saturatissime rubiginea sub collo, ad jugulum truncata, versus gulam adtenuata. *Cervix* a nucha usque ad initium dorsi, ut et prolobi latera nigricant, lineolis albis plumarum marginalibus. *Dorsum* et *alae* nigrescunt, punctis raris et minutis albis. (In Labradoriensi puncta adhuc pauciora). *Rectrices* 18. *remiges* 32. *Pedes* ut in C. Arctico, *tibiis* ancipiti compressis. *Subtus* totus albo - argen-

teus, praeter latera sub alis, quae cum pinnulis hypochondriciis nigricant, limbis albis. *Pondus* libr. 2. cum 2 unc.

400. CEPPHUS *Imber.*

C. corpore supra nigro, albopunctato, subtus toto albo.
Colymbus maximus *Gesneri*, *Steller. MS.*
Colymbus major stellatus, *Willughb. p.* 342. *tab.* 72.
Mergus major, *Brisson. Orn. VI. p.* 105. *tab.* 10. *fig.* 1.
Colymbus Immer, *Brünnich. Orn. bor. n.* 129. *Lin. syst. XII. I. p.* 222. *sp.* 6.
Grey spekled Diver, *Pennant. Zool. brit. p.* 139. *sp.* 2. *tab. K*. Zool. arct. II. p.* 518. *n.* 440. *Latham. av. VI. p.* 340. *n.* 2.

Camtschadalis *Asoai.*

Inter Camtscaticas aves a *Stellero* recensita species et mihimet ipsi inde adlata. *Vox* exprimit *Uu-ua* vel *Gurr*, saepe quasi risui-comparabilis. *Irides* castaneae; *periophthalmium* totum oculum tegens. *Magnitudine* sequentem multo superat.

401 CFPPHUS *Stellatus.*

C. corpore supra fusco, albo punctato, subtus toto albo.
Colymbus maximus caudatus, *Albin. av. I. p.* 72. *tab.* 82. *Willughb. Orn. tab.* 62.
?Mergus minor, *Brisson. Orn. VI. p.* 108. *tab.* 10. *fig.* 2.
Colymbus stellatus, *Brünnich. Orn. n.* 130. *Nov. Coment. Petrop. IV. p.* 424.

Circa Sinum Fennonicum et in borealibus maritimis Rossiae passim frequens, a praecedente distinctissimus et multo minor. Nota etiam in mari Germanico species.

Descr. Magnitudo Boschadis. *Rostrum* albo-cinereum. *Pedes* nigri, sed tibiae antica acies et digitus medius supra longitudinaliter cinereo-albent, membranaeque inter digitos medio longitudinaliter albescunt. Avis *supra* obsolete nigrescens, singulis plumis albo biguttulis; *subtus* alba. *Caput* et *collum* supra plumbeo-cana, substriata. *Remiges rectrices*que immaculatae.

B. Cepphi tridactyli.

402 CEPPHUS *Lomvia.*

C. pedibus tridactylis, corpore colloque nigro, pectore abdomine remigibusque secundariis apice albis.

Uria, *Brisson. Orn. VI. p.* 70. *tab.* 6. *fig.* 1.

Aria Lomvia, *Brünnich. Orn. n.* 108. mas *n.* 110. foemina.

Guillemot, *Albin. av. I. p.* 80. *tab.* 84. *Edward. glean, III. p.* 359. *fig.* 1. *Zool. brit. p.* 138. *sp.* 6. *tab. H.* 3. *Buffon. Orn. IX. p.* 350. *tab.* 25. *D'aubent. pict. n.* 903.

Foolish Guillemot, *Latham. av. VI. p.* 329. *n.* 1.

Colymbus Troille, *Lin. syst. XII. I. p.* 220. *sp.* 1. *Frisch. av. tab.* 185.

Rossis in Camtschatca *Kaara.*

Lamutis Cepphi et Colymbi in genere *Okan.*

Curilis *Hara ;* Coraecis *Kajùki.*

Camtschadalis *Aarun*, *Aaru.*

Circa mare balthicum et maxime ad littora et insulas maris albi et glacialis, majorque varietas ad orientale littus Camtschatcae et circa insulas tam Curilas, quam versus Americam sparsos copiosissima avis. *Ovum* in nudae rupis plano parit unicum, sed cygneo fere majus, altero vertice subacute conicum, album vel virescens, lituris lineisque et characteribus fuscis, in diverso diversis, praeser-

tim circa rotundatum verticem crebris, interdum vero paucissimis pictum, quod vitello aurantio, sapidissimo, omnia maritimarum avium ova laude vincit. Parit circa 15 — 20 Junii, imo sub finem Maji, locis saepe ita praeruptis, ut vix spatium sit, ubi incubans avis insistere possit, quae erecta stans, ovum foveolae adaptatum et immobile ano fovet, et saepe in mari vaga per horas nudum linquit. In mari natant saepe dormitabundae, ut perticis e scapha occidi possint, tumque terrore ita percelluntur, ut neque natare, nec subvolare, nec urinari sciant et in superficie maris quasi volvuntur. Alias sunt timidae, minusque stolidae aliis marinis. Diu sub aqua durant, et piscibus maxime vivunt, unde caro pisculenta. A mari saepe in littora post tempestates egeruntur integerrima et non putrefactae, forsan a diuturniore mora sub aquis suffocatae. Dum ovis insident facile fustibus caedi, vel laqueis, retibusve injectis capi possunt, et dum una capitur, vicinae non turbantur. Hyeme in mari glaciali et Camtschatico desunt; sed in M. germanico et balthico omni anni tempore visuntur. *Ova* delineavit *Steller* in *Comment. Petrop. Tom. IV. p.* 414. *seqq. tab.* 10.

Descr. Magnitudo Boschadis, vel paulo major. *Rostrum* nigrum, maxilla superiore mobilissima, ad apicem utrinque crena insigni; *os* intus flavum; *lingua* subbifida. *Irides* albicantes. *Corpus supra* nigrum, *subtus*, quousque aquae immergitur, album. Latera in borealibus fusco nebulosa. *Remiges* secundariae apice truncato-albae. *Cauda* rotundata, nigra, rectricibus plerumque denis. *Subalares* albae, scapis nigris, majores canae. *Sutura* plumacea pone oculos longitudinalis. — *Mas* habet caput et collum, usque ad medium, totum fuligineo-atrum; in quibusdam (an Varietas?) niveus circulus oculum arcte cingit et per suturam linea alba producitur.

Foeminis gula alba, albedine versus tempora diffusa, subnebulosa, contraque nigredo medium colli semiamplectitur.

Not. Magnitudine admodum variantes vidi e mari septentrionali aves Boschade majores, aliasque minores. Camtschaticae Cepphum septentrionalem subaequant; iisque remiges secundariae tantum apice albae, rectrices 12. pedesque flavescentes in siccis. Longitudo tota cum cauda 1′. 4″. 0. extensarum alarum 2′. 3″. 0.

403. CEPPHUS *Arra.*

C. tridactylus, corpore nigro, subtus albo, remigibus secundariis apice anguste albo-marginatis.

An Ringuia? *Brünnich. Orn. bor. N°.* 110. 111. *Latham. av. VI. p.* 331. *n.* 2.

In Camtschatca communi, cum praecedente, nomine vocatur *Arra.*

Frequens in Oceano orientali circa Camtschatcam et a praecedenti diversissima, licet a nemine hucusque distincta. Moribus etiam convenit.

Descr. Magnitudo et *habitus* omnino C. Lomviae, sed rostrum multo minus et diversissimum, brevius, compressius, minus robustum, superius magis curvilineum, sulco utrinque ad dorsum obsoletissimo versus caput, carina in medio argute angulata, basi minus denudatum (*). Plumae capitis et colli non aeque holosericeae, ut in Lomvia. Avis *subtus* tota alba, supra nigra; *sutura* pone oculos concolor, obsoleta. Nigredo medii colli lateraliter diffusa, et subtus

(*) Contra in *Lomvia* Camtschatica angulus rostri frontalis obsolete canaliculatus et carina sulco exarata, laterales vero rostri margines longe citra nares, ad fraenum oris usque nudi; quod non in *Arra.* Anguli plumosi ultra nares procurrentes, carina curvilinea, nec angulata.

fere contigua; ante isthmum gula fuliginoso alboque nebulosa. *Remiges* secundariae circiter 10. vel 11. apice angustissime albo-marginatae. *Rectrices* 12. breviores atque angustiores, omnes perfecte aequales et nitide atrae (nec fuscae, extimis subbrevioribus, ut Lomviae). *Pedes* debiliores et breviores, fulvescentes. *Litura* transversa nigricans ad femora, propria huic; sed latera sub alis in utraque nigro striata. *Mensurae* comparatae;

	in Arra.	in Lomvia.
Longitudo rostri ad angulum frontalem	1″. 2‴.	1″. 7″.
ad angulos fraenales nudos	1″. 2½‴.	2″. 1½‴.
ulnae alarum	7″. 6‴.	8″. 2‴.
rectricum	1″. 2‴.	2″. 10‴.
tibiarum	1″. 5‴.	1″. 6‴.
digiti medii	1″. 11‴.	2″. 2½‴.
unguis medii	0″. 4‴.	0″. 5½‴.

404. CEPPHUS *Columba.*

C. tridactylus, corpore toto nigro, macula alarum alba.

Columba groenlandica Auctorum, *Albin. av. II. p.* 53. *tab.* 85. (sed rostrum Alles). *Frisch. av. tab.* 185. *Edward. av. I. tab.* 50. *fig.* 1.

Uria minor nigra, *Brisson. Orn. VI. p.* 76. *sp.* 3.

Uria Grylle, *Brünnich. Orn. n.* 113.

Plack Guillemot, *Zool. brit. p.* 138. *sp.* 7. *tab. H* 4.

Colymbus Grylle, *Lin. syst. XII. I. p.* 220. *sp.* 1.

Petit Guillemot noir, *Buffon. Orn. IX. p.* 354. *D'aubent. pict.* 917.

β. Uria minor striata, *Brisson. Orn. VI. p.* 78. *sp.* 4.

Uria grylloides et balthica? *Brünnich. orn. n.* 114. ad 116. *Latham. av. VI. p.* 333. *n.* 3. *varietas.*

Columba groenlandica maculosa, *Edward. av. I. tab.* 50.

Rossis in Camtschatca *Swistun* (fistulatrix), et *Iswostschik* (auriga, a fistulatu).

Camtschadalis *Kajuur* i. e. remex (quia in mari ante scaphas supra aquam quasi currit, et remigantes juvat) vel *Tschitschatsch*, cum sequente.

Curilis *Pynang* vel *Pykâun* vel *Pikao*.

In Oceano arctico, pariterque circa Camtschatcam et in omni freto inter Sibiriam et Americam abundant et ubique fistulante voce exaudiuntur. Minus stolida aliis marinis avibus. Insidet saxis circa littus et insulas, vix unquam graditur; natans crebro mergitur et urinatur diu. Conchas et crustacea varia vorat. Solitariae ab oriente advolant in Camtschatca. *Ova* ponunt Junii initio singula, in fissuris rupium inaccessis, quibus et ipsa noctu latet. Ea *ova* forma et mole fere Gallinacei, sapidissima, ovalia, interdum hinc acutiora, alba, maculis testaceis, punctisque cinereis sparsa. (Vid. *Steller Comment. Petr. IV. p.* 418. *tab.* 11.). *Vox* vulgo Picorum similis, interdum fistulatus humani aemulus.

Descr. Magnitudo Fuligulae. *Rostrum* nigrum, vix rufescens; sed *os* intus, cum lingua, coccineum. *Corpus* totum exsoletius atrum, subtus magis fuscescens. *Area* magna in medio alarum, ab humeris totas tectrices secundarias occupans alba, et humeri subtus albi, nisi margine versus corpus. (In speciminibus orientalis Oceani: fascia alarum duplex alba, posterior tegetes terminans, et cum altera brachium tegente versus dorsum convergens.) *Cauda* rotundata, alis fere brevior, rectricibus 12. vel 14. *Pedes* coccineo-rubri, membranis saepe foraminulo pertusis. *Foeminae* subsimiles. Sed *Juniores* supra nigri, plumis albo marginatis, subtus albidi, fusco transversim liturati et inquinati, area alarum nigro liturata. His *pedes* flavi, membranis fuscis. (*Brünnichius* pro distincta specie posuit.).

Differunt a C. *Perdice* persimili maxime rostro robustiore, majore, aliter figurato, et maxilla inferiore subtus sulco carinae longitudinali.

405. CEPPHUS *Carbo.* *TAB. LXXIX.*

C. tridactylus, totus niger, orbitis albis, basi rostri alarumque cinerascente.

An C. Columbae varietas A. *Latham. av. VI. p.* 333.

Aleutis *Tschukk.*

Habitat solummodo in Oceano orientali, circa insulas Aleuticas, praesertim in scopulis circa Unalaschka, unde numerosa specimina accepi. Vere ad insulas Curilas advolat, sed cito abit. *Stellerus* a praecedente non distinxit, licet diversissimam.

Descr. Paulo major et robustior C. Columba. *Rostrum* nigrum, multo robustius, crassitie et longitudine superans, obtusiusculum, rectissimum, dorso convexe rotundato. *Fossa* supra nares, ut in C. Columba; *nares* lineares longiores. Plumulae anguli frontalis utrinque ad nares et circa maxillam inferiorem albae. *Orbitae* albae, area sub oculis latiore, posterius producto-adtenuata. Corpus totum fusco-nigerrimum, alarum humeris cinerascentibus; sed macula alarum nulla alba. *Pedes* intense ruberrimi, etiam membranis, robustiores quam in C. Columba; *unguibus* nigris, crassioribus, brevioribus, minus adtenuatis. Proportiones comparatae, C. Columbae. C. Carbonis.

	C. Columbae.		C. Carbonis.
Longit. rostri ad angulos frontis	1″. 2‴.	—	1″. 5‴.
- - - - ad rictum - -	1″. 4‴.	—	1″. 8‴.
- - - - ad nares - - -	0″. 11‴.	—	1″. 1½‴.
- - ulnae alarum - - -	6″. 7″.	—	7″. 6″.
- - tibiarum - - - - -	1″. 3‴.	—	1″. 4‴.
- - digiti medii cum ungue	1″. 9‴.	—	1″. 11‴.
- - unguis - - - - - -	0″. 5‴.	—	0″. 4½‴.
- - rectricum - - - - -	2″. 0‴.	—	2″. 0‴.



Cepphus Perdix. P.

406. CEPPHUS *Perdix*. *TAB. LXXX.*

C. tridactylus, supra fusco gryseoque lituratus, subtus albo nigroque virgatus.

Marbled Guillemot, *Latham. av. VI. p.* 336. *n.* 5. *tab.* 96. (nimium nigra).

Rossis in Camtschatca *Pyshik.*

Plurima specimina, inter aves in orientali Oceano, versus Americam inque Sinu Ochotensi, ad Tauisk, lectas, retulit *D. D. Merck.*

Descr. Magnitudo Perdicis s. C. Columba minor et probe distincta atque constans species. *Rostrum* nigricans; omnium congenerum tenuissimum, admodum compressum, rectum, utrinque ad apicem subemarginatum. *Caput* supra fusco-nigrescens, circa frontem plumulis alba ora fimbriatis. *Cervix* et *dorsum* fusco-nigrescunt, dorsum lituris transversis seu punctis gryseis, versus uropygium obsoletissimis. *Collum* subtus et lateribus album, taeniolis transversis nigris creberrimis, sub medio collo subconfluentibus. Reliqua avis subtus item alba, taeniolis transversis magis fuscis seu exsoletius nigrescentibus, in medio ventre itidem confluentibus. *Alae* nigricantes, subtus concolores. *Cauda* rotundata, rectricibus lateralibus adtenuatis. *Tectrices* caudae apice lutescentes. *Pedes* pallidi exiles, membranis fuscis, unguibus nigricantibus. *Mensura* rostri ad frontem 9‴. ad rictum 1″. 3‴. tibiarum 9½‴. digiti medii cum ungue 1″. 3‴. unguis 2½‴.

LXV. COLYMBI.

Soli in tota classe volatilium Colymbi naturaliter *cauda uropygio*que carent. *Pedum* quoque conformatione, *digitorum* praesertim in distinctas ovales laminas dilatatorum, tibiisque et unguibus serratis pares non habent; et licet subanaloga obtineat in Fulicis et Phalaropis forma pedum, tamen his articulatim lobati digiti satis differunt. Extra aquam Colymbi omnes, ob situm *pedum* ano proximum et femorum pelle latentium captivitatem, in ventrem procumbunt, nec nisi difficulter, et inepte in crissum erecti et alis adjuti currere possunt. Vescuntur omnes pisciculis, et carnes maxime pisculentas habent. *Rostro* Cepphis sunt simillimi et plumarum natura ad aquaticam vitam aptissimarum. Rutheni atque Tatari e Colymborum volatu vulgo tempestatem praesagiunt: ex ea enim plaga, quorsum volatu tendunt, ventos ingruere observatur. Certissima experientia et ipse comperi, vespertinos clamores Colymborum, Fulicarum, aliarumque aquaticarum, verno tempore, praeter morem increbrescentes, post serenos dies sera frigora, imo nives et procellas portendere in crastinum. Autumno sero migrantes Colymbi hyemis confirmatae signum plerumque dabunt. Vivacissimae caeterum, cum Cepphis, sunt aves, quae multis saepe vulneribns non occumbunt, et modo cor et pedes integri sint, natando et urinando venatori se subducere non desinunt. Avium aquaticarum plumae oleaginosae, me quidem judice, fiunt non ab inuncto oleo ampullae uroppgii, quae solis videtur remigibus, rectricibusque unguine curandis inservire; aves enim quarum plumae facile madefiunt, ut Sitta, Pari, Sturni, caet. oleosa ampulla minime carent. In aquaticis plumae potius a suscepta per scapum, imo per cutem transsudante

pinguedine subcutanea, maxime tenuata humorem repellunt. Quod quidem maxime confirmatur exemplo Colymborum, quibus et ampulla oleaginea et uropygium desunt, et tamen plumae sunt unctissimae; item Anatum variarum, v. gr. Clangulae, porro Plateleae et Onocrotali, quibus jugularis regio, ubi plurimum pinguedinis haeret, post exactam hyemem transsudatione evidenti ferrugineum pingui inunxit colorem.

407. COLYMBUS *cornutus*.

C. capite cucullato rufo, occipite cristato - bicorni.

Colymbus major, *Marsil. Danub. V. tab.* 38.

Colymbus medius cornutus, *Frisch. av. tab.* 183.

Colymbus major cristatus, *Albin. av. I. p.* 71. *tab.* 81. *Zoolog. Brit. p.* 132. *tab. K.*

Colymbus cornutus, *Brisson. Orn. VI. p.* 45. *tab.* 5. *fig.* 1.

Colymbus cristatus, *Lin. syst. XII. I. p.* 222. *sp.* 7.

Grêbe cornue, *D'aubent. pict. n.* 400.

Rossis *Gagára.* Tataris *Tschomga.*

Mongolo - Buraetis *Angatu.* Tungusis *Naabhoga.*

Vogulis *Tachte;* Ostiacis *Tachting*, ad Irtin *Lor - woi;* ad Surgut *Lar - tatang;* Juganis *Lar - wagajach.*

Samojedis *Nüne;* ad Narym *Njaenna.*

Coraecis *Jowàjo;* Camtschadalis *Aschoai.* Aleutis Colymbi in genere *Tschamdajak.*

Tangutis *Tschuwscha.*

In lacubus, stagnis et paludibus totius Rossiae et Sibiriae frequens. *Vox* fere gruina, quae nomini slavonico *Ga - gar* originem dedit. *Nidi* fluitantes ex Arundine, Caricibus, Typha, Equiseto contexti, a ripis haud remoti, in vadis praesertim arundinosis, ne a

ventis agitentur, itemque in praeruptis riparum, sub arborum radicibus. *Ova* raro binis plura, anatinis minora, virescentia. Ventres argentati horum Colymborum a Barabensibus Tataris, apud quos in lacubus maxime abundant et laqueis natantibus capiuntur, in lacernas pelliceas consuuntur, satis quidem lepidas, sed viles et parum requisitas, licet e longinquo quasi speculis argenteis opertae videantur.

Descr. *Vertex* et *crista* occipitis bicornis divergens nigra, *cucullus* ferrugineo-fuscus colli initium cingens, e plumis laxioribus, pexis. *Fasciola* alba, supra lorum nudum, a rostro ad oculos. *Gula* usque ad aures alba. *Corpus subtus* argentato-album, hypochondriis fusco ferrugineoque nebulosis. *Dorsum* et *alae* obsolete nigra. *Alae spuriae* ulteriore margine, *remiges*que secundariae intermediae albae.

Varietas datur duplex: *altera* bilibri major; *altera* vix sex decim unciarum; simillimae ambo, nisi quod minoris maxilla inferior basi rubescat, alaeque spuriae latius albae. Utriusque varietatis *foeminae* crista brevi, subauritae. In *majore* ulna alarum 7″. 2‴. rostrum 2″. 5‴. in *minore* ulna 6″. 6‴. rostrum 2″. — * Anne hujus speciei *juvenis avis*, quam in ostio Nevae fl. captam sic descripsi: *Irides* flavae. *Rostrum* corneo-albens, supra infraque longitudinaliter fuscescens. *Magnitudo* Col. cornuti. *Caput* supra nigrum. *Vitta* albo, fuscoque varia, ad rostrum bifurca, per verticem simplex, postice denuo bifurcata exit in fasciculos plumosos nucham, utrinque subauritam, ornantes. *Litura* occipitis alba. Latera capitis alba, fascia obliqua, liturisque nigris varia; gula subcucullata alba. *Fasciae* duo albae, a nucha per cervicem nigram longitudinales, et subtus collum album. *Dorsum* nigrum; *venter* albo-argenteus per latera rufescens. *Brachia* alarum longitudinaliter alba. *Remiges* 11. primariae nigrae; 8 ad 11. apice albae, sensim ulterius; 12. toto

apice, 13. et 14. tota praeter basin albae; sequentes undecim totae albae; 2 intimae exterius dimidiato-fuscae. *Pedes* livescente-flavi, *tibiis* extus, *digitis*que subtus nigris, his fulvo-marginatis, vix crenulatis, ut et tibiarum acies. *Mensura* totius avis 1'. 8''. 8'''. rostri 2''. 3'''. alarum expansarum 2''. 3½''. ulnae 7''. 5'''. Plumae pennaeque plures adhuc incompletae et collum sublanuginosum.

408. COLYMBUS *cucullatus*.

C. occipite subcristato, gula cana, collo ferrugineo, rostro basi flavo.

White and dusky Grebe, *Zool. Brit. p.* 133. *tab. K* 1. (demptis synonymis).

Colymbus subcristatus, *Jacquin. av. p.* 37. *n.* 31. *tab.* 18.

Le Jougris, *D'aubent. pict. n.* 931.

In Rossiae et Sibiriae lacubus non infrequens, praesertim per campos Ischimenses et Barabenses copiosior. Borealiores regiones vix videtur adire. *Nidus* etiam hujus fluitans, inter arundines; *ova* bina, luride alba. Abitura nido mater herbis variis aquaticis ova contegit, quas rediens rostro removet, timidissima alias et raro ova deserens. Hanc speciem paucissimi Ornithologi distinxerunt, licet Europae pariter sit communis, ut e citatis constat.

Descr. Minores praecedentis speciei subaequat, seu mole paulo supra Fulicam. *Rostrum* nigrum, sed basis maxillae inferioris et superioris angulus sub oculo recurrens flavissimi coloris; nec tamen os intus. *Lora* anguste nuda nigra. *Irides* fusco cinerascentes. *Vertex* ater, subvirente nitidus, occipitalibus plumis arriguis in cristam subbilobam. *Linea* alba ad lorum incipiens, sub oculis descendens, includit *gulam* late canam, ad tempora fere usque; reliquum *collum* intense ferrugineum. Corpus *subtus* albo-argenteum, *jugulo*

lituris fuscis nebuloso; *hypochondria* fusca. *Dorsum* et *alae* nigricantes. *Remiges* secundariae, 16 ad 20, medio transversim albae, intermedio tantum apice fusco; universae 30. *Tibiae* exterius digitique subtus nigri; supra interius tibiae pallidae, fusco-maculosae. Posticus margo tibiarum sulco exaratus, dupliciter serratus. *Foemina* minus pulchra, at similis mari. *Pondus* proxime trilibre, vel minus. *Longitudo* tota 1′. 3″. 7‴. a summo rostro ad sternum 9″. rostri 2″. ulnae alarum 6″. 7‴. expansarum 2′. 2″. 6‴. tibiae 1″. 9‴. digiti exterioris, utpote longissimi 2′. 8‴.

409. COLYMBUS *naevius*.

C. capite laevi, gula albida nigro-maculata, collo ferrugineo.
An? rednecked Grebe, *Penn. Zool. arct. p.* 499. C. *Latham. av. V. p.* 288. *n.* 7.

In australibus circa Volgam observata, sed rarissima. An forte aetate imperfecta praecedentis varietas?

Descr. Praecedente multo minor. *Rostrum* fuscum, carina pallida. *Irides* testaceae. *Vertex*, *cervix*, *dorsum* nigricant. *Gula* usque ad oculos alba, fasciola utrinque ab oculo descendente et aliquot maculis ovatis inaequalibus nigris. Reliquum *collum* testaceo-ferrugineum. *Jugulum* fuscescenti-obsoletum. *Brachia* versus basin et aliquot remiges secundariae albae. Corpus *subtus* albo-argenteum, nitidissimum. *Alae* nigricantes, remigibus aliquot secundariis albis. *Pedes* fusci. *Longitudo* tota 1′. 2″. 6‴. expansae alae 2′. 1″. 9‴.

410. COLYMBUS *auritus*.

C. capite nigro, auribus cristato-ferrugineis.
Colymbus minor, *Marsil. Danub. V. tab.* 39.
Colymbus auritus, *Edward. av. II. tab.* 96. *fig.* 2. *IV. tab.*

145. *Brisson. Orn. VI. p.* 54. *Lin. syst. XII. I. p.* 223. *sp.* 8. *Latham. av. V. p.* 285. *n.* 4. *p.* 287. *n.* 6. *tab.* 91! *Penn. Zool. arct. n.* 417. 499.

Grêbe d'Esclavonie, *D'aubent. pict. n.* 404.

Rossice *Paganka*; Malorossis *Tschubatoi Noretz.*

Tataris ad Tschulymum *Madar* et *Tscherdat.*

Tungusis *Otschiwa.* Ostiacis *Lullie.*

In Rossiae universae et Sibiriae aquis, cum Col. cucullato frequens, magnitudine valde ludens, neque constanti semper colore et ornatu capitis. Pondere variat a 9. ad 17 uncias, plerumque libram subaequat vel superat. *Ova* virescentia. Descriptionem e numerosis speciminibus addo.

Descr. Rostrum subadscendens, nigrum. *Lora* et limbus *palpebrarum* nuda, coccinea, vel fusco-rubra. *Irides* corallini vel rubinei coloris. *Caput* et *collum* totum nigra; caput plumis laxis tumidiusculum, in *vertice* arriguis; Pone oculos utrinque *fasciculus* sparsus e plumis capillaribus, splendidis, partim gryseis, partim ferrugineis. *Gula* quibusdam, praesertim foeminis, latius albet; in aliis macula minuta alba notata. *Collum* inferius, lateraque ferruginea. *Corpus* subtus albissime argentatum. *Dorsum* nigrum; *alae* basi fuscescentes, uropygio breviores. *Remiges* primariae interius a basi albae, 11. ad 23. (in aliis pauciores) albae, intimae nigrae, sed 24ta et proxima cuneo a basi albo. *Pedes* cinereo-fuscescentes, *ungue* medio latiore, crenato. *Longitudo* tota avis 10″. 5‴. rostri 1″. ulnae alarum 5″. expansarum 1′. 5″. 6‴. tibiae 1″. 6‴. digitorum medii et exterioris 1″. 1‴. — *Junioribus cirrhus* temporalis rarissimus, gryseo-canescens, *gula* et corpus *subtus* totum albo fuscoque nebulosa. — *Pulli* adhuc lanuginosi supra grysei, subtus albi, taeniolis longitudinalibus supra sparsis nigris.

411. COLYUMBUS *minutus.*

C. capite subcucullato, gula ferruginea, macula postoculari alba.

Didapper, *Willughb. Orn. p.* 310. *Raj. syn. p.* 125. *Zoolog. Brit. p.* 134. *sp.* 5. *tab. F.* 1. *Latham. av. V. p.* 289. *n.* 10.

Colymbus minor Schwenkfeldi, Mergulus minor exunguis, *Klein. stem. av. tab.* 39. *fig.* 1.

Mergulus fluviatilis *Gesner. av. p.* 141. *Brisson. Orn. VI. p.* 59. *Buffon. Orn. VIII. p.* 244. *tab.* 20. *D'aubent. pict. n.* 905.

Colymbus caspicus, *Gmelin. syst. Lin. II. p.* 593. *spec.* 27. *Hablizl. N. nord. Beytr. IV. p.* 9.

Mihi in Rossia rarissime oblata fuit et tantum circa Volgam inferiorem; frequentem vero in littore Gilanico maris caspici observavit *Gmelinus jun.* unde plura utriusque sexus specimina misit, quorum mascula iconem *Zoologiae britanicae* exacte referunt.

Not. Rostrum crassius quam Col. aurito, nec adscendens, plumis frontalibus multo longius procurrentibus, usque ad ipsas fere nares. *Vertex* nigricans usque ad oculos, ante oculos litura canescente. *Cervix* longitudinaliter nigricat, utraque crepidine subvariegata. Reliquum *collum* et gula late ad oculos usque nivea, collo subnebuloso. *Latera* fusco maculosa. *Remiges* secundariae pleraeque albae.

LXVI. ALCAE.

Alcarum quondam unico genere et ab *Ill. Linnaeo* et a me ipso (*Spicil. Zool. Fasc. V.*) comprehensam familiam, arctico pelago praesertim propriam, sentio nunc aptius cum *Moeringio* et *Brissonio* in tria inter se affinia, habituque et moribus valde quidem convenientia genera posse dispertiri; quibus nomina *Uriae* (a *Brissonio* adplicatum), *Alcae* specialiter dictae et (cum *Gesnero*) *Lundae* adpropriari posse puto, quibus etiam hic utar. Omnino peculiaris et in omni avium coetu aliena figura rostri, quam *Lunda arctica*, (*Moeringio* Coeniscus, *Brissonio* Fratercula dicta) cum descripta a me primum *Lunda cirrhata* exacte communem habet, satis accurate hoc genus circumscribit. Proximae his sunt verae *Alcae*, et aliquam quidem similitudinem per sulcos rostri indicant, sed tota circumcaesura et proportione rostri satis differunt. Tertium tandem genus, *Uriae* ab utroque priorum, forma rostri fere tetraonia, discrepant et variis circa caput ornamentis plumaceis aeque in propiorem consanguinitatem coëunt et satis disserte genus constituunt.

Omnes horum trium generum, vel si mavis phalangum, species sunt urinatrices marinae et sub frigida arcto vivunt; omnes *pedes* habent pone aequilibrium positos, ingredi sine alarum adjumento nescios, tridactylos, palmatos vel, ut cum *Kleinio* loquar, plotos; omnibus *alae* sunt pro corporis portione parvulae et *cauda* brevissima; *color* autem omnibus supra niger. Omnes nidulantur in cavernis et fissuris scopulorum fere sine ullo strato, et *ovum* pariunt tantummodo unum, sed pro mole avis maximum. Vivunt omnes testaceis vel molluscis, unde carnes non pisculentae; sed *pellis* omnibus tenax et firma, ne inter saxa versantibus vulneretur.

Non autem non possum hic mentionem facere precari generis a *Cel.* quondam *Forstero* sub *Aptenodytae* nomine constitutum (: in *Comment. Soc. reg. Goetting. vol. III. p.* 121. *seqq. tab.* 1. *ad* 5 :), quod et *Gmelino* in *Systemate Naturae* placuit. Licet enim ipse quondam similem ideam manifestaverim (: *Spicil. loc. cit. p.* 3.) tamen, postquam plures aves impennes innotuerunt, rostris diversae, et hanc missam facio et quidquid Vir doctissimus pro stabiliendo suo genere, solis alis impennibus distincti, attulit, mihi non satisfacit. Primum quoniam Alca arctica, habitu quidem Aptenodytis similis, rostro tamen evidenter *Alca* est. Dein, quod *Forsteri Aptenodytes Chrysocome* et *antarctica* rostro evidenter ad Urias nostras accedunt. *Aptenodytes* autem *magellanica*, rostro licet paulum anomalo, ab Alcis tamen parum distat. Denique vero reliquae duo a *Cel. viro* huc connumeratae (*Aptenod. Patagonica* et *Papuana*) mihi potius per rostra ad Cepphorum genus referendae videntur et huic generi apterygias species addunt. Esset itaque Genus *Aptenodytae* rostri forma aeque varium et indeterminatum, ac quondam *Alcarum Linnaeanarum*, et solis alulis pinniformibus cohaereret. Avem in *picturis D'aubentoni* titulo: *Manchot de Sibérie n.* 984. delineatam, me fateor ignorare, nec, quod sciam, nostrorum marium incola est. Me judice erit ad Cepphos referenda.

412. ALCA *Torda.*

A. rostro compresso subincurvo, basi oblique sulcato.

Alca Torda, *Lin. syst. XII. I. p.* 210. *sp.* 1.

Alca, *Clus. exot. p.* 367. *Brünnich. Ornith. p.* 100. *Brisson. Orn. VI. p.* 89. *n.* 2. *tab.* 8. *fig.* 1. *Willughb. Orn. p.* 243. *tab.* 64. *fig.* 1. *Albin. av. III. p.* 90. *tab.* 95. *Edward. av. p.* 358. *Klein. stem. av. tab* 38. *fig.* 2. (caput)

Penn. Zool. Brit. (4to) *II. p.* - - *n.* 230. *tab.* 82. *Zool. arct. II. n.* 425. *Latham. av. V. p.* 319. *n.* 5.

Pengoin, *Buffon. Orn. IX. p.* 390. *tab.* 27. *D'aubent. pictur. n.* 1003. 1004.

Rossice ad mare album *Tschistik*; ad Oceanum orientalem *Arü* et *Tschistaek*

Lamutis *Kari*. Coraecis *Kajùku*.

Camtschadalis *Aarun*; Curilis *Aara*.

Frequens in mari boreo et albo, ut in omni mari septentrionali, rarior ad oras glaciales Sibiriae, in Orientali Oceano denuo frequens. *Ovum* semper unicum (*Steller* in *Nov. Com. Petrop. IV. p.* 421.), altero verticem acutum, anatino majus, album, maculosum, sapidissimum, vitello croceo, diametro 2″. axi 3″. 1‴.

Nidum condit circa Junii initium vel in rupium fissuris vel sub saxis et inter saxa excavata scrobe, eumque incubans mordicus defendit.

Not. Irides parvae, fuscae. *Alae* acutae, rigidae, remigibus 27. quarum secundariae pleraeque apice albo-marginatae. *Rectrices* 14. acutae in cauda cuneata. E mari albo adlatae pulcherrimae, majusculae. Rostrum ad basin *sulco* inciso narium, proximo minus obliquato albo, in senioribus deinde bi-vel trisulcato, apici proximo sulco obsoleto. *Capistrum* seu linea candissima utrinque a crista rostri ad supercilia divergens non omnibus, sed adultis maribus tantum. Quibusdam lunula *nuchae* albo nebulosa.

413. ALCA *Pica*.

A. rostro compresso tenuato, subunisulcato.

Alca Pica, *Lin. syst. XII. I. p.* 210. *sp.* 2. *Pall. Spicil. Zool. V. p.* 3.

Alca minor, *Brisson. Orn. VI. p.* 92. *tab.* 8. *fig.* 2.

Alca unisulcata, *Brünnich. Orn. n.* 102.

Blackbilled Auk, *Penn. Zool. Brit. p.* 137. *sp.* 4. *tab. H* 1. *Zool. arct. II. p.* 510. *n.* 426. *Latham. av. V. p.* 320. *n.* 6.

In mari boreo minus frequens praecedente, unde Tordae varietas minorennis esse nequit, licet hoc affirmet *Latham l. c.* Etiam e mari orientali adlata est.

Not. Tordae utique similis, ut ovum ovo, sed non solum mole minor, sed praesertim differt rostro, circumcaesura quidem simili, sed duplo minore et integerrimo, vix sulci vestigio conspicuo. *Caput* etiam minus grossum. Supra rostrum, in fronte etiam his lineola utrinque alba, obliqua, sed ad orbitas non perducta. Albedo cervicem summam semiamplexa, prorsus ut in Torda. Vexata species.

414 ALCA *monocerata.*

A. cornu compresso rostri supra nares.

Circa promontorium S. Eliae Americae et ad littora insulae Kadiak, a Russis occupatae rarius observatam communicavit *D. D. Merk.*

Descr. Magnitudo paulo infra Lundam *arcticam.* Capitis rostrique proportiones fere ut in A. *Pica. Rostrum* itidem corvino simile, valde compressum, *maxilla superiore* nigricante, versus basin utrinque sub naribus carina longitudinali, sulcoque sub carina; *inferior* maxilla lutea, carina subangulata. *Nares* longitudinales, lineares: *cera* obsoleta et ex ipsa cera, supra nares, ad frontem *cornu* compressum, conicum, osseum, fuscum, lateribus pallidum, cujus apex obtusiusculus. *Irides* ochreo-flavae. Avis *supra* tota nigra, oris plumarum exsoletis, *subtus*: *gula* cinerea, *collum*, jugulumque

et *latera* fusca, reliquum sordide album, lituris cinereis nebulosum. Pone rictus oris et pone oculos utrinque *tractus*, pollicis et ultra longitudine e plumulis setaceis, albis. *Alae* vix uropygium excedentes, remigum fascia elliptica nigriore, discum cingente, marginique parallela. *Rectrices* 12. aequales, nigricantes. *Pedes* pallidi, (in specimine sicco lividi), tridactyli, interiore multo breviore, membranis nigricantibus; *ungues* majusculi, nigri, medius interiore acie productus. Genua fusca. *Mensurae*: a summo rostro ad uropygium 11″. 11‴. rostri ad frontem 1″. 1½‴. ad cornu 10‴. ad rictum oris 1″. 6‴. capitis 1″. 10½‴. alarum ulnae 6″. 6‴. expansarum 1′. 11″. 0‴. Caudae 2″. tibiarum 1″. 6‴. digiti medii (c. ungue 5‴.) 1″. 9½‴. exterioris (c. u. 3½‴.) 1″. 8‴. interioris (c. u. 3‴.) 1″. 5‴.

Not. Vermes in ore utrinque adtenuatos observavit *Merk.* Specimen, antequam depingi poterat, periit.

LXVII. LUNDAE.

Lundae facile definiuntur *rostro* robustissimo, cathetoplateo, elliptice acuto, aciebus utriusque mandibulae accurate coëunte; species etiam *cerae* ad rostri basin. Alcis omnino proxime affines, *ovum* magnum solitarium pariunt, et in cavernulis et antris pernoctant, tota die in mari vagae et urinatrices expeditissimae.

415. LUNDA *cirrhata.* *TAB. LXXXII.*

L. rostro transversim sulcato fulvo, superciliis albis, cirrho pendulo continuatis, corpore nigro.

Lunda major cirrhata, *Catal. Mus. Petrop. p.* 419. *n.* 56.

Alca cirrhata, *Pall. Spicil. Zool. V. p. 7. tab.* 1. *et* 5. *fig.* 1 — 3. *Gmelin. syst. II. p.* 553. *n.* 10.

Macareu du Camtschatca, *Buffon. Orn. IX. p.* 368. *D'aubent. pict. n.* 761.

Tufted Auk, *Penn. Zool. arct. II. p.* 513. *n.* 432. *Latham. av. V. p.* 313. *n.* 2. *tab.* 95. *fig.* 1.

Rossis Ochotensibus et in Camtschatca nomine Lamutico *Igylma.*

Coraecis *Kytschuguigally.*

Camtschadalis occidentalibus *Mitscha-gàtka*; orientalibus *Tscheláta.*

Curilis *Etubirga*, vel *Itupirk.*

Frequentissima aestate avis in boreali parte Orientalis Oceani, inter Camtschatcam et Americam. Moribus omnino Lundae arcticae similis, ut forma et colore. Pernoctat et nidificat in rupium fissuris, vel nidum cuniculumve inter saxa littoralia rostro excavant, et pauco gramine plumisque sternunt ubi mas et femina monogamae pernoctant. Incubantes morsu ferociter se defendunt. *Ova* singula raro bina, circa Junii initium, grandia, anatinis majora, candida, ovata, utroque vertice obtusa, sapidissima, vitello croceo, diametro 1″. 9‴. axi 3″. 1‴. (*Steller. Nov. Com. Petr. IV. p.* 422. *tab.* 12. *fig.* 17.) Pellium ventres Curili et incolae insularum versus Americam sitarum, ipsiusque occidentalis Americae littoris in lacernas, praesertim virilibus consuunt, ochra plerumque rubra tinctos, et rostrorum superioribus maxillis, ossi detractis, pro crepundiis circa oram togae et circa mitras appensis, exornant. Foeminae autem cirrhos hujus avis adfixis ad capita albidis e gulonum pelle exsectis areis imitantur in Camtscatca.

Not. Descriptionem acuratam vid. in *Spicilegiis l. c.* Mas a foemina minime differt, nec adsunt cornicula supraciliaria, ut in L.

arcticae masculo. *Cirrhi* situ et textura fere ut in *Grue virgine*, paulo magis flaventes. Singularum ungium interiorum in pedibus curvaturam et directionem observavit *Tilesius*, quam in Iconibus av. Camtschat. delineavit.

416. LUNDA *arctica*. *TAB. LXXXIII.*

L. rostro transverse sulcato fulvo, corpore subtus albo.

Lunda, *Gesner. av. p.* 725.

Anas arctica, *Clus. exot. p.* 104. *Olear. mus. tab.* 15. *fig.* 5. *Willughb. Orn. p.* 244. *tab.* 65. *Albin. av. II. p.* 73. *tab.* 78. 79. *Edward. av. tab.* 358. *fig.* 1.

Psittacus marinus, *Martens. Spizberg. p.* 64. *tab. K. litt. c. Anders. Isl. II. p.* 55. *tab.* 1.

Colymbus medius groenlandicus, *Frisch. av. tab.* 192.

Fratercula, *Brisson. Orn. VI. p.* 81. *n.* 1. *tab.* 6. *fig.* 2.

Puffin, *Penn. Zool. brit.* (4to) *II. n.* 232. *Zool. arct. II. p.* 511. *n.* 427. *itin. wall. tab.* 20. *Latham. av. V. p.* 314. *n.* 1.

Macareux, *Buffon. Orn. IX. p.* 358. *tab.* 26. *D'aubent. pict. n.* 275.

Rossis circa mare album *Tupik*, in Camtschatca *Toporki* (a rostro securis aemulo).

Lamutis *Leschak*. Curilis *Matschir*. Camtschadalis *Ipatka*.

Per omnem arcticum et borealem Oceanum vaga species, copiosissima circa Colam, in mari albo, ad littora glacialis Oceani, et in mari orientali; in Camtschatca cum A. *Torda* et L. *cirrhata* ex orientali plaga ineunte Majo advolat. Pro nido cuniculos saepe ulnae profunditate excavant horizontales vel obliquos, in quibus monogamae vivunt. *Ova* singula ponunt grandia, initio Junii, a *Rajo* bene descripta. Pelles et rostra, uti praecedentis, ab Insulanis adhibentur.

Not. E mari orientali adlatae paulo majores europaeis; rostrum his etiam latius et robustius; *Cornicula* supraciliaria carnea majuscula (vid. *Iconem*). (*) Similem huic avem, sed albo rostro, in insulis Curilis saepe eminus a se visam tradidit *Steller* et coccineo *Tilesius* ad Camtschatc.

417. LUNDA *psittacula. TAB. LXXXIV.*

L. rostro subovato rubro reverso, corpore nigro, striga alba suboculari.

Alca psittacula, *Pall. Spicil. V. p.* 15 *tab.* 2. *et.* 5. *fig.* 4. *ad* 6. *Gmelin. syst. Lin. II. p.* 553.

Perroket Auk, *Pennant. Zool. arct. II. p.* 514. *n.* 433. *Latham. av. V. p.* 325. *n.* 9. *tab.* 95 *fig.* 2.

Rossis insulas versus Americam frequentantibus *Morskoi Kamàs;* ad Ochotensem sinum *Leshàk?* (**). Curilis *Naatschu.*

In mari circa insulas Curilas et versus Americam extensas non infrequens avis, nec circa Camtschatcam deest, sed rarior. Sub noctem e mari terram repetens saepe in naves involat et littorum vel scopulorum viciniam nautis indicat.

Not. 1. Adultae avis accuratam descriptionem dedi in Spicilegiis; monendum autem eorum, quae de moribus et indole praemonita sunt, ut et nomina barbara, plurima ex parte ad *Uriam seniculam*, mihi tunc nondum cognitam, et sub nomine rossico (*Starik*, senex) a *Krascheninikofio* etiam huic *Lundae psittaculae* improprie adplicato, vulgo militantem, pertinere. Hinc etiam descriptio

(*) Curatius avem *Tilesius* in Iconibus A. Camtschat. ad vivum pinxit et unguem interioris digiti magis curvatum unciformem et reversum in hac ut in L. cirrhata observavit.

(**) Reliqua nomina barbara ad hanc speciem in *Spicilegiis* a me relata, ad *Uriam seniculam* potius referenda sunt, mihi tunc ignotam.

ovi, a *Stellero* (*Nov. Com. Petr. IV. p.* 426. *tab.* 30. *fig.* 25. 26.) tradita, ad dictam potius Uriam pertinet.

Not. 2. *Junior* avis collum habet nigro, gryseoque variegatum, jugulum et initium pectoris fusco transversim undulatum. *Palpebra* inferior alba, vix in striam albam continuata; pinnulae elongatae albae adhuc desunt.

LXVIII. URIAE.

Uriae facile distinguuntur ab Alcis et Lundis, quorum habitum ceteroquin imitantur aeque ac naturam et mores, *rostro* minusculo conoideo, parum compresso et saepe fere tetraonio. Omnes itidem, ut illae, tota die mari innatant gregatim vel per paria, urinantur, noctuque in fissuris scopulorum se abscondunt monogamae, ibidemque nidulantur, *ova* singula, pro sua mole praegrandia parituræ. Species, praeter *Allen*, per omnia arctica maria vulgarem, omnes in Oceano Sibiriam et Americam interluente sedes fixerunt. —

418. URIA *senicula.* *TAB. LXXXV.*

U. corpore supra coerulescente subtus niveo, vertice, cervice gulaque atris, pinnulis sericeis albis superciliorum et cervicis

Mergulus marinus niger, ventre albo, plumis angustis albis auritus, *Stelleri* apud *Krascheninicof. descr. Camtschatc.* (*russ.*) *I. p.* 332.

Ancient Auk, *Pennant. Zool. arct. II. p.* 512. *Latham. av. V. p.* 326. *n.* 10.

Alca antiqua, *Gmelin. syst. II. p.* 556. *sp.* 11.

Rossis orientalis Oceani accolis *Starik* (senex) vel *Staritschok* (seniculus). Sub hoc nomine *Tilesius* in portu Awatschae varietatem seniculae dorso nigro albo punctato pedumque digitis nigro maculatis observavit et depinxit in Iconibus Av. Camtsch.

Lamutis *Lürik.* Coraecis *Inypilahalap.*
Curilis *Wingoroutsch.*
Camtschadalis *Chuichamtschkun.*

Avis in orientali Oceano frequentissima mihi nondum innotuerat quum *Spicilegiorum fascic. V.* ederem et a Stellero nimis vage erat indicata. Nunc copiosa specimina coram habeo. Abundant circa insulas Curilas et Aleuticas, inque orientali littore Camtschatcae, praesertim in insula quadraginta stadia a portu Avatschae distante, quae ab iis *Starikowo ostrof* cognominata. Nec deest in Penschinensi sinu. Aestate copiosa, interdiu in mari natans, urinatrix egregia, noctu in praeruptorum littorum atque scopulorum fissuris latebras quaerens, ubi etiam ovum parit solitarium, raro bina, sapida, gallinaceis paria (axi 2″. 2‴. diametro 1″. 3½‴.) sordide pallida, guttis gryseo-fuscis et obsolete fuscis adspersa, circa acutiorem verticem rariusculis. Stupida caeterum avis, quae vesperi ad littora revolans, sedentis in pellicea veste hominis sub limbo et in manicis latibulum quaerit et sic a Curilis et Camtschadalis copiose pro cibo capitur. *Nidum* struunt nullum, sed *ovum* saxis prominentibus imponunt, maxime desertis locis.

Descr. Magnitudo U. Alles seu paulo supra sequentem. *Rostrum* conicum, valde compressum, livido-album, ima basi et fascia dorsali nigrum, apice superiore subincurvo, obtusiusculo, utrinque sinuato. Sulcus obsoletissimus per carinam rostri longitudinalis. *Lingua* cornea, compressa, acuta, supra canaliculata. *Palatum* planum papillis acutis, reclinatis, duplici serie, striisque longitudinalibus. *Nares* ad plumas frontis parvae, lunulatae, perviae, papula cartilaginea. *Cutis* a dorso rostri inter nares cerae instar. *Caput* cum parte colli et gula atra: *taeniola* e pinnulis capillaribus albis a temporibus ad nucham et area magna lateralis colli alba. Cervix utrinque

plumulis capillaribus niveis, crebris quae senii quasi canitiem referunt et nomini ansam dederunt. *Cervicis* pars inferior cum *dorso, alis spuriis* et *uropygio* coerulescenti-cana; sed *latera* sub alis nigra. *Subtus* avis (praeter gulam) tota nivea. *Alae* nigrae, *vestitricibus* canis, sed basi item nigrae, subtus albae, uropygium paulo excedentes; remiges 25. *Cauda* brevis, aequalis, duodecimpennis, nigra. *Pedes* tridactyli, lividi, tibiis postice fuscis, membranis et unguibus nigris, subulatis: *unguis* medius interiore acie producta, ut congeneribus. *Femora* albo plumosa. *Mensurae*: a summo rostro ad uropygium circiter 9″. 3‴. rostri a fronte 7‴. ad oris angulos 1″. ulnae alarum 5″. 6‴. caudae 1″. 4‴. tibiae 1″. 2‴. digiti medii (cum ungue 3½‴.) 1″. 3‴. exterioris (2½‴.) 1″. 2‴. interioris (2⅔‴.) 1″.

419. URIA *Alle.*

U. supra nigra, subtus alba, ala secundaria albo marginata.

Mergulus melanoleucus, *Raj. syn. p.* 135. *A* 5. *Willughb. Orn. p.* 343. *tab.* 59. *Edward. av. tab.* 91.

Greenland Dove, *Albin. av. I. tab.* 85.

Alca Alle, *Lin. syst. XII. I. p.* 211. *sp.* 5. *Brünnich. Orn. n.* 106.

Arctica, *Moering. gen. av.* 69.

Uria minor, *Brisson. Orn. VI. p.* 73. *sp.* 2.

Little Auk, *Penn. Zool arct. II. p.* 511. *n.* 429. *Zool. Brit.* (4to) *II. tab.* 82. (*Fol.*) *p.* 137. *sp.* 5. *tab. H.* 4. supra *Latham. av. V. p.* 327. *n.* 11.

Petit Guillemot, *Buffon. Orn. IX. p.* 354.

Rossis *Ljurik?* Aleutis *Kneit.*

In omni mari arctico copiose occurrit, frigoris maxime patiens.

Not. Mole vix supra Colymbum auritum. *Rostrum* conoideum,

nec compressum, tetraonio simillimum. *Nares* basilares, depressae, apertura lunata in cartilegine perficiente. *Supra* nigra, *subtus* alba; *alae spuriae* albo variegatae; *remiges* secundariae apice albo marginatae, ut in Alca Torda. Albedo nucham nebula amplectitur in sequiore sexu, cui gula alba; at masculis gula tota, cum parte colli nigra! ut in Ceppho. *Pedes* flaventes. Varietatem nigro-gryseoque adspersam *Tilesius* in portu D. Petri et Pauli delineavit in Iconibus suis avium Camtschat.

420. URIA *Aleutica.*

U. corpore supra fusco, subtus albo, liturato, rostro producto triplici plica inter nares.

Russis ad Oceanum orientalem (communi cum Ceppho variegato nomine) *Pyshik.*

Specimina aliquot ex orientali Oceano retulit *D. D. Merk*, e quibus distinctam esse speciem apparet.

Descr. Magnitudo Alles. *Rostrum* nigrum longius, quam illius, licet conicum. *Maxilla inferior* longitudinaliter sulcata, *superior* inter nares triplici plica imbricatum. *Cervix*, *dorsum* e fusco cinerascunt; *collum* jugulumque magis albido nebulosa. *Pectus*, *venter*, *crissum* alba. *Alae caudaque* nigricantes. *Pedes* fusci.

421. URIA *cristatella. TAB. LXXXVI.*

U. rostro rubro calloso, crista frontis pennacea reflexa circinato revoluta.

Lunda minor cristata, *Catal. Mus. Petr. p.* 419. *n.* 60.

Alca cristatella, *Pall. Spicil. V. p.* 20. *tab.* 3. *et* 5. *fig.* 7. 8. 9. *Gmelin. syst. nat. Lin. II. p.* 552. *sp.* 7.

Crested Auk, *Penn. Zool. arct. II. p.* 515. *n.* 434. *Latham. av. V. p.* 323. *n.* 7. *tab.* 95. *fig.* 1.

Alca camtschatica, *Lepechin. Nov. Act. Petrop. XII. p.* 369.

Rossis ad Oceanum orientalem nomine Curilico dicitur *Korokora* vel *Turutura*.

Frequens in insulis Curilis ulterioribus, Japoniam usque et Aleuticis.

Not. Descriptioni in *Spicilegiis* l. c. traditae, varia habeo quae addam. *Irides* albae; interius halone coerulescente, exterius circulo nigro terminatae. *Palpebrae* quoque albo-marginatae. *Remiges* 23. *rectrices* 14. *Rostrum* in junioribus testaceo-rufum. *Tibiae* et *digiti* coerulescunt, membranae fuscae. Expansae alae pedalem mensuram paulo excedunt.

422. URIA *dubia*. *TAB. LXXXVII.*

U. rostro fusco simplici, crista frontis pennacea recurva.

Specimina et iconem ex itinere orientali retulit *D. D. Merk.* Sexu vel aetate tantum a praecedenti videtur differre, licet deficientes ad oris angulos calli cornei, et rostrum minus hiulcum differentiam insignem constituant. Cum praecedenti in mari extra Awatscham portum observatur, ubi et a *Tilesio* ad vivum depictae sunt.

Not. Irides candidae. *Rostrum* sanguineo fuscum. *Pedes* coerulescentes. Caeterum A. *cristatellae* magnitudine et colore simillima.

423. URIA *Tetracula*. *TAB. LXXXVIII.*

U. rostro fusco-rubro simplici, plumis frontalibus vix prominulis.

Alca Tetracula, *Pall. Spicil. V. p.* 24. *tab.* 4. *et* 5. *fig.* 10. 11. 12. *Gmelin. syst. nat. Lin. XII. p.* 552. *sp.* 8.

Dusky Auk, *Penn. Zool. arct. II. p.* 515. *n.* 435. *Latham. av. V. p.* 324. *tab.* 95. *fig.* 3.

Nomen praecedentium.

In mari orientali, circa insulas, cum praecedentibus, observarunt. *D. D. Merk* et Cel. *Steller*, et Specimina retulerunt. Priori praesertim circa Ins. Unalaschka occurrebat.

Not. *Merkianam* Iconem e recenti ave concinnatam addo, quandoquidem in *Spicilegiis* e sicco specimine delineata praeferenda. *Rostrum* in isto meo specimine fuscum, *Merkio* indicatur sanguineum, basi cum coerulescente nigredine, apice albidum; maxilla basi albida, ut et in nostra. *Irides* candidae. *Palpebrae* albae. *Pedes* coerulescenti-albidi. — Etiam hanc ab U. *cristatella* tantum aetate vel sexu differre suspicio est.

424. URIA *mystacea. TAB. LXXXIX.*

U. rostro rubro conico, tota nigra, pinnulis setaceis albis elongatis superciliaribus mystaceisque, nigris erectis frontalibus.

Alca Camtschatica, *Nov. Act. Petrop. XII. tab.* 8.

Praecedentium nomine apud plebem comprehenditur, et praesertim *Kurukurae* nomine venit.

Circa quartam et ulteriores insulas Curilas non infrequens avis, nec videtur Japoniae littoribus deesse; observata etiam circa Ins. Unalaschka. Camtschatcae littus et Ochotensem sinum non frequentat.

Descr. Est e minimis sui generis, mole circiter Coturnicis, omnium lepidissima et fere ridiculo ornatu praesignis. *Rostrum* breve, conicum, fere Tanagrae, ruberrimum, apice albido. *Nares* in cavo maxillae superioris, oblongae, rictui parallelae. *Maxilla* inferior versus basin sulco exarata. *Cera* nulla. *Irides* circulo albo et rubro. *Palpebrae* albae. Avis *supra* nigra, *subtus* fusca, ventre sensim magis canescente, crisso et subcaudalibus albidis. *Frons* utrinque *fasciculo* mystaceo pinnularum elongatarum, albi coloris. Verticis plumae laxiores, forte arriguae. Medio inter rostrum

rostrum et oculos utrinque *pinnulae* aliquot setaceae, albae, sparsae, capite longiores, arriguae. In fronte medius *fasciculus* erectus e plumis 3 vel 4. similibus, elongatis, fuscis vel nigris, apice incurvatis. Pone oris angulos, sub oculis et ad parotides itidem pinnulae sparsae, elongatae albae, longissimae suboculares. *Alae* caudam aequantes, nigricantes, remigibus apice exsoleta litura transverse notatae. *Remiges* viginti quatuor. *Rectrices* 12. brevissimae, aequales, nigricantes. *Pedes* tridactyli, ut omnibus Uriis, lutescente-fusci, *unguiculis* arcuatis, longiusculis. *Digitus* exterior medium subaequans, interioris brevioris unguis major. *Mensurae*: a summo rostro ad uropygium 6″. ulnae alarum 4″. 3‴. caudae 1″. 3‴. rostri ad frontem 5‴. ad rictum 7‴. tibiae 10‴. digiti medii (cum ungue $3\frac{1}{4}$‴.) 1″. 3‴. exterioris (cum ungue 3‴,) 1″. 2‴. interioris (cum ungue $3\frac{1}{2}$‴.) $10\frac{1}{2}$‴.

425. URIA *pusilla*. *TAB. XC.*

U. rostro conico nigro, corpore supra nigro, subtus albo, fusco variegato, fronte brachiisque albo notatis.

Pigmy Auk, *Penn. Zool. arct. II. p.* 513. *n.* 431. *Latham. av. V. p.* 328. *n.* 12.

Alca pygmea, *Gmelin. syst. II. p.* 555. *sp.* 12.

Circa Camtschatcam in littore orientali rupestri, et in scopulis observatur et nomine vernaculo cum praecedentibus confunditur. *Ovum* sordide album, columbino aequale.

Descr. Magnitudo fere infra Coturnicem. *Habitu* corporis crasso, brevi praecedenti simillima. *Rostrum* plumosa basi productiusculum, ipsum breve subarrectum nigrum, conoideum, apice compressum et utrinque subemarginatum, sulco obsoleto sub *naribus* linearibus longitudinali, secundum ipsam carinam lutescentem.

Caput et avis *supra* tota nigra; praeter *alas spurias* cano-albas ad basin *subtus* alba, saepe lituris fuscis transversis. *Plumulae* albae, setaceae breves circa rostrum, in fronte et initio verticis, et sub palpebra inferiore. *Gula* prope rostrum fusca. *Alae* uropygium excedentes, nigrae, cum sericeo nitore, *vestitrices* supra aliquot et subtus incumbentes albae. *Cauda* subrotundata, nigra, rectrice extima margine alba. *Pedes* fusci. *Mensurae*: totius avis 5″. 6‴. caudae 1″. ulnae alarum 3″. 6‴. tibiae 8‴. digiti medii (cum ungue $2\frac{1}{2}$‴.) 1″. extimi (cum ungue 2‴.) $11\frac{1}{2}$‴. interioris (c. ung. $2\frac{1}{4}$‴.) 9‴.

Omnium Specierum numerus 425.

Finis partis Ornithologicae.

—(oooooooooo)—

